CLAVIS TRIPARTITA SPECULATIVO-MORALIS AD PRIMUM, MEDIUM, & ULTIMUM, HOMINIS...

Gregor Dietel

Digitized by Google

ONALE VITT. EMANUELE
OMA
8 h
H
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48.3.2.
48
E
11
71
9
6
3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CLAVIS TRIPARTITA
ſpeculativo-Moralis

Ad Primum, Medium, & Ultimum,
Hominis Creati, & Recreati,

HOC EST

TRACTATUS
DE FINE BEATITUDINE,
ET ACTIBUS HOMINIS LIBERI,
AC RATIONALIS.

AUTHORE

P. GREGORIO
DIETL,

Ord. S. Bened. Monacho Priſlingenſi,
ejusdem loci Priore, SS. Theologiæ DOCTORE,
& NOTARIO Publico Apoſtolico,

RATISBONÆ
Sumptibus Authoris
ANNO M. DC. LXXIII.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, AC
SERENISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO

ALBERTO SIGISMVNDO,

Epiſcopo Friſingenſi, & Ratisbonenſi, S.R.I. Principi, Comiti Palatino Rheni, utriusq; Bauariæ Duci Landgravio Leichtenbergico &c.
Domino Suo Clementiſsimo.

Digitized by Google

Epiſtola Dedicatoria.

NEc tam ſecundis auibus *de Actibus Humanis, & Fine Ultimo* Theologica noſtra Diſputatio in arenam conſcenderet; nec tam glorioſè prælo, & prælio prodiret; nec tam veracem ſibi gratiam compararet; nec Auctoritatem tam ingenuam primæ conciliaret Fronti, niſi præfixo Fini fœlicem Coronidem, & operis arduitati finem perfectum imponeret Primum illud Humanorum Actuum Principium, quod eſt, *benè omnibus, malè nemini operari.* Redeundum ſcilicet ad Caput eſt, ut ultima primis, prima ultimis reſpondeant; vel ſagaci ipſius naturæ exemplo, quæ omne, quod abſoluit, circuli figurâ induſtriè concludit; vel ſapientum Ægyptiorum more, qui teſte Pierio lib. 14. Hieroglyph. ſerpentem efformabant, convolutum in circulo, & caudam ſuam reducto ore vorantem.

Ego certè quamquam tacendo obmuteſcerem, & muneris mei pondus ignauâ ſuſpenderem ſtaterâ, *Reverendiſſime, ac Sereniſſime Princeps;* haud tamen taciturna foret, nec ſui Muneris obliuioſa hæc ipſamet Diſputatio, ſed per vitæ motúsq; ſui, queis plurimùm præſtat

Digitized by Google

præſtat (cùm tota ſit Actibus, & actiuitatibus viuax) inquieta perpendicula, non ad Alium alterno curſu & diſcurſu declinaret ultimò Finem, quàm ad Clementiſſimos Serenitatis Tuæ nutus, intra quorum terminos, & alienatæ Lucis ſcaturigines potenter imbiberet, & difficiles obſcuritatum ſuarum perplexitates præclarè ſuperaret: nec aliundè ſpecioſam ſibi ſolicitaretur imponi Coronidem, quàm â Coronato Æthyope Friſingenſi, ut, quem ſplendorem nigredo rutilante ab auro adſciſcit, talem â Suâ Serenitate ſibi emendicaret Claritatem.

Sed verò inſuper Purpurata Pietas ita me Tui Nominis ſublimitati mancipauit, ita Humanorum Actuum Moralitas in æquilibrii officio continet, ut quamuis totus in Serenitatis Tuæ Jura dependeam, haud tamen æquè poſsim aſſequi, quo título magis, an Patriæ obſervantiæ, an Paſtoralis Dignitatis, obligatum me, ac penitùs devotum profitear: utraq; Principium, utraq; Finis eſt Felicitatis utriúsq; meæ. En verò ſi Majores noſtri ex antiquiſsimâ ſuperſtitione Diis Pennatibus ſuas omnes conſecrauêre Fortunas, eò quòd ab ipſis, tanquàm *eſsendi*, & benè *eſsendi* Principiis, natiua cujusque Sors nutare videretur; impius vero in hac Provinciâ, niſi Te, Sereniſsime Princeps, venerabundis auitæ pietatis officiis proſequar, quem Natale ſolum meum, ubi Prima humanæ vitæ ſpiracula,

cula,

Digitized by Google

cula, & Actuum Humanorum, morúmq; rudimenta congenita accepi (Friſinga, inquam, antiquiſsima illa Boicorum Leonum, nunc autem Serenitatis Tuæ Cathedralis ſedes) amat ut Pientiſsimum Patrem, ſequitur ut vigilantiſsimum Paſtorem, ſuſcipit ut ſecuriſsimum Tutorem, veneratur ut Clementiſsimum Dominum, adorat ut Principem ſuum undequaq; optimum, feliciſsimum, Gratioſiſsimúmque.

Aliundè verò, & quidem propinquiori titulo irreligioſus forem, ſi non, qui Patriâ egreſsus & ſæculo, nunc in Aſceterio Priflingenſi inter Religioſos S. P. Benedicti cætus ago, redirem ad Caput, & quidem ſublime illud, cui ſuprema Ratisbonenſis Eccleſiæ faſtigia validè innituntur, ſub cuius Paſtorali curâ ingens Grex ouium tranquillè gubernatur; quod etiam in inferiora & ſubdita ſibi membra & beatos perennandæ felicitatis influit annos, & fæcundiſsimos Gratiarum imbres, tanquàm ex Charitum Cornucopiis, affluenter deriuat. Ut adeò nemo non videat, quantis titulis ac quo fine, hic labor Induſtriæ, & hoc Gratitudinis opus Serenitati Tuæ conſecrandum ſuſceperim, ſubmiſerímque in Memnoſinon. Nec vereor, tali viâ, quæ Litteratis ſolet eſſe regia, me meúmque Priflingenſe Monaſterium Clementiſsimis Serenitatis Tuæ Patrociniis commendare: nam cùm ſis Humaniſsimus Princeps, â nobis acceptare non dedignaberis,

beris, quod vel Tuum eſſe noveris, vel nos Tibi præſtare valemus; mentem Tibi deditiſsimam, animum Juris inſtitutis aſſertiſsimum; ingenuum Laudis Tuæ teſtimonium de Te aſſiduum, Actus Tuis imperiis obſequentiſſimos, & nunquàm intermoritura unâ cum ardentibus precibus, perbeandæ hoſpitatis vota!

Quo Fine obtento, nobis primus in Cuſpide ſtabis, Sereniſsime Princeps, in quem ardentia exorationis noſtræ jacula ultimò dirigantur; ut diù interſis Tuorum Populo Clientum, & nos, dum luce fruimur, fœlices Tuæ Serenitatis reſpiremus auras. Vouebam in Aſceterio Priflingenſi 29. Martij, die Generis Humani Aſſertori, ſeu Chriſto Reſurgenti ſacratiſsimo.

Reverendiſsimæ & Sereniſsimæ
Celſitudinis Tuæ

Humilimus Cliens

P. Gregorius Prior.

Digitized by Google

QUandoquidem præſens Tractatus de Fine, Beatitudine, & actibus hominis liberi, ac rationalis multâ cum induſtriâ, & non minus eruditè & utiliter conſtructus, non tantùm orthodoxæ fidei, boniſq; moribus nihil adverſi contineat, ſed potius utriſque deſeruiat, eum proinde prælo publico omninò dignum cenſemus. Decretum Ratisbonæ in Conſiſtorio. 20. Aprilis 1671.

FRANCISCUS EPISCOPUS
Liddenſis, Suffraganeus, Præſes,
& Vicarius Generalis.

APPROBATIO
Facultatis Theologicæ Univerſitatis
SALISBURGENSIS

Hæc CLAVIS TRIPARTITA,
Hoc eſt,
TRACTATUS

DE Fine, Beatitudine, & Actibus hominis liberi, ac rationalis, uti Auctoris laudabilem Studij Theologici induſtriam, ſcribendiq; conatum; ita juxta Fidei, morumq; regulas genuinam D. Thomæ Doctoris Angelici mentem doctiſsimè reſerat, viamq; pandit regiam ad Finem Ultimum, ac Beatitudinem per actus humanos, ac congruos tendentibus. Salisb. 23. Aprilis 1671.

P. DESIDERIUS SCHAPPERGER
Ord. S. BENEDICTI Seonenſis, SS. Theol. Doctor,
& Profeſſor ordinarius, ac p. t. Facultatis Theologicæ Decanus.

De

Digitized by Google

DE
ULTIMO FINE HOMINIS, QUA VIATORIS, ET COMPREHENSORIS.

PRÆFATIO.

QUamvis Angel Doctor à fine ſumat exordium, nullo tamen modo debitum procedendi ordinem invertit, acturus de actibus humanis, moralibúſq; operationibus; eo quòd omnis actio ex amore finis proficiſcatur, & ad ipſum finem tendat. *Oportet*, inquit ipſe in Proœmio hujus q. *ex fine accipere rationes eorum, quæ ordinantur ad finem.* Et quia finis ultimus vitæ humanæ ponitur eſſe beatitudo, oportet primò conſiderare de ultimo fine in communi; deinde de Beatitudine; & tandem de medijs, ſine quibus finis prædictus aſsequibilis non eſt; hæc autem media ſunt actus humani, occaſione quorum agendum erit *de Voluntario*, & *involuntario*; de *circumſtantijs*, eorundem *Bonitate*, & *malitiâ*.

CAPUT I.

De fine hominis Viatoris in Communi.

SUpponit titulus ita præfixus, viam eſſe propter terminum; tunc enim unum propter aliud in rigore dicitur eſſe, cùm unum habet rationem medij, illud aliud verò rationem finis; atqui ita ſe res habet

inter viam & terminum; ſuppoſitâ enim ordinariâ Dei lege, impoſſibile eſt, terminum Viſionis Beatificæ abſque viâ obtineri; *nunc namque à Domino peregrinamur, per fidem ambulamus*; Hîc eſt locus militandi, & pugnandi, ibi in patriâ locus triumphandi, & quieſcendi; propterea hæc Eccleſia *militans*, altera *triumphans* indigitatur. Et certè, ſicut neque apud Ethnicos cuiquam templum gloriæ & honoris intrare licuit, niſi priùs templum virtutis perambulaſſet; ita nec quisquam hominum (excepto Chriſto Domino, qui propter Unionem Hypoſtaticam Comprehenſor, & ſimul etiam propter alia, quæ tum ſibi, tum nobis meruit, Viator fuit) ad terminum gloriæ, & Viſionis beatificæ perveniet, niſi priùs legitimè certaverit, ſéque dignum perpetuâ lætitiæ coronâ Athletam probaverit.

2. Corinth. 5.

Quà de re S. Th. agit. 3. p.

Cæterùm quamvis via generatim ſit, per quam itur ad terminum, ſpeciatim tamen ea hic ſumitur pro ſtatu, in quo natura intellectualis finem ſuum, ſeu terminum per opera meritoria aſſequi poteſt. Eſtque ſtatus hic Viæ ex ordinatione Divinâ ſtatus fidei in hac vitâ mortali, quæ ſecundùm communem, & Ordinariam Dei legem in hoc mundo tranſigitur; convenienter S. Paulo, qui viam perveniendi ad terminum exemplo certaminis in ſtadio pro bravio certantium aſſimilat. Sicut enim ad ſolum Principem, & Magiſtratum pertinet, & bravium proponere, & tempus illius lucrandi determinare; ita ſolius Dei eſt, in hoc cæleſti certamine, & viam in ordine ad patriam, & omnes reliquas viæ conditiones ordinare. Unde procliv e

1. Corinth. 9.

Digitized by Google

clive eſt, colligere, quinam ſint, aut fuerint in *Viâ*, ſeu *Viatores*. Omnium Anteſignanus eſt CHRISTUS DOMINUS; tametſi enim quo ad Beatitudinem Animæ ſuæ ſemper fuerit Comprehenſor; quia tamen corpus paſſibile habuit, ſibíque corporis ſui gloriam, nobis verò gratiam, & gloriam meritus eſt, etiam uſque ad mortem Viator fuit. Deinde Viatores ſunt omnes reliqui homines, vitam mortalem degentes; & quia ſtatus fidei eſt, ut vel habeatur, vel haberi debeat, cùm per fidem ambulemus, aut ſaltem ambulare debeamus, etiam infideles, licet actu fidem nondum habeant. A viâ exemptæ ſunt Animæ in purgatorio conſtitutæ; quia corporibus ſuis non ſunt conjunctæ; & licet non dum ſint in ſtatu termini, eas tamen nec in viâ amplius, ſed in medio quodam inter viam, & patriam ſtatu, Deus eſſe voluit, ne ex defectibus in hac viâ commiſſis commodum reportent. Deinde quia animæ illæ non amplius poſſunt demereri, æquum omninò erat, ut neque in ſtatu merendi relinquerentur. De Eliâ & Enoch magna inter DD. diſputatio eſt. Nos SS. Litteris conſentaneum eſſe, judicamus, Deum non tantùm voluiſſe, omnes Viatores in mortali corpore vivere, ſed etiam fomiti, carníſque rebellioni (ex ſpeciali privilegio ab hac conditione excipiendo B. MARIAM Virginem) aliíſque vitæ humanæ moleſtijs, & miſerijs ſubjectos eſſe. Unde quia ab iſtis difficultatibus prædicti Elias & Enoch exemti ſunt, eos etiam à ſtatu viæ, & merendi exemptos eſſe adhuc, cenſemus.

§. 1.

An homo Viator ita agat propter finem, ut ei hoc ſit proprium?

1. *Notandum* 1. non eſſe hìc de fine ſermonem, pro ut is ſumitur pro quocunque termino, ſed pro ut eſt unum ex 4. generibus cauſarum per ſe, ſignificátque ſcopum quaſi quemdam, quem ſibi operans præſtituit, ac proponit, ad eúmque operationes ſuas dirigit; velut ſagitarius jaculationes ſuas ad metam; quâ ratione finis deſcribitur ab ipſo Philoſopho, eſſe *id, cujus gratiâ aliquid fit*; vel, *cujus gratiâ cetera fiunt*; ubi per *catera* intelligi debent illa, quæ ſunt in aliquâ rerum ſerie uſque ad finem; Vg. ut exemplo ipſius Ariſtotelis utar, ad ſanitatem ordinatur purgatio, humorum attenuatio, pharmaca, & ſi quæ ſint alia in hac ſerie rerum.

Lib. 2. Phyſ. text 29 lib 1. Et hic. c. 7.

Not. 2. quòd licet variæ, multæque ſint diviſiones finis, ad duas tamen principaliter claſſes reduci poſſint; eò quòd uno modo finis dividatur ex parte ipſius rationis formalis, ſeu modi finaliſandi; alio modo ex parte rationis materialis, ſeu illius, quod tenet ſe *materialiter*, & ex parte rei in finaliſando. Juxta priorem modum dividitur finis tripliciter, ſcil. in Finem *Cujus*, & *Cui*. Finis *Cujus* eſt illud bonum, cujus conſequendi ſtudio tenemur; Sic mercenarij Finis *Cujus* eſt ſtipendium, propter quod laborat. Finis *Cui* eſt ſubjectum, cui volumus finem *Cujus*; quâ ratione cùm Medicus procurat ſalutem Petro, Finis *Cujus* eſt ipſa ſalus (hoc enim eſt, quod Medicus per medicinam

inten-

Digitized by Google

intendit, & quærit) & Finis *Cui* eſt ipſe Petrus, cui Medicus vult, & deſiderat ſanitatem. Prior finis verè, propriè, & in omni rigore eſt finis, non item poſterior. Quia finis propriè eſt, cujus gratiâ aliquid fit; talis autem eſt finis *Cujus*; nam propter ſanitatem ſumitur medicina, ſanitas autem eſt finis *Cujus*; & ſic de reliquis. Ergò. Econtrà verò finis *Cui* non eſt id, *cujus gratiâ*, ſed cui volumus bonum, quod finis eſt, cum quo finis *Cui* componit unum; quâ ratione homo ſanus dicitur finis medicinæ, non quòd ipſe homo ſit finis, ſed ſubjectum, quod cum ſanitate, quæ eſt finis *Cujus*, componit unum, quemadmodum ſubjectum unacum formâ dicitur quodammodò finis. 2. dividitur in finem *ultimum*, & *non ultimum*, ſeu intermedium, inter quos hæc eſt diſparitas, quòd finis *ultimus* ita appetatur gratiâ ſui, ut in nullum alium referatur; finis verò non *ultimus* appetatur equidem gratiâ ſui, ſed tamen cum relatione & dependentiâ ab ulteriori fine. Hujus diviſionis meminit Angel. D. infrà, ubi ſubdiviſit finem *ultimum* dicens, quòd unus ſit finis ſimpliciter ultimus, qui ſcil. ad alia non refertur, ſed omnia ad illum; alius verò finis ultimus ſit tantùm *ſecundum quid*, qui quidem eſt aliquorum finis, non tamen omnium. 3. dividitur in finem *Qui*, & *Quo*, id eſt, in rem, quæ eſt finis, & in adeptionem finis; quod aliis verbis dici ſolet, in finem *objectivum*, & *formalem*.

Ariſtot. & S. Th. lib. 2. Poſter. c. 11. 1. p. q. 5. a. 6.

q. 11. a. 3

2. *Juxtà* poſteriorem modum dividitur finis 1. in finem *operis*, & *operantis*. Finis *Operis* ſeu rei (qui etiam dicitur *intrinſecus*) eſt, in quem res ex ſuâ naturâ, vel primævâ ſui inſtitutione eſt ordinata, ſicut finis domûs

Digitized by Google

eſt habitatio, & protectio à cæli injurijs. Finis *operantis* (qui & *extrinſecus* nuncupatur) eſt, quem ipſe operans pro ſuâ voluntate intendit; ut ſi quis ædificet, ut inde percipiat lucrum. 2. in finem *principalem*, & *ſecundarium*. 3. in finem *effectum*, ſeu operatum, & eſt effectus actionis, per ſe intentus ab illâ, velut in ædificatione eſt domus; Leo productus in generatione Leonis; & in finem *acquiſitum*, ſeu *intentum*, licet non effectum; quemadmodum Deus in Beatitudine; anima rationalis in generatione hominis obtinetur, non autem producitur actione. 4. in finem *naturalem*, & *ſupernaturalem*. 5. in finem, qui eſt operatio, & in finem, qui eſt res operata. Prior eſt, quando id, quod præcipuè intenditur, eſt operatio, non effectus, ut in actionibus immanentibus. Poſterior verò eſt, quando non ſiſtitur in actione, ſed aliquis effectus per ipſam intenditur; ſic per operationem medicinæ, aut deambulationis intenditur ſanitas. De his omnibus redibit ſermo in ſeqq.

Not. 3. circa illam S. Thomæ propoſitionem: *objectum voluntatis eſt bonum, & finis*: quòd ibi *finem*, & *bonum* non ſumat pro eodem *materialiter*, & identicè; quia aliàs non benè inferret, quòd actiones humanæ ſint propter *bonum* & *finem*; ſicut ex eo, quòd *verum* identicè, & *materialiter* ſit *bonum*, non ſequitur, quòd actiones ſint propter *verum*; præterea etiam, quòd illa nec ſumat pro eodem omninò *formaliter*, ſcil. quoad omnes reſpectus, quos explicat; quia finis formaliter reſpicit media, quæ ejus gratiâ fiunt, & etiam voluntatem, quæ illum appetit; *bonum* autem non impor-

tat

Digitized by Google

tat *formaliter* tales reſpectus, ſed ſi ſit bonum *relatè*, ſolùm dicit convenientiam ad aliquid; ſi verò ſit bonum *abſolutè*, dicit integritatem perfectam. Sumit itaque S. Thomas *Bonum*, & *finem* in illâ propoſitione pro eodem *objectivè*, ita ut non obſtantibus illis diverſis reſpectibus, vel formalitatibus, quas entitativè dicunt, conſtituant unum objectum formale & ſpecificum voluntatis; & tali modo propoſitio S. Thomæ eſt per ſe nota; quòd enim *bonum* ſit objectum formale, & adæquatum voluntatis, ita per ſe notum eſt, ac notú eſt, quòd *verum* ſit objectum intellectûs. Quòd porrò finis ſit *bonũ*, etiam per ſe notum eſt, quia voluntas non fertur in aliquod objectum, niſi ſub ratione boni; imò finis inter ipſa bona eſt quid principalius; quia eſt formalis ratio alijs, & perfectio, ut ametur; ſicut lux colori eſt ratio ultima, ut videatur; eo quòd finis ſit bonum ultimum, cujus gratiâ cætera appetuntur. Ex his

3. Patet, quòd finis ſtrictè ſumptus, pro ut diſtinguitur contrà media, & pro ut eſt objectum intentionis, ſit objectum adæquatum voluntatis; ita enim videtur colligi ex S. Thomâ juxta jam dicta in hoc notabili, ubi pro eodem ſumit *finem* & *bonum*, quod eſt objectum adæquatum voluntatis. Quòd porrò loquatur de fine ſtrictè ſumpto, prout diſtinguitur contrà media, ex eo patet, quòd in Prologo quæſt. dicat, primò conſiderandum eſſe de fine, deinde de his, per quæ poteſt perveniri ad finem, quæ ſunt media. Quando ergò S. Th. hìc probat, hominem propter finem agere, & objectum voluntatis eſſe *finem* & *bonum*, non agit de fine in latâ acceptione,

prout

pro ut etiam complectitur media, ſed potiùs de illo, qui diſtinguitur contra media; aliás enim non conſideraſſet priùs de fine, quàm de his, quæ ſunt ad finem, ſed ſimul de his egiſſet. Ulterius explicatur mens noſtra; nam ſicut objectum *formale*, & adæquatum Charitatis eſt ſolus Deus, ſeu Bonitas Divina, objectum autem *materiale* ſunt creaturæ, quas actu Charitatis propter Deum diligemus; & ſicut objectum *formale* Theologiæ eſt Deus, etiamſi etiam attingat creaturas, quæ ſunt objectum *materiale*, quia conſiderat illas, ut referuntur in Deum; ita etiam objectum *formale* & adæquatum voluntatis eſt finis, media verò, quæ appetimus propter finem, ſolùm ſunt objectum *materiale*: illud enim eſt objectum formale potentiæ, vel habitûs, ſub cujus ratione talis habitus vel potentia fertur in omnia objecta; voluntas autem non fertur in media, niſi ſub ratione finis, quia finis eſt, *cujus gratiâ* cætera appetuntur, qui reſpectu ſui eſt ratio volendi ſe, reſpectu autem mediorum eſt ratio, ut ſint volita propter finem. Sed de his latiùs infrà, ubi cùm S. Th. quæremus, an media etiam per ſe bona ſint, & appetibilia.

Not. 4. *Agere propter finem*, quod latiori ſignificatione idem eſt, ac tendere in præſtitutum ſibi finem, tripliciter fieri poſſe. 1 ita ut finis nullo modo cognoſcatur; velut in finem tendunt plantæ, elementa, & cætera, quæ cognitione carent. 2. ita ut res illa, quæ finis eſt, non cognoſcatur equidem, ſed non, niſi imperfectè, nim. abſque eo, quòd ratio finis, ejusque bonitas per ſe amabilis, mediorúmque ad finem proportio cognoſcatur; quâ ratione in finem bruta animantia, quæ etſi cognoſcant

finem

finem, Vg. alimentum, venationem &c. non tamen cognoſcunt rationem formalem finis, neque etiam conducentiam, & proportionem hujus potiùs, quàm alterius medij cum tali fine. 3. ita ut finis perfectè cognoſcatur, cognoſcendo ſcil. non rem ſolummodò, quæ finis eſt, ſed & ſimul rationem, ac bonitatem finis per ſe amabilis, nec non habitudinem, & mediorum proportionem; quemadmodum in finem tendit homo ratione utens. Quæ 1. & ſecundo modo tendunt in finem, non à ſe ipſis, ſed ab alio moventur in finé; enim verò cùm vel nullo modo, vel imperfectè ſolùm cognoſcant finem, ſic in eundem per ſe nihil valent ordinare, ſed indigent alio, à quo in finem præſtitutum agantur; ſicut ſagitta, quia ſcopum & metam non cognoſcit, ab alio illuc dirigi & ordinari debet. Quæ porrò tertio modo in finem tendunt, dicuntur ſe ipſa agere, atque in finem movère.

4. *Not.* 5. Actiones, quæ ab homine fiunt, eſſe in duplici differentiâ; alias, quæ dicuntur ***hominis***; alias verò, quæ propriè hominis eſſe dicuntur, ſive ***humanæ***.
Prioris generis ſunt omnes illæ, quæ quomodocunque ab homine procedunt, ſive eas in ſomno, amentiâ, aut ebrietate efficiat, & quibus (ſaltem quo ad modum operandi) à brutis non diſtinguitur; tametſi enim ejusmodi operationes Vg. ſomni, nutritionis, aut dum indeliberatè aurem fricat, homo verè efficiat, phyſicè tamen ſolummodò, naturaliter, ac neceſſariò ab eo fiunt; qui operandi modus homini non proprius, ſed ipſi cum reliquis animantibus eſt communis; nam & ſus *rigidâ fricat arbore coſtas.* Poſterioris generis ſunt, quæ jam

non quomodocunque, ſed humano modo, id eſt, liberè ab eo procedunt; hic enim agendi modus proprius eſt hominis, eóque à cæteris creaturis irrationabilibus differt. Ita diſertè loquitur S. D. *actionum*, in quiens, *quæ ab homine aguntur, illæ humanæ propriè dicuntur, quæ ſunt propriè hominis, ut homo eſt*, adeoque in quantùm ab irrationabilibus differt; differt autem in hoc, quód ſit ſuorum actuum dominus, conſentiente S. Paulo: *non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ voluntatis*; ſicut enim, ut Valentia explicat, hominis maximè dicitur, cujus eſt Dominus, quódque in ſuâ poteſtate ita habet, ut de eo, pro ut libet, propriâ authoritate poſſit diſponere; ita illa actio propriè hominis, & humana dicitur, quæ libera eſt, quæque ita ab eo fit, ut potuerit non fieri; cùm autem iſta libertas ex deliberatione proficiſcatur, omnis etiam actio humana deliberata eſt. Porrò actiones illæ, quæ ſolius hominis propriæ ſunt, ideóque humanæ dicuntur, aliæ tales ſunt quo *ad ſubſtantiam*; aliæ verò tales quo *ad modum*. Quo *ad ſubſtantiam* illa tantùm hominis operatio humana dicitur, quæ convenit homini non ex genericâ ſolùm, verum etiam ex differentiali ratione, per quam ab alijs diſtinguitur; ejusmodi operationes ſunt intellectio dependenter à ſenſibus, viſio, & fruitio beatifica; itémque actus illi, qui omnem rationis advertentiam antevertunt, ut ſunt motus primò primi, & actus puerorum, amentiumque &c. Quo *ad modum* illa actio dicitur humana, in quâ reperitur proprius modus operandi hominis, puta, per libertatem & indifferentiam ad utrumlibet oppoſitorum; cujusmodi ſunt amare Deum, loqui, ambulare &c. non verò operati-

1. 2. q. 1. a. 1.

Corinth. 7.

Tom. 2. d. 1. q. 1. punc. 1.

rationes illæ, quæ non procedunt ex libero arbitrio, deliberatè, liberéque agente. Hinc

Not. 6. S. Doctorem, quando definit actionem humanam eſſe illam hominis operationem, quæ ex deliberatâ voluntate procedit, non loqui de actione humanâ, duntaxat quò *ad ſubſtantiam* tali; loquitur enim de eâ, per quam homo poteſt tendere & conſequi finem ſuum: ſed homo per actionem, tantùm quò *ad ſubſtantiam* talem, non tendit, nec conſequitur finem ſuum (utpote quæ ab homine non procedit liberè, & conſequenter nec meriti capax eſt, nec demeriti) Igitur S. D. in eâ actionis humanæ definitione ſolummodò intelligendus eſt de illâ, quæ ſit humana quo *ad modum*; hæc enim quia procedit cum libertate & indifferentiâ, meriti ac demeriti capax eſt, atque adeo digna præmio, vel ſupplicio. Verùm *hic in corpore.*

Petes: Quæ nam voluntas deliberata dicatur, ex quâ procedit actio humana? Dico, voluntatem deliberatam eam dici, quæ deliberationem, & conſilium rationis ſequitur, & deliberatione habitâ operatur. Pro cujus intelligentiâ

5. *Advertendum eſt*, quòd in quovis hominis negotio, antè omnem deliberationem rationis, ac voluntatis imperium, detur aliquis primus actus intellectûs, ſeu prima cogitatio de re aliquâ, quæ proinde cogitatio nullo modo procedit à voluntate, ſed vel ab objecto ſenſibus externis occurrente, vel immediatè ab ipſo Deo, intellectum excitante, vel ab Angelo bono, aut malo, ſpecies imaginativas commovente &c. adeoque dici nequit actus voluntarius, & humanus; non

Digitized by Google

voluntarius, quia nullo modo procedit à voluntate; neque humanus, quia non procedit à voluntate, ut deliberatâ. Porrò ſtante hac primâ cogitatione, fieri poteſt, ut voluntas prorumpat in ſimplicé volitionem rei, non dum adhibito ulterius intellectu, qui conſiderando. convenientiam aut diſconvenientiam deliberet, utrum tali rei, ut obtinendæ, vel ſaltem delectationi ex ejus cogitatu percipiendæ efficaciter ſit inſiſtendum; & tunc volitio illa ſimplex (quæ eſt motus primò primus ipſius voluntatis) dicetur quidem à voluntate procedere, ut voluntaria imperfectè, non tamen ut voluntaria perfectè ac deliberatè, quia tantùm cognitionem imperfectam, & quæ deliberativá non eſt, ſupponit. Quòd ſi autem poſt primam cogitationem, & ſimplicem volitionem intellectus applicetur ad conſiderationem magis attentam ejusdem rei ac circumſtantiarum, & voluntas obtentâ per rationem perfectâ advertentiâ, & plenâ deliberatione de convenientiâ aut diſconvenientiâ rei, prorumpat in aliquem actum Vg. proſecutionis (quia vel ipſamet eundem elicit, vel ad eundem eliciendum aliam potentiam applicat) dicetur voluntas, actum illum elicuiſſe voluntariè perfectè, liberè ac deliberatè. Nam licet voluntas ſecundùm ſe formaliter ſit libera, ut tamen in actibus ſuis ſive elicitis, ſive imperatis libertate utatur, originem trahere debet ex indifferentiâ judicij intellectûs, qui objectum voluntati proponit cum variâ rationum oppoſitione, & quadam veluti indifferentiâ; in objectis enim, quæ pro hoc ſtatu voluntati proponuntur, intellectus oppoſitas rationes convenientiæ,

vel

vel diſconvenientiæ deprehendere poteſt. Dixi autem: *ſi voluntas per rationem obtentâ perfectâ advertentiâ, & plenâ deliberatione in actum prorumpat &c.* quia ſi intellectus quidem aliqualiter applicetur ad deliberationem & conſiderationem magis attentam, ita tamen ut hæc impediatur Vg. per vehementiam paſſionis, aliámve diſtractionem, quo minùs cum ſufficienti perfectione obtineatur; actus deinde à voluntate procedens, tantùm imperfectè erit liber, & deliberatus, dicetúrque motus ſecundò primus. Et hæc de voluntate deliberatâ, ſaltem quatenus dicitur deliberata formaliter. Nam præter deliberationem rationis formalem (qualis eſt, cùm ratio poſitivè inquirit, & conſultat de eo, quod faciendum, vel omittendum eſt, ut modò explicuimus) dari ſolet deliberatio etiam interpretativa, quæ tunc intervenire cenſetur, quando voluntas aliquid operatur, circa quod intellectus inquiſitionem, ſeu conſultationem aliquam omittit, quam poſſet, ac deberet præmittere. Nunc ſit

Concluſio I.

Homo Viator omninò, & quidem propriè ac perfectè agit propter finem. Ita S. Th. Valent. Tanner. Ariſtot, & eſt communis DD. *1. p. q. 10. a. 1. ad 1. Tom. 2. d. 1. q 1. punc. 1. & 2. Tom. 2. d. 1. q. 1. dub. 2. 1. Ethic. c. 1. & 2.*

6. Probatur Conclus. Quia ut aliquid propriè & perfectè agat propter finem juxta Angel. Doct. duo requiruntur. 1. Ut agat propter finem formaliter ſumptum, hoc eſt, quatenus eſt id, cujus causâ cætera fiunt; quod fieri non poteſt, niſi cognoſcat, quid ſit *propter ſe* & *propter aliud* appetibile, diſcernátque, quænam me-

 dia,

dia, & quam proportionem habeant ad finem conſequendum. 2. Ut operans ſeipſum liberè moveat in finem, atque adeo ex cognitione finis ſemetipſum determinet ad operandum. Sed hoc utrumque competit homini Viatori. Ergò propriè & perfectè agit propter finem.

Concluſio 2.

Omnes actiones propriè humanæ, etiam illæ, quæ ſunt circa finem, velut eſt Amor, deſiderium, intentio finis, delectatio, & quies in fine obtento; immò & ſimplex complacentia circa finem, non materialiter tantùm, & in actu primo, ac imperfectè, ſed propriè, perfectéque ſunt propter finem, & ab eo, velut causâ finali cauſantur.

1. 2. q. 1. a. 1. q. 22. de Verit. a. 2. & lib. 9. contrà Gent. c. 3.

Ita cum S. Th. communis, & certa eſt DD. ſententia, ubi ait: *Sicut cauſæ efficientis eſt agere, ita influere cauſæ finalis eſt appeti*; adeoque tunc finis exercet cauſalitatem, quando appetitur. Sed hoc fit in omnibus actionibus humanis, eo ipſo, quòd ex bonitate finis, velut boni per ſe amabilis, alliciente & movente oriuntur; quæ motio utique ad aliquod genus cauſæ, nec ad aliud, quàm cauſæ finalis, pertinet. Ergò omnes actiones propriè humanæ à causâ finali verè cauſantur, atque adeo ſunt propter finem.

Probatur Conclus. ratione S. D. ex argumento *ſed contra*. 1. Omnia quæ ſunt in aliquo genere, derivantur à principio illius generis; ſed finis eſt principium illorum, quæ ſunt operabilia per hominem. Ergò omnes actiones humanæ derivantur à fine, adeoque homo illas facit propter finem.

Proba-

Digitized by Google

Probatur 2. Actiones, quæ procedunt ab aliquâ potentiâ, cauſantur ab eâ ſecundùm rationem ſui objecti. Atqui actiones humanæ procedunt à libero arbitrio, cujus objectum primarium & adæquatum eſt finis (non quòd hic ſemper in ſe & directè, ac immediatè, ſed quòd vel in ſe, vel in medijs, ac indirectè à voluntate appetatur) ergò finis eſt, propter quem actiones humanæ ſunt, & fiunt. Et tandem ſequeretur alioquin, aliquas actiones humanas eſſe ſine fine, adeoque temerarias; ſed hoc fieri non poteſt; quia fiunt ab agente cum deliberatione, quod nihil facit fruſtra. Et certè cauſa efficiens atque finalis in ordine ad eoſdem effectus ita ſibi famulantur, ut in cauſando ſeu operando à ſe invicem dependeant; ſed in propoſito dictæ operationes verè à causâ, & quidem liberâ fiunt; ergò etiam à causâ finali efficiuntur, quæ cùm ſit cauſarum prima, ſi ſubtrahatur, neceſſe eſt, etiam alias ſubtrahi. *S.Th. loc. cit.*

7. *Obijc.* contra rationes ex S. Th. immediatè adductas 1. Intentio, & amor Finis ſunt actiones humanæ (procedunt enim ex deliberatâ voluntate) ſed non ſunt propter finem; ergò non omnis actio humana eſt propter finem. m. probatur; omnis actio, quæ eſt propter finem, procedit ex intentione, & amore finis (quia operari propter finem eſt moveri ad operandum ex amore, & deſiderio finis) atqui intentio & amor finis non poſſunt procedere ex intentione & amore finis: quia ſic vel procederent ex ſe ipſis, vel daretur proceſſus in infinitum, quorum utrumque eſt impoſſibile; ergò intentio & Amor finis non ſunt propter finem.

℟. neg.

Digitized by Google

℟. neg. m. ad cujus probationem diſtinguo. M. omnis actio, quæ eſt propter finem, procedit ex intentione & amore finis; ſi actio illa immediatè verſetur circa media, concedo M. ſi immediatè circa finem ipſum, quemadmodum intentio & amor finis; nego M. atqui intentio & amor finis non procedunt ex intentione & Amore finis, quia immediatè verſantur circa finem, concedo m. ſi immediatè verſarentur circa media, nego m. & conſeq.

Obijc. 2. Ex eo, quòd color ſit objectum visûs, non ſequitur; *ergò actio visûs eſt propter colorem*; ergò neque ex hoc, quòd finis ſit objectum voluntatis, ſeu liberi arbitrij, rectè ſequitur, quòd actus voluntatis deliberatus ſit propter finem.

℟. neg. conſeq. ratio eſt: quia ex eo præcisè, quòd actio alicujus potentiæ attingat objectum ſuæ potentiæ, non ſequitur, operationem eſſe propter objectum illud, ſed ſolùm ſequitur, operationem eſſe circa ipſum. Hoc non obſtante, ex eo, quòd finis & bonum ſit objectum voluntatis, utrumque ſequitur, quòd ſcil. & operatio deliberata voluntatis ſit circa finem, quia finis eſt objectum voluntatis; & quòd ſimul ſit propter finem, quia tendit in finem ex perfectâ cognitione illius.

Concluſio 3.

Quamvis omnia agentia agant propter finem, proprium tamen naturæ rationalis eſt, ut tendat in finem, quaſi ſe agens, & ducens in finem. Ita S. D. hîc & communis DD.

1. Phys. c. 1. Probatur 1. p. Concl. 1. Authorit. Ariſtot. ubi oſtendit, non ea tantùm, quæ per electionem agunt, ſed etiam

iam naturam agere alicujus gratiâ, id eſt, propter finem; *verè enim*, inquit, *alicujus gratiâ hirundo nidulum conſtruit, aranea telam contexit, formica alimenta congerit, frondes tegendorum fructuum gratiâ arbor explicat.*

Probatur 2. ratione Angel. D. hoc modo formatâ; negare cauſam finalem cauſis naturalibus, eſt ipſis omnem vim agendi auferre, quod probatur; quia ſublatâ primâ causâ tollitur omnis actio aliarum cauſarum; ſed cauſa finalis eſt omnium prima; ergò ſublatâ causâ finali tollitur omnis actio aliarum cauſarum. M. inde patet, quia ſubtracto eò, à quo cætera pendent, neceſſe eſt, cætera quoque perire; ſicut ſublato fundamento, corruit domus, & ſublato primo annulo, ex quo catena ex alto pendet, eóque ab alijs annulis diviſo, mox illa in terram decidit. m. autem probatur, comparando inter ſe 4. cauſas; quia teſte Angel. Doct. materia non conſequitur formam, niſi ſecundùm quod movetur ab agente (nihil enim ſe ipſum reducit de potentiâ in actum) prior ergò eſt cauſa efficiens, quàm materialis & formalis; agens verò non movet, niſi ex intentione finis (non enim movet, niſi ſit determinatum ad unum aliquid efficiendum; cùm aliàs non magis produceret unum, quàm aliud: illud autem unum, ad quod agens eſt determinatum, finis eſt) prior ergò eſt cauſa finalis, quàm efficiens, atque adeo etiam, quàm materialis, & formalis.

Secunda p. Concl. præterquam quòd probata maneat ex his, quæ pro 1. Conclus. adduximus, inſuper

Probatur. quia licet alia, quæ ratione carent, tendant in finem per naturalem inclinationem, quaſi ab

alio mota (ſicut ſagitta tendit in ſcopum per hoc, quòd moveatur à ſagittante, qui ſuam actionem dirigit in finem) non tamen moventur à ſe ipſis, quia non cognoſcunt rationem finis, & idcircò nihil in finem ordinare poſſunt, ſed ab alio ſolùm ordinantur in illum; at verò illa, quæ habent rationem, habent ſimul etiam dominium ſuorum actuum per liberum arbitriũ; quod eſt facultas voluntatis, & rationis. Ergò proprium eſt naturæ rationalis, ut tendat in finem quaſi ſe agens & ducens illuc; id quod ampliùs patet ex notabili quarto.

8. Quamvis igitur bruta, aliæque res inanimatæ, latiùs loquendo, agant propter finem, prout nim. finis ſignificat actionis ſuæ certum ſcopum ſibi vel à ſe ipſo, vel à naturâ, vel ab Authore naturæ præfixum, ac determinatum habere, non tamen propriè, perfectéque agunt propter finem; non inanimata, quia omni cognitione carent; non bruta, quia non liberè agunt, ſed potiùs aguntur: non quaſi prorſus nihil agant, quod falſum eſt, ſed quia à Deo acceperunt talem naturam, quâ neceſſario quodam impulſu, impetúque in rem illam, quæ rationem finis, ſeu bonitatem habent, feruntur. Et licet, utpote cognitione, & appetitu ſenſitivo prædita cognoſcant, appetántque rem, quæ finis eſt, ut bonum ſibi conveniens (quâ ratione etiam ipſa media cognoſcunt, & appetunt) *materialiter* tamen ſolummodò cognoſcunt, non porrò *formaliter*, pro ut ſcil. eſt id, ad quod hæc vel illa media ordinem; proportionémque, & aquirendi vim habent. Unde cùm canis lorum mordet, ut ſe-

Digitized by Google

ut feram inſequatur, facit id, quia apprehendit illud vinculum, ut ſibi aliquid diſconveniens, & moleſtum; non autem, quòd cognoſcat, illius dilacerationem medium ſibi futurum eſſe ad feræ conſecutionem; neque enim bruta res inter ſe conferre queunt, neque actûs circa finem verſantis ordinem & proportionem norunt; unde eodem modo, & ſub eâdem ratione ex inſtinctu, ſeu naturæ impetu media, & finem appetunt.

Neque tamen hinc ſequitur, talia agentia ſuum finem ſemper ac infallibiliter aſſequi, & nunquam exerrare, propterea, quòd agant dicto modo ex deſtinatione cauſæ primæ, quæ fruſtrari nequit. Quia illa Dei Voluntas non ſemper eſt abſoluta & efficax reſpectu ipſius finis actu obtinendi, ſed ſæpè *generalis*, & *antecedens* tantùm, & quaſi conditionata, per quam ſcil. Deus vult effectum perfectum ſequi, quatenus juxtà ordinem naturalium ſequi poteſt. Atque hinc ſimul

Patet 1. Effectus etiam caſuales, ac fortuitos fieri propter aliquem finem, non quidem per ſe intentum à cauſis particularibus, ſed per ſe intentum à cauſâ univerſali, cujus providentiæ & gubernationis ſubſunt cauſæ ſecundæ particulares. V.g. tegulam de ſublimi cadentem occidere Petrum prætereuntem, caſus eſt fortuitus, & præter finem per ſe intentum à lapide, qui ſolùm erat *deſcendere in centrum*; attamen, ut hic ipſe lapidis deſcenſus ſuberat diſpoſitioni Divinæ, volenti & ordinanti ex fine quodam altiſſimo, Petrum ita per tegulam occidi, ſic etiam tendebat ad finem occiſionis Petri, non quidem ex determinatione propriæ na-

turæ, ſed ex ordinatione, & directione Dei. Similiter.

Patet 2. quòd monſtra non fiant ex intentione cauſarum particularium, fiant tamen ex intentione cauſæ univerſalis propter finem altiorem, puta, pulchritudine Univerſi, quæ ex varietate, rerúmque difformitate conſurgit; itémque ad manifeſtationem Divinarum perfectionum, quæ magis elucent in Creaturis perfectis, dum opponuntur defectuoſis. Verùm.

9. *Obijc.* contra 2. p. Conclus. probando, quòd alia etiam agentia præter rationalia, ſe ipſa movendo, atque adeo perfectè agant propter finem; viventia à non viventibus juxtà S. D. in hoc diſtinguuntur, quòd viventia moveantur à ſe ipſis in ſuis operationibus; eſt enim, teſte etiam Ariſtot. *officium vitæ, moveri à ſe.* Cùm igitur juxtà 1. p. Conclus, omnia agentia agant propter finem, bruta ſaltem, aliáque viventia ſpeciali modo agent propter finem; hic verò ſpecialis modus agendi propter finē, eſt movère ſe in finem. Ergò &c.

1. p. q. 18. a. 1. & ſeqq.

℞. Viventia diſtingui à non viventibus, quòd illa, non verò iſta ſe moveant *phyſicè* in ſuis operationibus, vel quò ad ſolam operationis executionem (qui modus ſe movendi conſiſtit in eo, quòd non præcisè per modum inſtrumenti, ſed per modum cauſæ principalis, adeoque per virtutem permanentem atque completam, in ijs exiſtentem influant, ſe ſeque moveant in ſuas operationes, & hic modus movendi ſe convenit omnibus viventibus) vel non ſolùm quo ad executionē operantis, ſed etiam quo ad formā, quæ eſt principium operandi; qui modus ſe movēdi invenitur in omnibus

Digitized by Google

bus & ſolis viventibus cognoſcitivis, quæ à ſe ipſis habent quodammodò principia cognoſcendi; ſcil. ſpecies intentionales. Quando autem S. D. in Concluſione dicit, proprium eſſe creaturæ rationali, agere propter finem, ſe movendo, non loquitur ſolùm de movendo ſe *phyſicè* dicto modo (quia ſic benè probat objectio, quòd hic modus etiam brutis conveniat) ſed loquitur de movendo ſe *moraliter*, quòd ſcil. agere propter finem, moraliter ſe movendo, ſit proprium creaturæ rationali.

§. 2.

Utrum unius hominis poſſint eſſe plures ultimi fines?

1. Supponit hæc quæſtio, quòd homo Viator moraliter & liberè operans, ſemper ac neceſſariò aliquem operis finem ſibi in operando præfixum habeat. Ita enim S. D. quem ſequuntur DD.

Ratio eſt 1. quia cùm finis ſit primum in *intentione*, & ultimum in *executione*, ideo neceſſe eſt, ut & in ordine *intentionis* ſit aliquod primum (alioquin enim nunquam incipere poterit conſultatio, quæ præſupponit media alicujus certi finis) & in ordine *executionis* ſit aliquod ultimum, in quo finiatur operatio, & appetitus operantis quieſcat, quia, ut ait Ariſtot. finis vanus & inanis foret, ſi in infinitum fieret proceſſus. Præterea ſi daretur proceſſus in infinitum, adeoque non veniretur ad aliquod ultimum, in quo humana operatio ſiſteret, periret ratio finis, de ratione cujus eſt, eſſe ultimum in aliquâ ſerie; ablato igitur ultimo, tollitur

Ariſt. 2. Metaph text. 3.

1. Ethicor. c. 2.

Digitized by Google

etiam ratio finis. Denique 3. nullum daretur ampliùs honeſtum & jucundum; quod eſſet per ſe amabile; ſed omne bonum foret tantùm utile, & gratiâ alterius appetibile, quod dici nequit. Dicendum ergò, impoſſibile eſſe, ut operans in finibus procedat in infinitum, ſed neceſſariò ſiſtendum eſſe in uno aliquo ultimo.

Dices; in bonis datur proceſſus in infinitum; ergò & in finibus; quia finis & bonum idem ſunt. Antec. probatur ex vulgari illo axiomate: *omne bonum eſt diffuſivum ſui.* Jam ſic; quod ab hoc bono diffunditur, itidem bonum eſt; ergò rurſus diffuſivum ſui; & ita deinceps. Quo facto, dabitur proceſſus in infinitum.

℟. neg. antec. ad probationem dico, bonum eſſe diffuſivum ſui, non quidem ſemper actu, aut neceſſariò, ſed ſolùm in potentiâ, puta, quantum eſt de ſe, & ex ſuâ naturâ. Vel hoc modo; *bonum eſt diffuſivum ſui*, id eſt, attractivum per amorem, & appetitum ſui, quo attrahit & rapit ad ſe voluntatem. Explicatione hac ritè intellectâ, quam facit D. Angelicus, non ſequitur dictus proceſſus in bonis.

1.p. q.5. a.4. ad 2. & 3. contra Gẽtes. c.24. & q.21. de Verit. a.1, ad 4.

2. Sunt tamen hæc intelligenda in primis de fine ultimo non in particulari de hoc, vel illo, quod ſit Deus, vel aliud bonum particulare; de hoc enim agit S. D. in ſeqq. ſed de ultimo fine in communi, ſecundum quod eſt id, quod propter ſe appetitur, & reliqua propter ipſum, ſive illud ſit ſummum, & ſupremum bonum, ſive bonum aliquod creatum, & ſive ſit verum bonum, ſive apparens tantùm. Deinde hæc intelligenda ſunt de finibus *per ſe* ſubordinatis; in finibus

Digitized by Google

nibus enim *per accidens* ſubordinatis, puta, qui inter ſe in movendo nullam habent dependentiam, nil obſtat, quin proceſſus in infinitum (ſyncategorematicè) fieri poſſit. Ita enim habet S. D. his verbis; *ea verò, quæ non habent ordinem per ſe, ſed per accidens ſibi invicem conjunguntur, nihil prohibet infinitatem habere; cauſæ enim per accidens ſunt indeterminatæ; & hoc eodem modo convenit habere infinitatem per accidens in finibus, & in his, quæ ſunt ad fines.* Hoc ipſo enim, quòd à ſe invicem in cauſando non dependeant, nihil refert, etiamſi eorum numerus in infinitum (ſyncategorematicè) multiplicetur; quod ipſum videre eſt in actionibus Beatorum, qui cùm æternum ſint duraturi, ideo infinitas actuum ſeries multiplicabunt, quorum quivis ſuum habebit finem; qui fines etſi quo ad ſucceſſivi temporis durationem ſubordinati ſint; quia tamen ſucceſſio illa nullam in ijs quo ad rationem cauſandi dependentiam efficit, idcirco ſubordinatio non *per ſe*, ſed ſolummodò *per accidens eſt.* Poteſt igitur quis diſparatè infinitos ſyncategorematicè fines appetere, ut divitias, honores, cibos, agros &c. quæ nullum inter ſe habent ordinem, ſed per accidens conjunguntur in eodem ſubjecto, ſicut accidentia in corpore V g: albedo, color, dulcedo &c. Jam in ordine ad reſolutionem quæſtionis articuli.

1. 2. q. 1. a. 4. in corpore. & ad 2.

Notandum eſt, Finem abſolutè & ſimpliciter ultimum duplicem eſſe, unum *Verum*, & alterum *apparentem* tantùm. Prior eſt, qui re ipsâ in ſe continet ſummam rationem Boni, & Beatitudinis, cujusmodi eſt unus tantùm, DEUS ſcil. OPT. MAX. Poſterior

eſt,

Digitized by Google

eſt, qui licet rationem ultimi finis, & ſupremæ Beatitudinis non contineat, ab homine tamen falsò ut talis apprehenditur, velut ſi quis felicitatem ſuam ultimã Vg. poſitam eſſe exiſtimaret in divitijs. Præſens quæſtio procedit de fine ultimo, pro ut abſtrahit à *Vero*, & *Apparente* tantùm. Sit igitur

Concluſio 1.

Voluntas creata non poteſt ſimul actualiter appetere plures fines, ſimpliciter ultimos, totales, & adæquatos. Matth. 6. *Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire*, id eſt, duabus rebus, quæ ſibi invicem ſubordinatæ non ſunt, neq; ita ſubordinari poſſunt; quemadmodum ſubordinari nequeunt duo fines ſimpliciter ultimi; pro ut 1. 2. q. 1. a. 5. D. Angel. locum ſcripturæ citatum explicat. Qui etiam abſolutè ait; *impoſſibile eſſe, quòd voluntas unius hominis ſimul ſe habeat ad diverſa, ſicut ad ultimos fines.*

3. Probatur Concluſio ex naturâ ultimi finis; de ratione cujus eſt, ut expleat, & ſatiet appetitum hominis, & ut in ipſum omnia, ipſe verò ad nihil referatur. Ergò nequit ſimul ferri in plures fines ſimpliciter ultimos. Quòd ſi enim duo eſſent, in quos ferretur; vel unus referretur in alterum, & hoc ipſo non foret ultimus; vel neuter referretur in alterum; & ſic neuter eſſet ultimus, cùm ad eum non omnia referrentur. Confirmatur. Quia in quolibet genere eſt unum primum principium; ſed ultimus finis habet rationem primi principij; ergò debet eſſe unum. Si hoc? ergò &c. Dixi autem in Conclus. 1. *fines totales, & adæquatos*: Quòd enim homo poſſit pro eodem etiam tempore habere plures ultimos fines partiales, ſeu (quod idem eſt)

tendere

Digitized by Google

tendere ſimul in plures, qui integrẽt unum abſolutè ultimũ, ultrò libenter concedimus; ſi quidem Antiqui etiam Philoſophi in his 4. *Voluptate, Quiete, Bonis naturæ*, & *Virtute*, ultimum finem poſitum eſſe, exiſtimarunt. Immò & ipſe Ariſtoteles felicitatem hominis ponit in contemplatione, & tamen vult ad eam pertinere bona quoque corporis, & fortunæ; hæc enim omnia ordinantur ad bonum aliquod perfectum, quod proinde rationem ultimi finis habeat, & perfectè ſatiet appetitum: perfectior enim utique eſt contemplatio, magiſque ad appetitum hominis explendum ſufficiens, ſi cætera accedant bona, quàm ſi vel hæc, vel illa ſola poſſideantur. Poteſt ergò quis intendere unum adæquatè finem ultimum, compoſitum ex finibus inadæquatis, & partialibus. Si tamen ſermo ſit de ultimo fine alicujus particularis negotij, nihil penitus obſtat, quin reſpectu unius etiam, ejuſdémque particularis negotij plures ejuſmodi fines intendi poſſint. Et cõſtat experientiâ; quia ſæpè quis opus aliquod ob varios fines aggreditur, quorum quolibet ita movetur, ut tametſi alius non eſſet, nihilominus tamen opus perficeret; ut cùm quis jejunat & ob temperantiã, & ob pœnitentiam, & obedientiam Eccleſiæ præſtandam; vel cùm proficiſcitur Romam deſiderio Urbis videndæ, inviſendi Amici, & peregrinandi ad limina SS. Apoſtolorum. Ratio eſt; quia hi fines nullam inter ſe repugnantiam habent, adeoque quivis eorum rationem finis tuetur, & ſervat, etiamſi alteri non ſubordinetur, ſed per ſe expetatur. Unde colligitur multò faciliùs fieri poſſe, ut ſibi Viator plures fines propoſitos

1. *Ethicor. c. 7.*

Digitized by Google

ſitos habeat reſpectu Diverſorum negotiorum.

Dixi 2. in Conclus. *non poſſe voluntatem creatam ſimul ita appetere &c.* Quia dubium non eſt, quin homo ſucceſſivè & pro diverſo tempore poſſit ſibi præſtituere plures ultimos fines totales; quia revera juſtus, quando peccat mortaliter, avertit ſe à Deo, ultimo ſuo fine, & convertit ſe ad bonum creatum, ut ultimum finem. Et ſimiliter peccator, quando juſtificatur, avertit ſe à bono creato, in quo per peccatum ultimum conſtituerat finem, & convertit ſe in Deum, tanquam ultimum finem. Quo factò utroque caſu voluntas humana ſucceſſivè habet plures fines adæquatos, eóſque ultimos.

Concluſio 2.

Nec poteſt voluntas creata plures ſimul fines totales aut copulativè, *aut* disjunctivè appetere; *neque etiam unum* actualiter, *alterum verò* virtualiter *intendendo.* Eſt Angel. Doct. hîc & plurimorum Thomiſtarum contra Suarez. Vaſq. Medinam hîc, cenſentem, voluntatem creatam poſſe ſimul plures ultimos fines, non quidem *copulativè*, ſed *disjunctivè* appetere.

4. Explico. Poteſt voluntas variè tendere in fines, *actualiter* ſcil. & *virtualiter*; *copulativè*, & *disjunctivè*. *Actualiter* appetitur ultimus finis, quando actu, & formaliter appetitur, ut cùm quis actu ſe convertit in Deum, ultimum finem, ſe omniáque in eundem referendo. *Virtualiter* appetitur, quando quis in virtute ſolùm præcedentis actûs tendit in ultimum finem; ut cùm quis ex intentione Dei ultimi finis decrevit cele-

Digitized by Google

brare miſſam, & poſtea ejus oblitus, nihil de Deo cogitans illam celebrat. *Copulativè* appetuntur duo fines, quando uterque ſimul appetitur, ut cùm quis ſimul appetit & voluptatem, & honorem. *Disjunctivè* verò appetitur, quando unus eorum tantùm appetitur, non tamen determinatè, ſed indeterminatè hic, vel ille, ita ut in alterutro eorum Voluntas aquieſcat. His ita intellectis, 1. & 2. Concluſionis pars ſatis evidens eſt ex ijs, quæ attulimus pro 1. Conclus. quia de ratione finis ultimi eſt, ut ſit perfectè & completè ſatiativus appetitûs humani (voluntas enim per ultimum finem ſuum obtinere debet beatitudinem; beatitudo autem conſiſtit in aggregatione omnium bonorum, ita ut extrà illam nihil reſtet appetendum, vel deſiderandum) ſed ſi præter hunc voluntas alium adhuc ſeu *copulativè*, ſeu *disjunctivè* appetere poſſet finem ultimum, ille prior perfectè, & completè ſatiativus humani appetitûs non eſſet; ſiquidem is nec formaliter, nec eminenter contineret omnem rationem boni. Ergò nequit voluntas humana appetere duos ſimul fines ultimos vel *copulativè*, vel *disjunctivè*. Similiter.

Probatur 3. Conclus. p. vel enim fines illi, quorum unus *formaliter*, & alter *virtualiter* ſimul appeteretur, appeterentur in ratione plenè & perfectè ſatiativi, vel non? ſi hoc ſecundum; ergò non appetuntur ut fines ultimi. Si primum; ergò eſt impoſſibile, ut ſi unum appetatur, ut totale ſatiativum, aliud adhuc poſſit appeti vel formaliter, vel virtualiter; quia non poſſet aliquid habere, quod non comprehende-

retur ſub primo; aliàs primus finis non eſſet totaliter ſatiativus. At

5. *Obijc.* 1. directè contrà rationem tertiæ partis hoc modo. Poteſt aliquis ponere ultimum finem in aliquo, quod clarè videt, non eſſe completè ſatiativum ſui appetitûs; ſic luxurioſus ponit finem in Venere, per cujus tamen delectationem videt, ſe non perfici, nec compleri in alijs bonis, & neceſſitatibus Vg. in fame, ſiti &c. ſed potiùs depauperari ſe, & dehonorari. Ergò non eſt de ratione ultimi finis, quòd ſit perfectè ſatiativus totiûs appetitûs hominis.

℟. neg. ſuppoſitum argumenti; quia nequit voluntas tendere, & appetere aliquid ſub formalitate, & munere finis, niſi in ipsâ ſuâ apprehenſione, & æſtimatione apprehendat illud, ut ſatiativum, plenèque appetitûs ſui perfectivum; licet ex corruptâ æſtimatione aliquando judicet, atque apprehendat ut ſatiativum ſui, quod in re, & verè ſatiativum non eſt.

Dices. Poteſt quis ita præcisè apprehendere, & appetere delectationem Veneream, quaſi eſſet perfectè, ſummèque ſatiativa ſui appetitûs, & tamen alia etiam poteſt appetere. Ergò adhuc non eſt de ratione ultimi finis apprehendi, quòd ſit ita completivus humani appetitûs, ut extra ipſum nihil appetendum relinquatur.

℟. ad rationem ultimi finis non requiri, ne præter ipſum abſolutè nihil appetatur, aut appeti poſſit; ſed ſolum, quòd extra illum nihil appetatur tanquam perfectius, ſeu tanquam perficiens, & finaliſans illum, adeoq; *terminativè* ſolùm ſatiet appetitum, id eſt, terminans omnia, quæ appetuntur, ſubordinando ea tali fini, & illum non ſubordinando alteri. *Obijc.* 2.

Digitized by Google

Obijc. 2. directè contrà conclus. præcedentem. Homo, qui eſt in Gratiâ Dei, habet pro fine ultimo Deum Verum, & tamen ſimul pro ultimo fine habere poteſt creaturam, dum ſcil. peccat venialiter; illud enim peccatum veniale habet aliqué finem ultimum, cùm ſit actio humana; non autem habet Deum, quia peccatum etiam veniale non eſt referibile in Deum. Ergò in Creaturam. Pro hoc argumento, cùm diverſæ Graviſſimorum Auctorum ſint ſolutiones & ſententiæ, ut communior Thomiſtarum opinio adducatùr, aliáque hîc dicta meliùs explicentur, ſit

§. 3.

DUBIUM I.

An qui peccat mortaliter, conſtituat finem ultimum in Creaturâ?

Procedit præſens quæſtio non de ultimo fine in communi; quà ratione certum eſt, quemlibet operantem, tam juſtum, quàm peccatorem habere pro ultimo operationis ſuæ fine Beatitudinem in communi; ſed procedit de ultimo fine in particulari, qui reſpectu juſti Deus eſt, ut Bonus Bonitate Divinâ. Senſus igitur eſt, in quâ re homo pro eo tempore, quo mortaliter peccat, rationem ſummi Boni, & Beatitudinis ſibi poſſibilis conſtituat?

Reſpondeo.

Peccator cùm peccat mortaliter, finem ultimum ſimpliciter, abſolutè, ac poſitivè *conſtituit in creaturâ, eam* interpretativè *ſaltem Deo præferendo.* Ita cum Angel. D. plerique Scholaſtici, ut D. Albert. M. D. Bonav. Scotus. Durand. Richard. Alenſis. Cajet. Conrad. Medina. Valentia.

hîc in argũ. ſed contra. *& a. 7. ſolut. ad 1. & infrà q. 88. a. 1. ibidem in ſolut. ad 3. & a. 2. ad 1.*

Digitized by Google

& q. 89. ad 3. & 22. q. 24. a. 10. ad 2. & q. 7. de malo, a. 1. ad 3.

lentia. Vaſq. Salas. Martinez. Monteſinos, & Caraffa hîc Diſp. 2. Concl. 1.

1. Explico. Quando dicimus, peccatoré ponere ultimum finem in creaturâ, id non ita eſt intelligendum, quaſi in omni peccato mortali adſit *formale*, expreſſum, & directum intellectûs judicium, quo peccator in *actu ſignato* & ſpeculativè judicet, creaturam eſſe ſummum Bonum, & finem ultimum, dicátque interius, quòd hæc, vel illa creatura ſit ſua ultima felicitas: cùm alioquin omnis, qui mortaliter peccat, foret infidelis, quod falſum eſſe, evidens eſt. Id ergò intelligendum eſt de eo, quòd peccator in *actu exercito*, & ex modo operandi, quem habet in peccati exercitio, & practicè, auferat à Deo rationem ſummi Boni, & ultimi finis, ponátque eam in Creaturâ, quatenus eam in praxi pluris habet, quàm Deum, ejúsque amicitiam; ideoque relinquit Deum, & avertit ſe à Bono illo incommutabili, convertendo ſe ad creaturam, ut illâ fruatur; quod eſt ſecunda præſentis reſponſionis noſtræ pars, quòd ſcil. homo peccando mortaliter, Deo præferat Creaturam, *virtualiter* ſaltem, ac *interpretativè*. Quia, quod quis altero relicto eligit, id quoque alteri præfert; atqui homo peccando mortaliter, relicto Deo, eligit creaturam, pro ut magis conſtabit ex dicendis. Ergò &c. Deinde id ipſum SS nobis litteræ innuunt expreſsè, ubi dicitur, quòd qui peccat mortaliter, anteponendo creaturam legi Dei, eam plus diligat, quàm Deum. Sic enim Chriſtus habet; *qui amat patrem, aut matrem plus, quàm me, non eſt me dignus.* Et; *qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Quem in locum S. Hyeron. ait; *ne quis pietatem Religioni ante*

Matth. 10. 37.

ni ante ferret, *ſubjicit dicens*; *qui amat patrem*, *aut matrem plus quàm me*, *non eſt me dignus*; *& in Canticis Canticor. legimus*: *ordinavit in me Charitatem. Hic enim ordo in omni affectu neceſſarius eſt*: *ama poſt Deum patrem*, *aut matrem*, *aut filios*; *ſi autem neceſſitas venerit*, *ut amor parentum*, *aut filiorum*, *Dei Amori comparetur*, *& non poſſit utrumq; ſalvari*, *odium in ſuos pietas in Deum eſt.* Similiter ſcriptum legimus; *veruntamen & ex Principibus multi crediderunt in eum*, *ſed propter Phariſæos non confitebantur*, *ut è Synagogâ non eijcerentur*; *dilexerunt enim gloriam hominum magis*, *quàm gloriam Dei.* At nunc. Joan.12. 42.

2. Probatur 1. p. Reſpons. primò ex omnibus illis ſcripturæ locis, in quibus apertè ſignificatur, quòd ratio ultimi finis per peccatum mortale ponatur in creaturâ; maximè autem ex illo, ubi dicitur de guloſis: *quorum Deus venter eſt*; ſuper quod gloſſa interlinearis ex S. Aug. ait; *hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligit.* Et gloſſa ordinaria; quia *quidquid faciunt*, *pro ventre faciunt*; q. d. finem ultimum conſtituunt in ventre, dum omnia faciunt propter eum. Et Angel. D. ſuper eum locum; *& dicit Deus*, *quia proprium Dei eſt*, *ut ſit principium primum*, *& finis ultimus*; *unde qui pro fine habet aliquid*, *illud eſt Deus ſuus.* Rurſus alijs in locis ſignatur, quòd per peccatum mortale homo avertatur à Deo ultimo fine, & cõvertatur in creaturam, tanquam in finem ultimum. Sic habetur: *duo mala fecit populus meus*; *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, *& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*, *ciſternas*, *quæ continere non valent aquas.* Ubi licet ad litteram ſermo ſit de peccato Idololatriæ; attamen ſecundùm ſen-

ad Philipp. 3.

Lect. 3.

Ierem. 2. 13.

ſum

Digitized by Google

ſum communem applicatur id omni etiam peccato mortali, in quo duo illa mala reperiuntur, ſcil. averſio à Deo, & converſio ad bonum commutabile, tanquam finem ultimum. Et meritò finis ultimus comparatur aquæ, quæ ſitim extinguit, eo quòd finis ultimus ſatiet appetitum; ſed peccans ponit finem in creaturâ, in quâ vix eſt aqua Bonitatis, & felicitatis ad extingendum appetitum.

3. Probatur hæc eadem p. ſecundò ratione. Nam omnis actio humana habet, vel debet habere aliquem ultimum finem: ſed qui peccat mortaliter, pro ultimo actionis ſuæ fine nequit habere Deum. Ergò creaturam. m. probatur; quia quod nullo modo in Deum eſt referibile, nequit habere Deum pro fine ultimo; ſed malum culpæ mortalis nec *formaliter*, vel *virtualiter* eſt referibile in Deum (blaſphemum enim eſt, tale opus operari propter Deum, vel in illum referre; cùm non conducat in talem finem, immò omninò ſit illi contrarium) ſed neque *habitualiter* (quemadmodum peccatum veniale ratione ſubjecti in Deum ordinati) illuc eſt referibile, quia per peccatum mortale ſecundùm fidem Catholicam deſtruitur Charitas & gratia; atque adeo ſubjectum non manet habitualiter ordinatum in Deum ultimum finem. Ergò peccatum mortale nullo modo eſt referibile in Deum; ergò ejus finis ultimus nequit eſſe Deus. Ergò Creatura.

Confirmatur argumentum. Licet enim, *unam rem alteri præferre, eámque plusquàm hanc amare*, Vg: amicum novum plus quàm antiquum, non ſtatim ſequatur, quòd amicum novum diligat, tanquam finem ultimum; benè

tamen

tamen hoc ſequitur, quando rem aliquam ita volumus, ut propter illam relinquamus id, quod prius tanquam finem ultimum amabamus; quia cùm ultim⁹ finis ſit ſuper omnia deſideratus, & amatus, non poteſt is relinqui, & non amari, niſi propter id, quod quis ſuper omnia diligit, & appetit. Subſumo: ſed homo per peccatum mortale non tantùm quomodocùnque præfert creaturam, eámque plus quàm Deum amat, ſed & inſuper eum propter illam relinquit. Unde rectè infertur, quòd (quantùm quidem quo ad affectum) creaturam amet plus quàm Deum, quódque creaturam conſtituat ultimum finem, non modò *negativè*, ſed & *poſitivè*, ſimpliciter ac abſolutè. Ille enim finis eſt ultimus *poſitivè* ſimpliciter & abſolutè, qui non ordinatur in alium, ſed econtrà omnia in ipſum; ita autem ſe habet creatura reſpectu peccantis mortaliter. Ergò &c.

4. *Obijc. 1.* Poteſt quis amare amore inordinato mulierem fornicariam, ita ut pro uſu ejus paratus ſit dare 6. aureos, & non plures, qui tamen ſimul paratus ſit propter Deum alicui pauperi dare 20. aureos, quos non daret pro illâ muliere. Jam ſic; talis amando illam mulierem peccaret mortaliter, & tamen illam non diligit plus, quàm Deum; quia pro Deo plura dare paratus eſt, & conſequenter in illâ non conſtituit ſuum ultimum finem. *Caſus.*

℞. 1. Quòd ejuſmodi fornicarius ſolùm amore *concupiſcentiæ* plus amet Deum, quàm mulierem; quatenus naturaliter fertur in Deum, ut eſt Bonum univer-

Digitized by Google

ſale totius Univerſi; non autem amore *amicitiæ*, quo diligimus Deum, ut ultimum finem.

℞. 2. Ex hoc argumento benè inferri, quòd ille, qui vult fornicationem, nec tamen vult pro illâ dare tantùm, quantùm pro eleemoſynâ, plus quidem amet eleemoſynam, quàm fornicationem, ſicque fornicatio non ſit ultimus ejus finis adæquatè & *formaliter*, ſed pars quædam *materialis* ultimi finis, propriæ ſcil. convenientiæ inordinatè volitæ, quod non repugnat. Negatur autem, quòd ſi eandem pecuniam, quam non vult exponere pro fornicatione, exponat pro eleemoſynâ, anteponat Deum luxuriæ, aut habeat Deum pro ultimo fine ſimpliciter; quia etſi quidem *ſpeculativè*, & *ſecundùm quid* præponat Deum tali mulieri; *practicè* tamen, & ſimpliciter plus diligit voluptatem, & actum inordinatum, quàm Deum ipſum; cúm Deum propter hujusmodi voluptatem deſerat, ipſiúsq; præcepta contemnat.

Caſus. 5. *Obijc.* 2. Sit caſus, quo filius aliquis eligat potiùs incurrere gravem indignationem Patris, quàm deſiſtere ab occultando ſervo, quem pater quærit ad necem; in hoc caſu ex occultatione illius ſervi non benè infertur, quòd filius plus diligat ſervum, quàm patrem; quia cum hoc, quòd filius per occultationem ſervi eligat incurrere indignationem Patris, ſtat adhuc, quòd filius ille ſit paratus exponere propriam vitam pro patre, quam tamen non exponeret pro ſervo; ergò ſimiliter, quando homo nimis amando aliquam creaturam in hoc graviter offendit Deum, non ideo homo ille plus diligit creaturam, quàm Deum, & conſequenter

Digitized by Google

ſequenter graviter offendendo Deum, non conſtituit ultimum ſuum finem in creaturâ. Confirmatur argumentum caſu, quo Rex in regno ſuo ferret decem præcepta, contraria præceptis Decalogi, quæ Deus tulit; hoc caſu ille, qui ſervaret novem propter Deum, & unicum propter Regis mandatum, plus amaret Deum, quàm Regem, & tamen transgrediendo unicum præceptum Decalogi, peccaret mortaliter; ergò falſum eſt, quòd ille, qui peccat mortaliter, plùs diligat creaturam, quàm Deum. *Caſus.*

℟. Ad argumentum principale conced. antec. neg. conſeq. Tum quia Amicitia Divina conſiſtit in indiviſibili, non autem ſic amicitia humana; & ideo illa amittitur per unicum actum contrarium, non verò iſta. Tum etiam quia Filius offendens Patrem, per hoc nondum aufert, quantùm in ſe eſt, vitam & totam ſubſtantiam Patris, quod tamen facit peccator reſpectu Dei: cùm enim Deus ſit ſua Bonitas, qui ab eo aufert bonitatem, & rationem ultimi finis, ipſam quoque Divinitatem, quantùm eſt ex ſe, & proprio affectu, deſtruit.

℟. Ad confirm. negando, quòd talis obſervando novem præcepta Decalogi, & tranſgrediendo unicum, diligat Deum, ut ultimum finem; quia dilectio Dei, ut finis ultimi, eſt dilectio Dei ſuper omnia; Dilectio autem Dei ſuper omnia includit obſervantiam omnium mandatorum Dei; unde qui tranſgreditur unicum Dei præceptum, non amat illum ſuper omnia, ſicque nec ut ultimum finem.

Digitized by Google

6. *Obijc. 3.* Quando quis peccat mortaliter cum affectu ſe convertendi, & agendi pœnitentiam, non relinquit Deum, niſi ad tempus duntaxat. Ergò non ponit ſimpliciter pro ultimo fine creaturam, quia non *pro ſemper* illi ſubijcitur; ſicut econtrà non verè convertitur in Deum, qui agit pœnitentiam cum animo iterum peccandi.

℟. Quòd ille, qui peccat cum affectu agendi pœnitentiam, adhuc ponat ultimum finem in creaturâ, licet non *fixè*, ac ſtabiliter; quia appeteret illam, ut finem ultimum, appetitûs ſui ſatiativum, quod ſufficit ad ponendum ultimum finem in creaturâ: *quia malum ex quocunque defectu conſurgit*; quod tamen non ſufficeret ad ponendum ultimum finem in Deo, ſi converteretur cum propoſito peccandi, & relinquendi illum; quia converſio ad Deum debet eſſe vera & perfecta, utpote ad verum bonum ordinata, quod *ſemper eſt ex integrâ cauſâ*; & ita petit cor ſincerum, & propoſitum verum, quod non habet ille, qui cum animo recedendi, & recidendi convertitur.

Obijc. denique; poteſt aliquis peccare mortaliter in gratiam ſui proximi, quem minùs diligit, quàm ſe ipſũ; ergò ſimiliter poteſt quis peccare mortaliter propter creaturam, quam tamen minùs diligat, quàm Deum. Antec. patet; quia poteſt quis peccare pro aliquo. V g. furando, pro quo tamen nollet perdere digitum ſuum, vel aliud proprium, & ſic plus diligeret ſe, quàm amicũ. Conſeq. verò probatur à paritate rationis. Ergò &c.

℟. Neg. Conſeq. quia diſpar inter creaturam & Deum ratio eſt reſpectu peccati mortalis, & inter amicum,

cum, & ſe ipſum; nam peccatum mortale intrinſecè includit averſionem à Deo, cùm ſit receſſus ab illo; eò quòd objectum creatum, ad quod quis convertitur, magis diligatur, quàm Deus: dilectio autem ſui ipſius non excludit dilectionem amici, nec econtrà. Ex hactenus dictis

7. *Nota 1.* hanc propoſitionem: *peccans mortaliter non conſtituit finem ultimum in creaturâ*: abſolutè prolatam, eſſe ſingularem, & temerariam; *ſingularem* quidem; quia uno excepto Adriano, omnes contrarium docent, licet in modo explicandi, quâ ratione creatura ſit ultimus finis peccantis mortaliter, non conveniant. *Temerariam* autem; quia temerarium eſt, in re gravi diſſentire à communi omnium conſenſu; quòd verò peccator peccando mortaliter, convertatur àd creaturam, res eſt gravis. Ergò.

Nota 2. hanc propoſitionem; *peccans mortaliter non eo ipſo avertitur à Deo, ſed adhuc diligit Deum ſuper omnia*, eſſe erroneam, immò proximè accedere ad hæreſin. Et Probatur ex locis S. Script. ſuprà adductis, in quibus apertè dicitur, peccantem mortaliter averti à Deo, non habere charitatem, & dilectionem Dei &c. An verò Adrianus prædictis cenſuris ſit involvendus, res eſt diverſa. Valentia, Salas, & Alvarez excuſant Adrianum, ut non apertè locutum, quod ad noſtrum intentum parùm conducit; nos enim falſam, & non ſanam doctrinam, non perſonas, vel Auctores inſequimur. His ita conſtitutis, conſequenter inquirimus, quænam ſit creatura illa, in quâ peccans mortaliter ſecundùm rationem errantem, hoc eſt, per-

Digitized by Google

vertendo ordinem rationis & rerum, finem ultimum, & Beatitudinem pro tempore, quo peccat, ſimpliciter conſtituat?

Reſpondeo 2.

Loquendo de fine Cui, *ultimatè intento in actu peccati mortalis, eſt ipſe operans, ſeu illa perſona, cui peccans appetit objectum illud, propter quod maximè peccat.* Eſt Cajet. & Conradi hîc, & multorum aliorum Thomiſtarum.

Caſus. 8. Explico. Peccat quis Vg. comedendo carnes in die prohibito; hoc caſu dicimus quòd comedens, qui carnes appetit, ſit finis *Cui.* Similiter furatur quis, ut furatum det Amicæ, Amica eſt finis *Cui.* Neque contrà hoc afferri poteſt ratio alicujus momenti, ſi *regulariter* intelligatur. Quòd ſi autem ponatur caſus, quo peccans mortaliter ſe, propriámque ſuam bonitatem, utilitatem, aut commodum non ſpectat, ſed illius præcisè objecti, circa quod proximè verſatur actus peccaminoſus, ita, ut peccans præter ſe ipſum, etiam ſua omnia illuc, Vg. in Idolum, aliámve creaturam, ultimatè referat, tunc utique concedendum erit, tali caſu finem ultimum non conſtitui in peccatore, ſed potiùs in creaturâ illâ, circa quam ſe ſe occupando peccat. Sed probatur reſponſio ratione. Ille eſt ultimus finis *Cui* hominis exiſtentis in peccato mortali, cui ultimatè vult, quæcunque vult; ſed exiſtens in mortali ultimatè ſibi vult quæcunque vult; ergò peccans mortaliter ſe ipſum habet pro fine *Cui.*

q. 77. a. 4. q. 8. de malo a. 1. ad 19. m. probatur primò authoritate S. D. Angel. docentis, quòd omne peccatum mortale ortum habeat ex proprio amore; amare autem, ut ait idem S. D. eſt velle

alicui

alicui bonum. Peccans igitur mortaliter ſibi ipſi vult; quæcunque vult. Deinde eadem m. probatur ratione; peccans mortaliter illi ultimatè vult, quæcunque vult, quod non ordinat in ulteriorem finem; atqui peccans mortaliter, nec ſe ipſum, nec ſibi volita ordinat in ulteriorem finem; cùm ſupponatur privatus gratiâ & charitate, quibus tantùm ordinâri poteſt in debitum finem, & conſideratur præcisè *ſecundùm ſe*, & in ſuâ naturâ, quæ propriâ virtute tendit duntaxat ad bonum ſibi commodum, & congruum. Peccans ergò mortaliter quæcunque vult, ultimatè tanqam fini *ſui*, ſibi vult.

Reſpondeo. 3.

Loquendo de fine cujus gratiâ, *creatura illa, propter quam homo peccat mortaliter, qúaque ſpecificat actum, eſt finis proximus objectivus, in quem tendit operans per operationem.*

9. Explico. Aliquando homo aſſumit unum peccatum mortale, præcisè ut medium quoddã ad aliud, velut cúm occidit, ut furetur; quo caſu homicidium non habet rationem finis, niſi forſan eatenùs, quatenùs refunditur in objectum malitia homicidij, & fit ſpecies accidentalis; quia homicidium non eſt ratio, propter quam tunc homo operatur. Quare notanter in reſponſione dixi 1. illam creaturam eſſe finem proximum objectivum *cujus gratiâ*, propter quam peccat mortaliter, quæq; ſpecificat actum. Dixi 2. ejusmodi creaturam eſſe finem *cujus gratiâ* proximum *objectivum*; quia finis *formalis* eſt ipſe actus, quo obtinetur finis objectivus; ut cùm die prohibito quis comedit carnes, caro eſt finis proximus *cujus objectivus*; *formalis* verò eſt ipſa carnium comeſtio Ita Angel. D. & videatur Caraffa. *hac.q.a.3.ad 3. hic. diſput.2. Concl. 2.* Proba-

Digitized by Google

Probatur reſponſio breviter. Ille eſt finis operantis proximus, propter quem ille operatur, licet ille finis ulteriùs ſit referibilis; ſed creatura illa, propter quam homo mortaliter peccat, ſic ſe habet. Ergò eſt finis proximus, licet non ultimus ſimpliciter, de ratione cujus eſt, ut omnia alia formaliter, vel virtualiter ordinentur in ipſum; peccans autem mortaliter non ordinat omnia alia, in objectum peccati mortalis; quia ſæpè peccat pro furto, pro cibo &c. ad quæ tamen peccans nec *expreſſè*, nec *implicitè* ex affectu, nec virtualiter ex actu præcedenti, ordinat ſe, amicos, divitias ſuas &c. immò pro his relinqueret objectum, & peccatum illud. Ergò &c.

Reſpondeo 4.

Probabilius exiſtimo, quòd regulariter *loquendo* poſitive, *abſolutè & ſimpliciter finis* cujus gratiâ *ultimus reſpectu mortaliter peccantis ſit bonum, ſeu commodum ipſius proprium.* Ita Angel. D. ubi ſuprà pro reſponſione 2. & ibidem relati DD. Et

10. Probatur ratione. Is eſt *poſitivè* ſimpliciter, & abſolutè ultimus *cujus gratiâ*, qui ab illo propter ſe appetitur abſque ordine ad ulteriorem finem, cætera autem omnia appetuntur propter ipſum; ſed proprium ipſius peccatoris commodum (Vg. delectatio, lucrum, & ſimilia) ab ipſo propter ſe appetitur abſque ordine ad ulteriorem finem, cætera autem omnia propter ipſum appetuntur, cùm unumquódque naturaliter inclinetur, & propendeat in ſui conſervationem, & perfectionem. Ergò bonum proprium eſt ultimus finis *cujus gratiâ*, reſpectu peccatoris.

Dubi-

DUBIUM. II.

Utrum qui peccat venialiter, conſtituat ultimum finem in Creaturâ?

Poſtquam dubio præcedenti diximus de peccante mortaliter, conſequens eſt ad complementum materiæ, ut dicamus de peccante venialiter, utrum ſcil. ponat finem ultimum in creaturâ, an in Deo? Quæ difficultas difficilis ſanè eſt: videtur enim, quòd nec Deus, nec creatura poſſit eſſe finis ultimus peccantis venialiter.

1. Porrò, ut nos opinionem noſtram eò rectiùs ſtabiliamus, atque tueamur, inprimis notâda hîc venit diſtinctio peccati venialis à mortali, de quâ agit S. D. infrà, *q. 27. a. 5. & q. 88. a. 1. & 2.* quòd ſcil. peccatum mortale opponatur Charitati, eámque deſtruat, & ſic aliquis avertatur à fine ultimo; peccatum autem veniale nec deſtruat charitatem, neque aliquis avertatur ab ultimo fine; unde mortali peccato debetur pœna æterna, perpetuáque carentia viſionis Dei; veniali verò debetur duntaxat pœna temporalis. Deinde

Notandum venit, non eſſe impoſſibile, aut inconveniens, quòd unus idémque actus humanus habeat duos fines ultimos, unum quidem ſimpliciter, *habitualem* tamen, alium verò *actualem*, ſed inefficaciter, & *ſecundùm quid*; præterea etiam neceſſarium eſſe, ut actus, qui habet aliquem finem *habitualiter* tantùm, habeat etiam alium, quem reſpiciat *actualiter*, licet inefficaciter tantùm; ſi enim efficaciter hunc reſpiceret, jam neque habitualiter ordinaretur ad alium ultimum finem. Ratio autem hujus doctrinæ eſt: quia quilibet actus humanus, utpotè actus ſecundus, eſt actualis tendentia in ſuum objectum,

 quod

quod eſt finis; ergò quando ordinatur tantùm ad aliquē finem *habitualem*, debet etiam ordinari in aliquem finem alium, quem *actualiter* reſpiciat, licet ſolùm *inefficaciter*. Apertum hujus exemplum eſt in homine gentili, qui facit aliquem actum moraliter bonum, nullâ aliâ circumſtantiâ appoſitâ; ille enim actus præter finem ultimum, quem habitualiter reſpicit qui eſt Idolum, habet etiam alium finem, in quem actu ordinatur, qui eſt Deus, non quidem, quòd *explicitè* referatur in Deum, quem homo gentilis non cognoſcit, ſed *interpretativè*, exercendo ſcil. talem actum circa objectum, qui ex ſuâ ratione ordinatur ad Deum, quando aliàs nulla mala circumſtantia apponitur. Hoc prænotato

Reſpondeo.

Peccatum veniale habet duos ultimos fines, quorum unum reſpicit ſimpliciter & abſolute, habitualiter *tantum*, *& hic in homine juſto eſt Deus; in eo autem, qui habet peccatum mortale, eſt creatura, in quâ mortaliter peccans conſtituit finem ultimum* (1.) *alterum verò reſpicit* actualiter (2) *imperfectè tamen*, inefficaciter *& ſecundùm quid, & hic eſt creatura illa, quæ eſt objectum peccati venialis* (3.) Ita Petrus de Pergamo, & Cæſar Aug.

In tabulâ aurea dub. 259. hic. diſp. 15. Concl. 9.

2. Explico. Finis ſimpliciter & abſolutè ultimus tunc cenſetur *efficaciter* volitus, quando homo ſe, & omnia ſua in ipſum ordinat, & propter ipſum à quolibet alio fine ultimo, in quem prius erat converſus, avertitur, velut accidit, cùm homo juſtus peccat mortaliter; vel econtrà exiſtens in peccato mortali juſtificatur, pérque gratiam, & charitatem in Deum convertitur. *Inefficaciter* verò finis ultimus tunc cenſetur volitus, quando homo ex vi illius

illius non avertitur ab ultimo illo fine, in quem iam eſt cõverſus; quemadmodum fit, cùm homo exiſtens in peccato mortali, elicit aliquem actum moraliter bonum, Vg. jejunat, ſeu dat elleemoſinam; tunc enim peccator per ejusmodi actum convertitur in Deum, ut ultimum finem, ſed tamen *inefficaciter* tantùm, quia ex vi talis actûs non avertitur à bono commutabili. Jam

Probatur 1. p. Reſpons. authorit. S. Thomæ, ubi loquens de objecto peccati venialis ſic habet: *quod amatur in peccato veniali, amatur habitu, etſi non actu.* Et expreſsè: *ille, qui peccat venialiter, duplicem habet finem, Deum ſcil. & aliquid creatum; amat enim aliquid cum Deo, quod etſi non actu, tamen habitu propter Deum amat;* *22. q. 24. a. 1. ad 2. q. 7. de malo a. 1. ad 4. a. 2. in corp. & ad 1.*

Probatur eadem pars ratione, ex locis citt. deſumptâ. Nam peccatum veniale in homine juſto compatitur ſecum gratiam, & habitum charitatis; in peccatore verò compatitur peccatum mortale; ergò peccatum veniale in homine juſto ordinatur *habitualiter* in Deum, ut ultimum finem; in peccatore autem *habitualiter* reſpiciet ut ultimum finem, ipſum objectum peccati mortalis. Antec. patet. Conſeq. verò probatur; quia proprium eſt charitatis, hominem unà cum omnibus actionibus ſuis ordinare in Deum tanquam ultimum finem; & ille, qui eſt in peccato mortali, manet *practicè* ordinatus ad creaturam, quam dilexit; ſed nec habitus charitatis, nec ille, qui eſt in peccato mortali, refert peccatum veniale *virtualiter*, vel *actualiter* in Deum, vel in objectum peccati mortalis (quia aliàs vel non eſſet peccatum, vel eſſet mortale, quorum utrũque falſum eſt) ergò refert tantùm *habitualiter*, Atque

hæc ordinatio habitualiter pulchrè declarari poteſt hac ſimilitudine: *quemadmodum is, qui agrum ſegete plenum offert in munus, unacum utili ſegete offert, paleam, pulverem &c. Ita qui per habitum Charitatis, ſe, ſuáque omnia in Deum refert, peccata quoque venialia in eum dirigit, quæ tamen non ſunt meritoria, eò quòd non ſint capacia meriti, ſicuti penes paleam, pulverem, & grana inutilia non penſatur munus offerentis ſuum agrum.* Quare cùm dicimus venialiter peccantem in Deum referri *habitualiter*, non eo ſenſu intelligi debet, quaſi veniale, quod committit, ratione ſui modo prædicto in Deum referatur (hac enim ratione utique in Deum eſt irreferibile) ſed ſolùm quatenus ordinatio habitualis ſe ſe tenet ex parte ſubjecti, in amore Dei habituati.

3. Probatur 2. p. Reſpons. peccatum veniale cùm ſit quidem actus humanus, debet habere aliquem finem ultimum, in quem *actualiter* tendat, ſed non tendit *actualiter* in Deum ut finem ultimum; ergò in creaturam, cùm non detur medium. m. patet; quia actus, qui *actualiter* vel *virtualiter* in Deum ut in ultimum finem refertur, non poteſt eſſe malus, ſed eſt meritorius, cujuſmodi non eſt peccatum veniale. M. etiam conſtat ex notabili præmiſſo, & ulterius declaratur ratione S. Thomæ hoc modo: quia cùm finis ultimus inter moventia appetitum, ſit primum movens, ſi ipſe moveat voluntatem actualiter ad aliquem actum, tunc neque fines intermedij actu movebunt, & ſic nulla ſequetur operatio; ergò ad quamcunque operationem voluntatis requiritur motio finis ultimi; & conſequenter quælibet actio voluntatis debet habere ultimum finem, in quem actu tendat. Pro-

Probatur 3. p. Reſp. quia ſi peccatum veniale *efficaciter* ordinaretur in creaturam, ut finem ultimum, non poſſet ſimul etiam *habitualiter* ordinari in Deum; qui enim actualiter & efficaciter ordinatur ad unum finem, relinquit alium, & avertitur ab eo. Ergo peccatum veniale imperfectè ſolùm atque inefficaciter oadinatur in creaturam ut ultimum finem.

Dices 1. S. Thomam infrà ſic habere; *ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens; quia non conſtituit in eo finem; ſed ut utens, referens in Deum, non actu, ſed habitu.* Ergò peccans venialiter non conſtituit finem ultimum in creaturà. Item: *veniale autem non convertitur ad bonum commutabile, ut ad finem.* Et: *qui peccat venialiter, non ſic inclinatur ad creaturam, ut avertatur à Deo aliquo modo, non enim convertitur ad creaturam, ut ad finem.* *q. 88. a. 1. ad 3.* *q. 7. de malo a. 1. ad 3.* *ibidem ad 2. in corp.*

℟. Neg. ſequel. quia peccans venialiter non reſpicit creaturam, ut ultimum finem *efficaciter*, quemadmodum peccans mortaliter, ſed ſolummodò *inefficaciter*; atque ideo non cauſat perfectam converſionem ad bonum commutabile, requiſitam ad peccatum mortale.

Dices 2. Si peccans venialiter conſtitueret ultimum finem in creaturâ dicto modo, ſequeretur, quòd peccans venialiter æque, ac peccans mortaliter converteretur ad illam, tanquam ad finem ultimum, ſicque peccans venialiter, peccaret mortalirer; ſed in hoc eſt contradictio. Ergò &c.

℟. Quòd licet venialiter peccans dicto jam modo conſtituat ultimum finem in creaturâ, non tamen dicatur frui illâ, velut rectè dicit S. Th. quia ut ait S. Aug. *frui eſt* *lib. 7. de doctr. Chriſtianâ.*

amore inhærere alicui propter ſe ipſum; objectum autem peccati venialis adhuc habitualiter amatur propter Deum. Præterea etiam ad hoc, ut aliquis dicatur Beatus, non ſatis eſt, ut videat Deum per modum *tranſeuntis*, quod eſt videre Deum *ſecundùm quid*, ſed neceſſe eſt, ut videat Deum *permanenter*, quod eſt videre Deum *ſimpliciter*. Similiter ergò, ut quis dicatur frui creaturâ ut fine ultimo, non ſufficit, ut *inefficaciter* & ſecundùm quid tantùm ordinatus ſit ad creaturam, ut finem ultimum, velut fit in peccato veniali; ſed debet ſimpliciter atque efficaciter ad creaturam eſſe ordinatus, quod tantùm fit per peccatum mortale. Quòd porrò S. D. ibidem addat, quòd qui peccat venialiter, non ponat finem ſuum in bono temporali, intelligi debet, quòd *ſimpliciter* non ponat finem ſuum in eo, tanquam fruens illo. Et in hunc quoque modum intelliguntur alia loca adducta.

§. 4.

Utrum Viator, quæcunque vult, velit propter ultimum finem?

Certum eſt, non omnem actum humanum referri actu & formaliter in ultimum finem, etiam *formaliter* ſumptum; nam ſæpè appetimus aliqua bona particularia, cùm nec Dei recordamur, neque boni in communi; actualis autem relatio alicujus in finem requirit actualem cognitionem finis.

1. Ethicor. c. 4. & 1. Phyſic. c. 5. hic q. 6. Et infrà q. 60. a. 2. in ☉ in 2. diſt. 38. q. 4. in 1. diſt. 1. q. 3. a. 2. in 2. diſt. 38. q. 3. ſolut. ad 3.

Concluſio 1.

Neceſſe eſt, ut homo omnia, quæ appetit, appetat propter finem ultimum formalem. Ita Ariſtoteles. D. Angel. Durandus, Capreolus, & Richardus.

1. Expli-

1. Explico. finis ultimus duplex eſt; alius *formalis*, alius *materialis*: finis ultimus *formalis* eſt ratio boni pleni, & perfecti, quod eſt ratio boni ut ſic, & Beatitudinis in communi. Finis ultimus *materialis* eſt id, in quo talis plenitudo bonitatis invenitur, prout in rei veritate invenitur in ſolo Deo; ſecundùm exiſtimationẽ verò operantis ſæpiùs etiam in creaturis. Alii aliis verbis ſed eodem ſenſu duplicem hunc finem ſic explicant. Primò finis ſpectari poteſt in confuſo, *abſtractè*, & univerſim, prout ſignat ſtatum quemdam, in quo eſt privatio omnis mali, & cumulus omnium bonorum, explens totum hominis appetitum, nihil interim attendendo, utrum hæc felicitatis ratio reperiatur in bonis corporis, vg. divitiis, honoribus &c. an verò in re quadam ſpirituali, ut in viſione beatificâ. Secundò *particulatim*, prout nim. ea ratio felicitatis, ſeu cumulus bonorũ in re aliquâ certâ conſtituitur. Quo pacto alius hujuſmodi finis eſt *verus*, & ſecundùm rem, quique eſt Deus ſolus; alius autem *falſus*, & eſt hæc vel illa creatura, cui operans affectu perverſo, vel etiam judicio erroneo hanc ſummæ felicitatis rationem affingit. Jam

2. Probatur Concl. 1. quia quid quid appetitur, vel appetitur ut ultimus finis, vel ut quid ordinatum ad ipſum. Ergò quilibet motus appetitûs vel eſt immediatè circa finem ultimum, vel circa aliquid in ipſum relatum. Antec. probatur quia quid quid appetitur appetitur ſub ratione boni; ſed hoc vel eſt perfectum, ut ultimus finis, vel eſt tendens in bonum perfectum, ſicut eſt inchoatum alicujus, quod ordinatur ad conſumationem ipſius. Ergò &c.

Probatur 2. Ultimus finis in movendo appetitum ſe habet, ſicut primum movens in aliis motionibus: ſed manifeſtum eſt, quod cauſæ ſecundæ non moveant, niſi

ſecun-

Digitized by Google

ſcundùm quod moventur à primo movente. Ergò etiam ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.

Concluſio 2.

Omnes actiones hominis deliberatæ ſunt propter ultimum finem formalem. Ita conformiter his, quæ ſuprà diximus. §. 1. Concl. 2. n. 6. Contra Scotum.

in 4. diſt. 19. q. 4.

3. Explico. Scotus vult, quòd licet appetitus naturalis, qui eſt determinatus ad unum nihil appetat, niſi propter finem *formalem*, appetitu tamen deliberato & elicito benè poſſit aliquid appeti ſine ordine ad finem ultimum formalem; atque ita homo in actibus ſuis non ſemper operetur propter finem *formalem*. Sed:

Probatur Concl. noſtra impugnando fundamentum Scoti. ſi Viator non ſemper in omnibus ſuis actionibus deliberatis moveretur propter ultimum finem *formalem*, eſſet id maximè; quia cùm ſit liber in agendo, poteſt pro ſuâ libertate intendere, vel non intendere finem ultimum formalem; hæc autem ratio eſt nulla. Ergò m. probatur; quia licet homo quo ad *exercitium* liber ſit circa finem ultimum *formalem*, neceſſitatur tamen circa illum quo ad *ſpecificationem*, pro ut alibi doceri ſolet: Licet ergò homo ceſſare poſſit à volitione ultimi finis *formalis*; & licet etiam velle poſſit hoc vel illud bonum particulare, & non aliud; quando tamen aliquid vult, non poteſt non velle bonum ut ſic, in quo ſita eſt ratio ultimi finis *formalis* Verùm:

4. *Obijc.* 1. Homo fidelis verè credit, ultimum finem ſuum, & beatitudinem conſiſtere in Beatificâ Dei viſione; & etiam verè credit, fornicationem non ſolùm non ordi-

Digitized by Google

ordinari in finem illum, verùm eidem etiam repugnare. Jam ſic in formâ; quando homo agit contrà ultimum finem, non agit propter ipſum; ſed homo quandoque agit contrà illum, ut patet in homine fideli, dum fornicatur, & multò magis in illo, qui ſe ipſum occidit. Ergò talis non agit propter ultimum finem *formalem*; cùm nemo poſſit appetere propter ultimum finem id, quod ultimo fini opponitur.

℟. Ad argum. in formâ, permiſsâ in ſenſu ſuo M. diſtinguendo m. homo quandoque agit contrà ultimum finem, *materialem* vel *particularem*, ſcil. contrà Deum, concedo m. agit contrà finem ultimum *formalem*, ſeu beatitudinem in communi, nego m. quia cùm aliquis peccat, vel ſe ipſum occidit, bonum aliquod tunc operans vult, ſcil. vel illam creaturam, propter quam peccat, vel vitationem miſeriæ, propter quam ſe occidit, quæ omnia ordinantur in finem ultimum *formalem*. Ad propoſitum noſtrum pulchrè dixit S. Auguſt: *qui bonus eſt, ideo bonus eſt, ut beatus ſit; & qui malus eſt, malus non eſſet, niſi inde ſe beatum fore, ſperaret.* Unde quando dicitur: *peccatum repugnare Beatitudini*; diſtinguo; *veræ*, & in particulari ſumptæ pro viſione beatificâ, concedo. Beatitudini *apparenti*, & in communi ſumptæ, nego; quia nemo operatur, niſi per ordinem ad beatitudinem, ut ſibi benè ſit. *Tract. de Stoicis c. 3.*

Obijc. 2. Per nos ſequitur, nullum opus, nullúmque verbum eſſe otioſum; quia otioſum dicitur, quod caret fine; ſed per nos nullum opus caret ſuo fine, ſaltem ultimo. Ergò.

℟. neg. ſequel. ad probationem dico, adhoc, ut aliquod.

liquod opus, aut verbum non ſit otioſum, non ſufficere quòd referatur ad beatitudinem in communi; ſicut neq; hoc ſufficit, ut actus ſit bonus; quia beatitudo in communi comprehendit bonum *verum* & *apparens*. Ne igitur opus aliquod ſit otioſum, & actus aliquis bonus, referri debet in finem debitum, & honeſtum. Itaque verbum, aut actus otioſus dicitur, quia caret fine debito, aut honeſto, & quia ex naturâ ſuâ, & ex parte objecti eſt indifferens, neque habet aliam malitiam, quàm quòd in individuo non ordinetur ad finem debitum & honeſtum. Ex dictis ſequitur, unum eundémq; finem ultimum eſſe omnium viatorum, ſi is ſecundùm communem & *abſtractam* rationem conſideretur; *beati enim eſſe omnes volumus*; non item eſſe eundem, ſi is *ſpecialiter*, & particulatim ſpectetur. . Utramque partem S. Th.
1. 2. q. 1. ſimilitudine dulcedinis probat, & explicat; quamquam enim omni guſtui dulcedo ſit delectabilis, non tamen eadem dulcedo cuilibet eſt delectabilis; alius enim delectatur dulcedine vini, alius dulcedine lactis, alius mellis &c. ita ferè omnes quidem viatores unum, eundemque finem appetunt univerſim, ſub ratione beatitudinis ſpectatum, non tamen in eundem feruntur, ſi ſub ratione *particulari* conſideretur; alii enim viatorum finem habent *verum*, ſcilicet Deum, ad quem omnia referunt, cui *habitualiter*, vel *virtualiter*, imò perſæpe etiam *formaliter* placere deſiderant; alii econtrà habent *apparentem* tantùm, & falſum, hanc nim. vel illam creaturam, cui ordine perverſo rationem Beatitudinis applicant. Sed reſtant duæ adhuc in præſenti difficultates, quarum prima inter Thomiſtas etiam, in explicatione prædictæ

implicitæ, vel *virtualis* relationis ad beatitudinem in communi, agitatur hoc modo.

Difficultas. I.

5. *Vtrum ad volitionem cujuscunq; boni particularis debeat tempore, vel naturâ præcedere volitio ultimi finis?* Vel: *Vtrum adhoc, ut volitiones bonorum particularium ſint propter ultimum finem formalem, requiratur, quod præceſſerit propria, & diſtincta volitio ultimi finis, virtute cujus volitiones bonorum particularium referantur in finem ultimum; an verò ſufficiat, quòd in volitione boni particularis implicitè ſimul appetatur & ultimus finis?*

Reſpondeo.

Probabilius videtur, ad hoc, ut homo velit omnia propter ultimum finem, non requiri, ut prius cogitet de ultimo fine, illumq; appetat; ſed ſufficere, quòd omnia, quæ appetit, ſuapte naturâ illuc ordinentur. Ita Alvarez, & Curiel contrà Medinam, Martinez & alios probabiliter etiam tenentes, ad quamcunque volitionem boni particularis debere, ſi non tempore, certè naturâ præcedere volitionem ultimi finis, in cujus virtute poſtea appetantur & bona particularia. Sed noſtræ reſponſionis

Ratio eſt: Tum quia voluntas circa bonum in communi libera eſt quoad *exercitium*. Ergò poteſt ceſſare à volitione expreſsâ boni in communi, & tendere in bonum particulare. Tum etiam, quia experientiâ conſtat, multos tendere in bona particularia, & non recordari boni in communi; præſertim verò puer, dum venit ad uſum rationis, poteſt ferri in bonum aliquod particulare, abſque eo, quòd feratur in bonum in communi. Quare licet quis tendat in bona particularia, quia

tamen illa ex ſuâ naturâ ordinantur in ultimum finem, ſicut partes ad ſuum totum, vel ſicut inchoationes boni perfecti ad bonum perfectum, ut hîc docet S. Th. ideo etiam ſimpliciter *implicitè* & virtualiter ſemper tendit in ultimum finem. Paulò aliter ſententiam ſuam idem Alvarez explicat dicendo; voluntatem poſſe dupliciter appetere aliquod objectum, ſemel ut *Quod*, deinde ut *Quo*, ſive ut ratio appetendi. Dicit itaque, non eſſe neceſſarium, ut voluntas in primo actu explicitè appetat ultimum finem, tanquam id *Quod* appetitur, ſed ſufficere, ut illud appetat ut *Quo*, ſive ut rationem ultimam, propter quam objectum illius actûs eſt appetibile. Et ex his ſolvuntur pleraque argumenta Medinæ, & Martinez.

Tum in corp. tum in reſpons. ad. 5.

6. *Dices*: S. Thomas in hoc articulo videtur docere contrarium noſtræ ſententiæ; nam in corp. ait: *quòd ultimus finis ſe habeat ſicut primum efficiens*; atqui certum eſt, quòd motus primi efficientis præcedat alium quemcunque motum alterius cauſæ ſecundæ. Ergò idem dicendum eſt de motione ultimi finis, & ejus intentionis reſpectu rerum particularium. Deinde in reſpons. ad 3. ait: *quòd virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, maneat in quolibet appetitu cujuscunque rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitet.* Ex quo videtur appertè colligi, antè quemlibet appetitum cujuscunque rei præcedere debere intentionem ultimi finis.

℟. Comparationem ultimi finis cum primo efficiente à S. Th. hoc articulo ſolùm in eo conſtitui, quòd ſicut cauſæ efficientes nil poſſunt efficere, niſi per virtutem acceptam à primâ; ita bona particularia non poſ-

ſint movere voluntatem, niſi quatenus habent virtutem participatam ultimi finis; quatenus ſcil: ſunt participationes vel inclinationes illius; ad quod tamen non eſt neceſſarium, ut præceſſerit appetitio propria, & diſtincta finis ultimi, ſed ſalvatur talis dependentia bonorum particularium ab ultimo fine in ipſo actu, quo bona particularia appetuntur. Quòd ſi autem Quæras; *cur in cauſis efficientibus naturâ prius debeat præcedere motio primi efficientis, non autem in finalibus?*

7. ℞. Provenire hoc ex proprio modo cauſandi cauſæ finalis; quia finis cauſat, ſecundùm quod eſt in intentione agentis; & quia intellectus poteſt in cognitione practicâ priùs apprehendere bonum particulare, ut bonum proſequendum, quàm bonum univerſale; ideo fieri poteſt, ut voluntas appetat bonum particulare, antequam præceſſerit formalis volitio ultimi finis. Econtrà cauſa efficiens cauſat, ſecundùm quod eſt à parte rei extrà intellectum; & ideo non eſt paritas. Jam ad alterum locum ex reſpons. ad 3.

℞. Quòd in appetitu cujuscunque rei particularis dicatur manere virtus primæ intentionis, non quòd præceſſerit actualis aliqua intentio ultimi finis, ſed quia manet aliquid virtualiter, dependens ab ultimo fine, & ordinatum ad ipſum, reſpectu cujus aliàs datur prima intentio. Unde ſicut in quovis bono particulari eſt virtualis participatio ultimi finis, ita etiam in quovis appetitu boni particularis virtualiter eſt deſiderium ultimi finis; & propter hoc dicit S. D. virtutem primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, manere in appetitu cujuscunque rei.

Difficultas 2.

Utrum homo Viator in omnibus ſuis operationibus operetur propter ultimum finem materialem, qui eſt DEUS?

8. Certum eſt 1 hominem Viatorem, dum liberè operatur, in omni actione ſuâ neceſſariò ſibi præfigere finem ultimum Deum, ſi loquamur de neceſſitate *morali*, ſeu *præcepti*; non item, ſi loquamur de neceſſitate *phyſicâ*, ſeu *facti*. Prima p. patet ex S. Script. *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in Gloriam Dei facite.* Itaque Deus ipſe eſt finis iſte perfectiſſimus, ad quem viator ex intentione omnia referre debet. Quod tamen non ita eſt intelligendum, quaſi ſemper toties, quoties operatur, actu teneatur vitam, & omnia Sua in Deum referre, ſed ſufficit, ſi ſaltem ſubinde id faciat. Et Ratio hujus doctrinæ eſt; quia Viator in agendo, & expetendo unam rem propter aliam, tenetur eum ordinem obſervare, quem res ipſæ ab Authore naturæ acceperunt; atqui res ordinatæ ſunt ad aliquem perfectiſſimum, & ſupremum finem, ſcil. Deum, *qui omnia propter ſemetipſum fecit.* Ergò & Viator tenetur res ipſas in ordine ad hunc finem expetere. Quæ ratio etiam ex eo confirmatur, quòd quivis adultus obligatus ſit ad conſecutionem ultimi finis adlaborare, cùm igitur abſque propriâ induſtriâ non conſequatur, neceſſe eſt, ut in eum operationes ſuas inſtituat. Altera pars ex præcedenti ſatis clara eſt; poteſt enim Viator moraliter & liberè operari propter particularem tantùm finem cujuſcunque negotij; id quod nimis conſtat exemplo eorum, qui nullam unquam de ſupremo fine cogitationem ſuſcipiunt, & *quorum Deus venter eſt.* Ex his amplius.

1. Corinth. 10.

Proverb. 16.

Philipp. 3. 19.

Certum

Certum eſt 2. quòd homo in actionibus ſuis bonis operetur propter ultimum finem, Deum, *vel expreſſè* & *explicitè*, quod fit, quando Deus in ſeipſo cognoſcitur, & in ipſum ſic cognitum actu omnia referuntur; vel *implicitè* & *interpretativè*, quatenus ſcil. homo, etiamſi non cognoſcat Deum, agit tamen propter bonum aliquod creatum, non ponendo in illo ultimum finem, ex quo ſcil. Deus eſt Fons & Origo Bonitatis, cujus participatione omnia bona creata ſunt talia. Hinc qui appetit bonum aliquod creatum, niſi in eo conſtituat ultimum finem, *implicitè* & *interpretativè* tendit in Deum, ut patet in Infideli, qui ex naturali dictamine rationis facit eleemoſynam, nullâ aliâ malâ circumſtantiâ eam vitiante. Difficultas ergò eſt, an actiones peccaminoſæ fiant propter Deum, ut ultimum finem? Pro quo

Notandum, In quolibet peccato duo reperiri, unum *materiale*, & eſt eſſentia; ſeu entitas actûs; alterum *formale*, & eſt deformitas, ſeu malitia peccati. Cæterùm eſſentia, & entitas actûs poteſt adhuc dupliciter conſiderari; uno modo, quatenus eſt à Deo; alio modo, quatenus eſt ab homine. His prænotatis, & relictis aliorum ſententijs, ad difficultatem

Reſpondeo.

Etſi quidem peccata formaliter *ſpectata non fiant propter Deum, ut ultimum finem; ipſa tamen ſubſtantia, & entitas actûs peccaminoſi* (etiam ut eſt ab homine) *eſt propter Deum, ut ultimum finem.* Ita communis, ſaltem Thomiſtarum.

9 Probatur 1. p. Reſpons. Tum quia per peccatum mortale avertitur homo à Deo, & pro ultimo fine habet

bet creaturam. Tum etiam, quia Deus nequit dici cauſa peccati quò ad malitiam & deformitatem. Ergò hæc nec ullo modo referri poteſt in illum.

Probatur etiam 2. p. quia omnia, quæ procedunt à Deo, tanquam à primâ cauſâ efficiente, reducuntur in ipſum, ut ultimum finem; ſed entitas actûs peccaminoſi, etiam quatenus eſt ab homine, procedit à Deo, ut primâ causâ efficjente. Ergò M. probatur ex loco ſupra cit. *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus.* & ex S. Th. in pluribus locis, ubi ex eo probat, Deum eſſe ultimum finem omnium rerum, quia eſt earum prima cauſa efficiens. m. etiam probatur: nam licet actio peccaminoſa ſecundùm quod procedit à voluntate *deficiente*, ſit mala; quatenus tamen quo *ad ſubſtantiam* & entitatem bona eſt, ſic procedit efficienter tum ab ipſo Deo, tum ab homine, ut à Deo ad eam producendã præmote; adeoq; ſicut actio bona, ut procedit ab homine, eſt efficienter à Deo, adeoque propter ipſũ, ut finem ultimum *materialem*, propterea quia bona eſt; ita etiam actio mala, quatenus ſecundùm ſuam entitatem & *ſubſtantiam* eſt bona, efficienter erit à Deo, & conſequenter propter ipſum, ut finem ultimum *materialem*.

Proverb. 16

10. *Dices:* impoſſibile eſſe, ut eadem actio, pro ut ſemel egreditur ab agente, habeat duos ultimos fines, adeoque cùm entitas peccati mortalis, ſecundùm quod egreditur ab agente creato, habeat pro fine creaturam, non poterit eadem pro fine habere Deum.

R. Quòd eadem actio ſecundùm eandem rationem non poſſit referri in duos ultimos fines; benè tamen

men ſecundùm diverſas rationes. Quare eadem actio ſecundùm entitatem *phyſicam*, ſicut procedit à Deo, ut cauſâ efficiente, ita etiam habet eundem pro fine ultimo: & ſicut eadem actio ſecundùm moralitatem & malitiam procedit à peccatore, ùt cauſâ deficiente, ita etiam habet eundem pro fine ultimo.

CAPUT II.

De his,

In quibus Beatitudo hominis conſiſtit.

POſtquam S. D. cap. præcedenti egit de ult. fine in communi, pergit modò ad finem hominis in particulari, agendo ſcil. de ipsâ re, cui ratio ultimi finis, ſeu beatitudinis convenit. Et licet circa hoc inter Chriſtianos nulla ſit difficultas, fuit tamen inter Antiquos Philoſophos olim ſummè controverſum, ita ut teſte S. Auguſt. ducentæ, & octoginta octo diverſæ eorũ opiniones numerarentur, quarum præcipuas, eas ſcil. quæ rationi magis conſonæ videbatur, in prioribus duabus qq. S. D. refutat, & tandem ſecluſis erroribus veritatem aperit, & confirmat in articulo ultimo.

lib. 19. de Civit. c. 1.

§. I.

An finis, ſeu Beatitudo Viatoris ſit aliquid in his terris?

Finis Viatoris dividitur in *formalem* & *objectivum*, ad eum ferè modum, quo logici ſolent intentionem formalem, & objectivam diſtinguere; ita ut hæc ſit res ipſa cognita & objecta; illa verò ſit cognitio ipſa, & formalis conceptus objecti; ita etiam finis *objectivus* eſt res ipſa, cujus poſſeſſio deſideratur, ut ab avaro pecunia; qui etiam *finis Qui* dici ſolet; finis verò *formalis* eſt ipſa poſſeſſio, ſeu

operatio aliqua, aut quaſi operatio, per quam nobis finis objectivus, ſeu res deſiderata conjungitur, velut eſt dominium pecuniæ in avaro. Nos in hoc capite potiſſimùm agemus de fine Viatoris objectivo, eóque non *fictitio*, qui pro intentione, & arbitrio viatoris plurimùm variari poteſt, ſed de *vero*, qui obtentus appetitum Viatoris verè ſatiat, & ita quietum reddit, ut cum moleſtiâ & anxietate nullum aliud bonum requirat, adeoque qui eum eſſentialiter beatificet. Finis iſte cum Beatitudine *objectivâ* (quod etiam de fine *formali*, & beatitudine *formali*, qui itidem ſecundùm rem idem ſunt, ſentiendum eſt) ſecundùm rem idem eſt; quia perinde ut beatitudo, ita & finis univerſalis, & bóni perfecti rationem complectitur, propter ſe appetitur, atque ad eum omnia alia ordinantur, eóque ſolo denique obtento appetitus hominis quieſcit. Differt tamen finis à beatitudine ſecundùm rationem, ſeu *ſecundò intentionaliter* ideo, quia finis inſuper rationem cauſæ connotat, à quâ beatitudo abſtrahit.

Concluſio 1.

Nullum bonum creatum externum reſpectu hominis Viatoris eſſe poteſt ultimus finis objectivus.

1. Explico. Omnia bona creata, quæ infrà cælum ſunt & hominem ad ſui appetitum naturaliter afficere poſſunt, ad tria ferè genera revocari poſſunt. Primum eſt bonorum externorum, quæque bona etiam fortunæ appellantur. Secundùm eſt bonorum internorum corporis; ut robur, valetudo, indolentia &c. Tertium eſt bonorum internorum animæ. Porrò bona *externa* ſunt divitiæ, eæque vel *naturales*, ut cibus, potus, veſtimentum

mentum &c. quibus homini ſubvenitur ad defectus naturales tollendos. Vel *artificiales*, ut pecuniæ, quibus natura ſecundùm ſe non adjuvatur, ſed ars humana eas invenit propter facilitatem commutationis, ut ſunt denarij &c. qui ſunt quaſi menſura rerum venalium. His annumerantur honores, qui dupliciter accipi poſſunt. 1. pro ipſis dignitatibus, officijs, & munijs publicis, propter quæ mortales ſuſpicimus, veneramur, & *honoratos* compellamus. 2. pro ſignis externis, quibus & noſtram ſubmiſſionem, & Superiorum excellentiam proteſtamur, ut ſunt detectio capitis, incurvatio, genuflexio &c. quò ſpectant etiam fama, gloria, laudes itidem & hymni, & carmina, ac libri, quibus & opinionem de alterius excellentiâ conceptam declaramus, & alium de eâ honorificè commendamus. Et quanquam Vaſq. aſſerat, ſe non legiſſe, qui diceret, beatitudinem in aliquo ex his bonis poſitam eſſe; nihilominus tamé Ariſtoteles, & Peripatetici inadæquatam ſaltem beatitudinis rationem ijs attribuerunt. Immò Leſſius docet, ſicut olim, ita & nunc quoſdam, vulgò Politicos, ſummum bonum divitias honoribus ſuffultas conſtituere; alios verò (qui Atheis accenſentur) dicere auſos eſſe, Regnum cælorum nihil aliud eſſe, niſi divitias, & infernum paupertatem. Hæc tamen omnia, velut ultimus finis & beatitudo, viatorem ſine deceptione afficere non poſſunt, quare Concluſio

Leſſius lib. 1. de ſummo. c. 5.

1. 2. q. 2. a. 4.

2. Probatur 1. ad beatitudinem ſaltem imperfectè, & aliquo modo poſſidendam homo naturaliter, adeoque per principia intrinſeca ordinatur; & bona prædi-

Digitized by Google

cta à cauſis exterioribus, & ut plurimùm, ſunt à fortunâ, unde & bona fortunæ appellantur. Ergò in ijs ratio ultimi finis non ſubſiſtit.

Prob. 2. Quia cùm finis rationem ſummi, & univerſalis boni complectatur, poſſidentem ita perficit, ut nullum ſecum malum compatiatur; ſed prædicta bona tam in bonis, quàm in malis reperiuntur, ac proinde ſumma etiam mala tam corporis, quàm animi ſecum ſuſtinent. Ergò

1. *Ethic.* c 7. Prob. 3. Quia juxta Ariſtot: de ratione beatitudinis eſt, ut ſit per ſe ſufficiens; ſed prædictis omnibus poſſeſſis, poſſeſſori adhuc multa, & quidem vel maximè neceſſaria deeſſe poſſunt, quibus magnâ cum anxietate, & moleſtiâ careat; cujusmodi bona ſunt ſanitas corporis, ſapientia &c. Ergò.

Probat. 4. Ultimus finis eſt, qui non eſt gratiâ alterius, ſed cujus causâ cætera; ſed divitiæ tantùm habent rationem utilitatis, & *artificiales* ſunt propter *naturales*; non enim quærerentur, niſi quia per eas emuntur res ad uſum vitæ neceſſariæ; unde multó minùs habent rationem ultimi finis; naturales verò propter conſervationem vitæ humanæ appetuntur. Licet igitur divitiæ rationem finis intermedij tueantur, ultimus tamen finis Viatoris eſſe non poſſunt. Hinc eſt, quòd ſicut ad ultimum adipiſcendum omnes conatus, & cogitationes referre, maximè laudabile eſt, & licitum, ita ad divitias aquirendas adhibere maximè illicitum ſit, nimium & vitioſum, qui exceſſus deſcribitur *amor immoderatus habendi*; & eſt capitale ava-
1. *Timoth.* 6. ritiæ vitium in primis abominabile; *radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

Probat. 5.

Probat. 5. Quæ hominem perficere non poſſunt, multò minus beare poſſunt, & per conſequens nec habere rationem ultimi finis. Sed divitiæ hominem non poſſunt perficere, quia ſunt multò inferioris ordinis, & conditionis, quàm homo, utpote quæ vel mera terra ſunt, vel ex terrâ ortum habent, & in terram reſolvuntur. Ergò. M. inde patet; quia nihil fit melius, aut beatius exconjunctione deterioris. Et

3. Tandem divitiæ non ſolùm ſummis tam corporis, quàm animi difficultatibus aquiruntur, ſed etiam facilè amittuntur, aquiſitæ perpetuis curis ſuos poſſeſſores fodicant, & lancinant, eóſque ita excæcant, aut pervertunt, ut etiam ad eum uſum, propter quem ſolùm ſunt expetibiles, non adhibeant, ſed ijs, ceu inſtrumentis malefaciendi utantur; diſcordias inter amiciſſimos etiam excitant, propter divitias ſæpè

Filius antè diem patrios inquirit in annos,

violentas, fraudulentas, apertas & clandeſtinas parant inſidias; ſubſumo adhæc: ſed enarratæ ejusmodi proprietates nequeunt convenire rationi ultimi finis, ſeu beatitudinis; tantùm enim abeſt, ut beent, aut tranquillent, quod ultimo fini eſſentiale eſt, ut potiùs perturbent, & miſeros faciant, adeóque certa ſunt non raró impedimenta beatitudinis (non quidem ex ſe, & naturâ ſuâ, ſed ex perverſo abutentium affectu) ij *enim, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Propterea Sapientis oratio eſt: *mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* Unde & præclarè Seneca; *iſti*, inquit, *quos pro felicibus aſpicitis*

S. Paul. ubi ſuprà.

Proverb. 30.

lib. de Providentiâ.

citis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, & turpes ad ſimilitudinem parietum extrinſecùs culti; non eſt iſta ſolida, & ſincera voluptas, cruſta eſt, & quidem tenuis. Ergò. Et hæc eadem ferè ſententia eſt de honoribus.

4. Vel enim honores ſumuntur pro ipſis dignitatibus, & munijs publicis; vel accipiuntur modo ſuprà dicto pro ſignis externis; ſed neutro modo obtinent rationem ultimi finis, ſeu beatitudinis; quia primo modo ſumptæ, niſi in ordine ad ultimum finem appetantur, & adminiſtrentur, quò altiores ſunt, eò profundiùs plerumque præcipitant, vel ipsâ ævi noſtri experientiâ magiſtrâ. Inſuper graviſſima ſecum ferunt & vehunt onera, & corporis, & animæ pericula, propter quæ honores meritò magis ſunt fugiendi, quàm expetendi. Intellexit hæc glorioſæ memoriæ Carolus V, ideóque ut animæ conſuleret ſuæ, rectóque tramite ultimum attingeret finem, hæc cum Imperio onera dimiſit, eáque & regna ſua filio contradidit; quod cùm faceret ex commiſeratione illachrymans hiſce verbis uſus eſt: *miſeret me, Proceres, Filij chariſſimi, cujus humeris tam grave imponitur onus, quod dum geſturus eſt, vita ei in ſummis doloribus, & moleſtijs eſt tranſigenda.* Deinde honores ſecundo modo conſiderati, prorſus extrinſeca quædam ſunt, & potiùs in honorante, quàm in honorato, teſte Ariſtotele; amplius fucata, & imaginaria ſunt, & vix digna, quæ umbræ comparentur; duo enim in ijs ſic ſpectatis conſiderari poſſunt. 1. opinio, ſeu judicium hominum de alterius eminentiâ conceptum. 2. teſtimonium externum,

1. Ethic. tom. 5. c. 5.

Sed

Sed quid illâ hominum opinione (quæ tamen honoris præcipua pars, & veluti anima eſt) vanius, cùm ea & maximè mutabilis, & plerumque falſa ſit? Unde D. Paulus: *mihi pro minimo eſt*, inquit, *ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Quod ſi igitur, illud, quod in honore præcipuum, & honoris quædam quaſi vita, vanum, mutabile, & fallax eſt, multò magis vanum erit externum ejus teſtimonium, ac ſignum, quod eſt honoris veluti corpus. Hæc omnia propè his verbis conclusit S. Chryſoſt: *non cogitas*, inquit, *quantam honores perniciem ſolent adferre? facilè enim ad inanem gloriam extollunt, & in tumorem, ſuperbiam, & aliorum contemptum impellunt: deſidiam augent, & ipſi quoque levi aurâ commoti deflorеſcunt; quòdque acerbius eſt, malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua ſunt, atque prærupta.*

1. Corinth. 4.

In caput. 12. Matth. tom. 41.

Concluſio 2.

Finis ultimus Viatoris nec conſiſtere poteſt in bonis internis corporis.

5. Probatur 1. In his ultimus finis, ſeu ratio ſupremi boni nequit conſiſtere, in quibus Viator à multis brutis animantibus ſuperatur; ſed in bonis internis corporis viator à multis brutis animantibus ſuperatur. Ergò. M. patet, quia homo ſecundùm beatitudinem utique excedit omnia alia animalia. De m. etiam conſtat; quia homo ſuperatur ab Elephante in diuturnitate vitæ, à Leone in fortitudine, à Cervo in curſu &c.

Probatur. 2. Quia ipſum totum *eſſe* hominis per ſe beatum non eſt, ſed tantummodò ſubjectum quoddam, beatitudinis capax, quòdque proinde ad aliquid aliud, ut ultimum finem *Cujus*, à quo beatum fiat, ordinatur,

Digitized by Google

Eccleſ. 16. v. 14. dinatur, ipſóque rationis ductu dirigitur; Deus enim *ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui*; quemadmodum navis dirigitur ad aliquid aliud, tanquam finem *Cujus*, ut eſt ad certum locum profectio, alicujus rei advectio, &c.

Prob. 3. Quia tametſi contrà adductam rationem concederemus, ultimum finem hominis eſſe conſervationé ſui *eſſe*, adhuc ratio finis ultimi in corporis bonis non ſubſiſteret; quia repugnat illius naturæ, ut ſit bonum minùs principale, & ad aliud altioris ordinis ita ordinatum, ut ab ipſo in *eſſe* ſuo dependeat (felicitas enim ſibi ſufficiens bonum eſt) Atqui & ipſum corpus, & omnia ejus bona ordinantur ad bona animæ ſicut ad finem; ſiquidem corpus ipſum eſt propter animam, tanquam materia propter formam, & tanquam inſtrumentum propter ſuum Motorem, ut per id actiones exerceat ſuas; neque *eſſe* humanæ animæ dependet à corpore, ſed *eſſe* humani corporis econtrà dependet ab animâ, adeóque & à bonis animæ, ipsâque animâ longè eſt inferius. Ergò.

6. Prob. 4. Inter bona corporis principem locum obtinere videtur delectatio corporalis; quia inter omnia bona hujus generis melius, & expetibilius excogitari nequit; atqui delectatio corporalis non poteſt eſſe ultimus finis viatoris. Ergò &c. Minorem hujus diſcurſus licet quidem Valentia per ſe tam claram 2. q. 2. a. 6. eſſe exiſtimet, ut ejus oppoſitam ulteriori refutatione non egère cenſeat; fuerunt tamen præter Ethnicos Philoſophos olim hæretici, qui in ijs beatitudinem ſuam collocârunt; ut de Corintho refert Dionys. Alex.

apud

apud Euſebium; & in eam ſententiam concedunt Mahumetani, quemadmodum conſtat ex Alcorano; digni proinde, ut qui alioqui per convitium Chriſtianos canes indigitant, non canes tantùm, ſed & Epicuri de grege porci, nominentur & ipſi. Quapropter minor facti diſcurſûs. Probatur 1. quia quod eſt finis viatoris, id conſequi debet ex bono perfecto hominis; voluptas autem corporalis non conſequitur ex bono perfecto hominis, ſed ſolùm ex bono ſenſibili. Ergò nec eſt ipſa beatitudo, neque etiam accidens *per ſe*, aut proprietas beatitudinis; tametſi alioquin ad perfectam beatitudinem obtentam delectatio aliqua, vel tanquam proprietas, vel tanquam effectus ex ſuâ causâ conſequatur. Probatur eadem m. 2. Quia licet delectatio corporalis, quà honeſta eſt, & ſecundùm rectam rationem, per ſe ſit appetibilis, ultimus tamen finis eſſe non poteſt, quia eſt propter operationem, & ad eam ſecundùm inſtitutionem Authoris naturæ (ſi genus moris attendatur) referenda eſt. Et planè abſurdum foret (quod tamen conſequeretur, ſi voluptates ultimus finis forent) vitam propter cibum, potum &c. appetendam, & hæc talia non propter conſervationem naturæ, ſed propter delectationes, ordine quem Deus naturæ præſcripſit, inverſo, quo voluptates ſunt propter functiones, & functiones propter naturæ conſervationem. Probatur. 3. Quia ultimi finis eſt hominem, & quidem quo ad nobiliſſimã ejus partem perficere. Atqui delectationes, ſeu voluptates carnales (licet alioquin ſecundùm ſe, & in genere ſpectatæ ſint adiaphoræ, & pro ratione operationũ, quibuscum conjungũtur, vel bo-

næ vel malæ)plerumque tamen inordinatæ ſunt, & poſſeſſores ſuos devenuſtant; voluptates enim teſte Philoſopho, prudentiæ ſunt impedimento; propterea & Antiſthenes dixiſſe perhibetur; malle ſe inſaniâ, quàm voluptate affici; inſaniam enim auferre medicum, voluptatem verò, cùm mentem eripiat homini, vix ſanabile malum eſſe. Cujus rei ratio eſt; quia voluptates ex unâ parte intellectum hominis excæcant, ut quod pulchrum & verum bonum eſt, non videat; ex alterâ verò appetitum ſenſitivum hominis blanditiis ſuis ita demulcent, ut omnibus, quod ajunt, velis & remis in quodvis vitium, modò metus legis, aut judicis punituri abſit, non tam feratur, quàm trahatur. Probatur eadem m. ultimo: Quia qui ſibi ultimum finem *cujus* ſtatuunt in voluptate, neceſſe etiam eſt, eorundem finem *cui*, ſeu Deum *ventrem*, aut ſimile quid eſſe (id enim cuique Deus eſt, in cujus cultu, & obſequio verſatur, & cui omnia ultimatè defert; ſiquidem eo præſtantius nihil agnoſcit) Sed hoc facit Epicureus, cui ſolenne & ſummum bonum eſt, ſuo ſervire ventri, & libidini. Talis etiam Cyclops ille apud Euripidem fuit, qui dixit, ſe non curare Jovem, ſed ſummum ſibi Deorum eſſe ſuum ventrem, & huic aſſiduè ſacrificare ſe. Et hi omnes voluptuoſi, quàm parùm

7. Ethic. cap. 11.

Apud Laërtium lib. 6. cap. 11.

gramina rivis — — — — — —

Et Cytiſo ſatiantur apes, & fronde capellæ,

tam parùm ſuis ſaturantur voluptatibus; immò cum faſtidio fruuntur, & cum anxietate carent. Quare & Chriſtus ſapientiſſimè ſpinas eſſe, prædicavit. Voluptates ergò carnales ultimus finis hominis nequaquam eſſe poſſunt.

Con-

Digitized by Google

Concluſio 3.

Neque ultimus finis viatoris conſiſtere poteſt in bonis ejus intrinſecis, quo ad animam.

7. Explico, & probo: ſive enim homo viator conſideretur ſecundùm ſubſtantiam ipſius animæ, ejúsque potentias naturales, eſt quiddam potentiale, & perfectibile & ad operationes velut perfectionem ſuam ordinabile; ſive conſideretur ſecundùm habitus & actus, quos elicit, eſt itidem bonum tantùm aliquod participatum, particulare, & determinatum; ſed hujusmodi, quæ ſunt bona interna animæ humanæ, viatoris appetitum verè ſatiare non poſſunt, & per conſequens nec habere rationem ultimi finis, ſeu beatitudinis; appetitus enim ex parte objecti, univerſalis eſt, quippe qui tendit in objectum univerſale, idque non univerſale logicum, & per mentis abſtractionem, ſeu in *prædicando* (quod valdè imperfectum eſt) ſed *eſſentiale*, quod vel *formaliter*, vel *eminenter* contineat omne bonum; ſicut intellectus univerſalis, & ſuo modo infinitus eſſe dicitur; quia ſcil. in verum infinitum tendit. Id quod etiam S. Script. indicat, cùm omnia bona creata comparatione Dei, contemnenda (*vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus*) neque in ijs ſummam felicitatem ponendam eſſe, docet. Hinc habetur; *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt; quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Quo loco expreſsè à ſummâ felicitate hominis reijciuntur voluptates corporis, divitiæ, & honores. Ex dictis facilè

Colliges. Beatitudinem hominis non conſiſtere in aliquo bono creato. Et ratio eſt; finis hominis ſeu beatitudo eſt bonum perfectum, totaliter quietans appetitum (alioquin enim non eſſet ultimus finis, ſi adhuc aliquid reſtaret appetendum) ſed nullum bonum creatum poteſt totaliter quietare appetitum, & voluntatem hominis. Ergò. m. probatur. quia nihil poteſt quietare voluntatem hominis, niſi bonum univerſale (objectum enim voluntatis eſt univerſale bonum, ſicut objectum intellectûs eſt univerſale verum) ſed bonum univerſale non invenitur in aliquo creato; cùm omnis creatura habeat bonitatem participatam. Ergò.

§. 2.

In quo igitur conſiſtat ratio ultimi finis objectivi, ſeu beatitudinis reſpectu viatoris?

Præcedenti §. oſtendimus, nullam creaturam, immò neque plures, vel omnes ſimul poſſe eſſe noſtram beatitudinem objectivam, ex quo apertè ſequitur, quòd ſi poſſibilis ſit aliqua beatitudo ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, objectum eius neceſſariò debeat eſſe Deus, de quo igitur.

1. *Supponendum eſt* 1. contrà Atheos, ſecundùm fidem, & lumine naturali certum eſſe, quòd ſit unus Deus, ut demonſtrativè probant multis argumentis D. Th. & Ariſtoteles paſſim, & maximè in Metaphyſicâ. Nomine autem Dei intelligitur id quo majus excogitari non poteſt; unde eſt Ens neceſſarium *ſimpliciter*, & omnimodâ neceſſitate; Ens *per eſſentiam*, reſpectu cujus omnia alia ſunt entia per participationem; Ens *independens*, à quo omnia alia dependent in omnibus; *immutabile*,

1. p. q. 2. a. 3.

ater-

Digitized by Google

æternum, infinitum, immenſum, ſuum eſſe &c. propterea eſt ſibi ſufficientiſſimus quantùm ad omnia, & conſequenter in ſe ipſo habet objectum ſuæ beatitudinis, & eſt perfectè Beatus in viſione, & fruitione ſui ipſius, ut probat D. Th. *1. p. q. 26.*

Supponendum 2. Beatitudinem aliam eſſe naturalem, aliam ſupernaturalem. *Naturalis* eſt, quæ naturæ humanæ proportionatur, ad quam ſcil. homo per principia ſuæ naturæ pervenire poteſt. *Supernaturalis eſt* illa, quæ naturam hominis excedit, quámque homo ſolâ Divinâ virtute conſequi poteſt ſecundùm quandam Divinitatis participationem. Ita S. D. qui ſæpè hac diviſione utitur, quem communiter ſequuntur DD. Porrò utraque hæc beatitudo dividitur in beatitudinem hujus vitæ, & futuræ, in quantùm homo tam in hac vitâ, quàm in futurâ poſt mortem habere poteſt id, quod ad ejus felicitatem attinet, ſive in eſſe *naturæ* conſideretur, ſive in eſſe *gratiæ*; Vg. in eſſe naturæ poteſt homo conſequi in hac vitâ ea, quæ juxtà ſuum ſtatum, eum felicem & beatum facere poſſunt, quod perfectiùs aſſequi poterit poſt animæ ſeparationem à corpore corruptibili. Et ſimiliter in hac vitâ habere poteſt dona *gratiæ*, quæ ipſum felicem faciant pro hoc ſtatu, & in futuro gratiam *conſumatam* hoc eſt, gloriam.

1. p. q. 23. a. 1. & q. 62. p. 1. & eâd. p. q. 3. a. 2. ad 4. & a. 5. ad 3. & q. 110. a. 3.

Supponendum 3. Beatitudinem aliam eſſe imperfectam, aliam perfectam. *Perfecta* eſt, in quâ perfectè reperitur, quid quid pertinet, ad beatitudinem; *imperfecta* verò, quæ imperfectè participat eandem rationem, ſic expreſsè S. D. & Ariſtoteles.

infrà q. 3. a. 2. ad 4. & a. 5. in fine corp. 1. Ethicor. c. 10. in fine.

 Sup-

Supponendum 4. Beatitudinem unam *eſſentialem* eſſe, & aliam *accidentalem*; ſicut enim in qualibet aliâ re, Vg. in homine, aliquid eſſentiale eſt, ſcil. quòd ſit animal rationale; vel, quòd conſtet corpore, & animâ; aliquid verò accidentale, ut quòd ſit riſibilis, albus, muſicus &c. ſic in Beatitudine aliquid eſt eſſentiale, ſcil. operatio illa, quæ eſt conſecutiva objecti beatifici, puta, viſio beatifici; & aliquid aliud accidentale Vg. fruitio, gloria corporis &c. Quamvis & inter ipſa, quæ pertinent ad accidentalem gloriam, ſit diſtinctio; quædam enim ſunt veluti accidentia propria & inſeparabilia, ut fruitio; quædam verò ut accidentia communia, ut cognoſcere in Verbo res, quæ ad beatum pertinent, & fiunt in hoc mundo. S. Th. ponit hanc diſtinctionem ſaltem in terminis æquivalentibus; quam communiter admittunt Theologi.

Infrà q. 3. a. 4. & q. 4. a. 5. ad 5 & q. 11. a. 4. ad 2 & alibi ſæpius.

Concluſio 1.

Deus eſt hominis finis, & Beatitudo objectiva. Ita Scholaſtici, qui apertiſſimè uno id ore affirmant, & varijs rationibus probant, præcipuè Magiſter, & S. Th.

In 4. diſp. 49. & partim in 1. diſp. hic a. 1. Gen. 15. v. 1. Ioan. 17. v. 3.

2. Probatur 1. Author. S. Scrip. ut: *Ego protector tuus ſum, & merces magna nimis.* Item; *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Quamvis enim his, & alijs S. Scrip. locis potiſſimùm ſermo ſit de beatitudine alterius vitæ, quæ ſola vera, & ſuprema hominis beatitudo eſt, ſimul tamen etiam ſignificatur, veram beatitudinem, qualis qualis demum in hac vitâ ab homine percipi poteſt, non in rebus creatis, ſed in Deo poſitam eſſe.

Prob. 2.

Probatur 2. author. SS. PP. ut Cypriani, qui ex illo Apocalypſis: *Ego ſum α, & ω, principium & finis; ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis*; probat, quòd Chriſtus ſit verus Deus, quia ſolus Deus eſt ultimus finis, & beatitudo, quæ ut fons aquæ extinguit ſitim appetitûs humani. Et S. Aug. qui in aquiſitione Chriſti beatitudinem ponit, & reijcit omnes Philoſophorum opiniones, beatitudinem in creatis bonis conſtituentium. Et ubi repetit; *ut vita carnis anima eſt, ita vita hominis Deus eſt.* Et; *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perveniat ad te.*

lib. 2. contra Iudæos c. 6.

lib. 13. de Civit. c. 7. lib. 19. c. 4. eod. lib. c. 25. lib. 2. Confeſſ. c. 1. a. 8. q. præcedentis & hic.

Probatur 3. Ratione S. Th. Potentiæ animæ, quibus medijs homo poteſt beatificari, ſcil. intellectus & voluntas, reſpiciunt objectum univerſale, neque poſſunt ſatiari aliquo particulari, & determinato vero, vel bono, quia non adæquat virtutem potentiæ. Atqui ſolus Deus eſt bonum univerſale, in quantum comprehendit in ſe *formaliter*, vel *virtualiter* omne bonum appetibile; & ſimiliter eſt verum univerſale. Ergò ſolus Deus &c.

Concluſio 2.

Datur reſpectu hominis Viatoris Beatitudo aliqua, etiam naturalis, & eidem debita. Ita S. D. & communis Theologorum apud Tann. & Philoſophorum; omnes enim Veteres Philoſophi unanimi conſenſu beatitudinem aliquam (& utique naturalem, cùm de ſupernaturali nihil cognoverint) dari conſentiunt, & tantùm ſententijs de eâ aſſerendâ, in quanam conſiſtat, diſcrepant, Contra Leſſium & Vaſq. viatori in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſeu peccato inſuper obnoxia. Sed

loc. cit. q. 3. a. 6. tom. 1. d. 1. q. 5. dub. 5.

loc. cit. c. 9. 1. 2. d. 12. c. 3.

10. Ex-

3. Explico. Licet Viator finem ſuum, & Beatitudinem objectivam (Deum.) hac in vitâ non perfectè conſequi, & ſic neque beatificari poſſit; quia tamen aliquo ſaltem modo, & imperfectè participare poteſt; idcirco etiam pro viatore quandam aſſignamus beatitudinem, quæ *naturalis* & *abſoluta* vocatur, quia homini ſecundùm ſua naturalia ſpectato convenit, neque ad beatitudinem ſupernaturalem acquirendam per ſe ordinata eſt, ſed ſuo modo abſolutè beat. Leſſio autem, & Vaſq. cum Ariſtot. & Angel. D. qui inquit, *quia beatitudo hujus vitæ amitti poteſt, quod videtur contra rationem beatitudinis eſſe, ideo Philoſophus dicit, aliquos eſſe in hac vitâ beatos, non ſimpliciter, ſed ſicut homines, quorum natura mutationi ſubiecta; Et ſæpè appellantur tali modo ea, quæ ſimpliciter talia non ſunt; ut aurum chymicum &c.* Hinc, inquam, Leſſio & Vaſq. libenter concedimus, beatitudinem hanc in ſuo etiam genere perfectam non eſſe, quod ſatis clarè indicare videmur, cùm eam quandam beatitudinem, & *naturalem* vocamus. Sed

loc. cit. q. 5. a. 4. 1. Ethic. c. 10.

Probatur. 1. p. Conclus. noſtræ. Beatitudo generatim ſupponit pro ultimâ quadam perfectione & felicitate, quam creaturæ intellectuales conſequi poſſunt. Sic enim habent, & docent SS. Th. & Aug. Pro ut ergò diverſi tales perfectionum gradus creaturæ intellectuali poſſibiles, in diverſo ordine & genere ſtatûs aſſignari poſſunt, tam diverſimodè quoque beatitudinem accipi neceſſe eſt; ſubſumo; atqui datur in hoc ſtatu naturæ lapſæ ultima naturalis perfectio & felicitas, ſeu ſupremum aliquod Bonum, homini connaturale, quod proprijs viribus obtinere poteſt; Ergò.

1. p. q. 62. a. 1. lib. 11. de Civit. c. 11.

ſuba-

ſubſumptum probatur, ſimul & confirmatur; quia licet homo ſine generali Dei concurſu nihil operari poſſit, poteſt tamen ſine ſpeciali, & ſupernaturali Dei auxilio (1) non tantùm de rebus cæteris naturalibus, ſed de ipſo etiam Deo aliquod verum ſpeculativum cognoſcere; *Cæli enim enarrant gloriam Dei*; & conſtat ex eo S. Pauli ad *Rom.* ubi de Deo multa naturaliter cognoſci poſſe, dicit; prout etiam S. Th. docet, errorem eſſe, dicere, quòd non poſſit naturali ratione demonſtrari, Deum eſſe. Cùm igitur de Deo ipſo aliqua veritas cognoſci poſſit, multò magis de aliis rebus. Et ratio eſt: quia per peccatum non ſublata ſunt naturalia. Ergò potentia intellectiva manet integra. Poteſt homo etiam (2) verum aliquod practicum cognoſcere; *Gentes enim, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*. Quod patet quoque ex ſyntherefi, quæ circa veritates morales verſatur, & naturalis eſt, & quidem ita naturalis, ut teſte Hyeron. nullis vitiis extingui poſſit; imò, ut etiam in damnatis perſeveret; *vermis eorum non morietur*. Et (3.) denique poteſt etiam homo opus aliquod *moraliter* bonum exercere, & Deum ut Authorem naturæ, aliquo etiam, (ſaltem imperfecto) amore naturali diligere; quemadmodum S. D. docet. Ex quibus omnibus conficitur, poſſe hominem naturalem beatitudinem ſibi obtinere.

Pſalm. 18.

1. contrà Gent. cap. 12.

in Cap. 1. Ezech.

Mar. 9.

1. 2. q. 109. a. 1. 2. & 3.

Probatur 2. p. Concluſ. Quia ſicut homo per Gratiam filius Dei efficitur, & connaturale jus ad ſupernaturalem illam, & conſummatam beatitudinem adipiſcitur, ita etiam præciſè in ſtatu naturali ſumptus hoc ipſo, quòd ſit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatus, eſt filius Dei, & habet connaturale jus ad beatitudinem na-

Digitized by Google

turalem ; quia tamen hæc ipſa beatitudo à propriâ Dei beatitudine, etiam in modo attingendi Deum in ſe ipſo, longiſſimè diſtat, idcircò nomen hæreditatis non meretur.

Concluſio 3.

Deus eſt illa ipſa naturalis beatitudo objectiva viatoris.

4. Ita conformiter his, quæ attulimus pro 1. Concluſione, quæ licet principaliter intelligatur de beatitudine ſupernaturali alterius vitæ, quâ ratione eſt de fide, proportionaliter tamen ea etiam intelligitur de omni beatitudine. Quòd ſi Deus non attingatur, beatitudo dici non poteſt ; quia deficit, quod maximè deſiberabile, & appetibile eſt ; hoc autem maximè deſiderabili, ſuo modo conſecuto per cognitionem & amorem, omnia alia, quæ ut minora integrant beatitudinem, primùm conſequuntur. Dixi autem in conclus. naturalem hanc beatitudinem *objectivam* eſſe Deum ; ut tacitè inſinuarē, beatitudinem hanc *formalem* principaliter conſiſtere in naturali contemplatione hujus ipſius Dei, velut ſummi Boni, & ſcientiarum ſpeculativarum, quatenus ad illam Dei cognitionem conducunt; minùs verò principaliter in rectitudine voluntatis, ſeu fugâ vitiorum, & exercitio virtutum aquiſitarum. Et ratio eſt ; quia major perfectio iſtis utriusque ſupremæ potentiæ ipſius hominis operationibus intrà limites naturæ inveniri nequit. Præſtant tamen operationes intellectûs, & beatitudinis nomē præ voluntatis operationibus ſibi vendicant, non tantùm propter excellentiam & nobilitatem ipſius potentiæ, ſed etiam quia intrà limites naturæ, operationes intellectûs perfectiores ab homine eliciuntur, quàm operationes

rationes voluntatis; quia plus virium naturalium habet homo ad cognoſcenda objecta naturalia intelligibilia, quàm ad operandum circa objecta naturalia virtutum; ab hoc enim ſtudio voluntates,& bona ſenſibilia,ad quæ per peccatum vehementer inclinatus eſt,plurimùm eum abducunt, & prohibent. Ad hæc ſubſumo; atqui beatitudo *formalis* conſiſtit in perfectiſſimâ operatione,cùm ſit ultima noſtra felicitas. Igitur *formalis* noſtra beatitudo conſiſtit dicto modo in contemplatione ipſius Dei, ut Authoris naturæ.

5. Ad hanc porrò beatitudinem *naturalem* hujus vitæ quædam inſuper, vel ut media, vel ut accidentia requiruntur, & (1) requiritur corpus; quia vita iſta ſine corpore non traducitur, & beatitudo iſta ſine hac vitâ non exiſtit; deinde beatitudo hujus vitæ maximè conſiſtit in operatione intellectûs, intellectus autem in hac vitâ indiget phantaſmate, & hoc corpore organico (2.) requiritur bona corporis diſpoſitio; quia ſine eâ anima perfectè & plenè operari non poteſt; manifeſtum eſt enim, inquit Ariſtot. quòd per invaletudinem corporis in omni operatione virtutis homo poſſit impediri. 1. *Ethicor. c.7.*
(3.) requiruntur etiam bona quædam externa, ceu inſtrumenta rectè operandi;

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Et ratio eſt; quia ſine ijs vivere non poſſumus; indiget enim homo, inquit S. Th. in hac vitâ neceſſarijs corporis tam ad operationem virtutis contemplativæ, quàm ad operationem virtutis activæ. Denique (4.) indiget etiam hujus vitæ Beatus amicis, ut ijs benefaciat, & etiam 1.2.q 4.a.7.

 juve-

Digitized by Google

juvetur ab ijs. Nec obſtat, quòd Ariſtoteles dixerit, felicem ſibi ſufficientem eſſe: quia id de felicitate quidem naturali, ſed in ſuo genere perfectâ intelligendum eſt; aliàs enim non quisquam eſt, qui non ſubinde alterius operâ indigeat. *Ethic. 9.*

Concluſio 4.

Loquendo de beatitudine objectivâ eſſentiali, ſive de eo, quod eſſentialiter ſpecificat beatitudinem formalem, ſolus Deus ſine conſortio creaturæ alicujus eſt beatitudo objectiva, ſeu objectum Beatitudinis humanæ, ſive loquamur de beatitudine naturali, ſive de ſupernaturali, tam viæ, quàm patriæ. Ita ex Scholaſticis S. Th. Suarez. Lorca, & Martinez.

a. ultimo præcedent. q. hîc diſp. 5. ſect. 2. num. 3. diſput. 12. §. ex quibus ſequitur. *hîc dub. 2. concl. 1.*

6. Explico. Poſſumus de beatitudine loqui dupliciter; primò ſecundùm eſſentialia præcisè, hoc eſt, de objecto ſpecificante eſſentialiter actum beatificum. Secundò, ut complectitur omnia illa, quæ beatitudini, ejusque objecto connectuntur, & conſtituunt ſtatum beatificum perfectum, & integrum, in quantùm conducunt ad illum, vel tanquam diſpoſitiones, vel tanquam proprietates.

Ioann 17. v. 3. Probatur Concluſio 1. Auth. S. ſcript. dicitur enim: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*; quem locum quidam PP. exponunt de beatitudine ſupernaturali viæ, quæ eſt beatitudo inchoativè per fidem Dei, & Chriſti; quidam verò de beatitudine conſummatâ Patriæ. Et, dum Moyſes cuperet Deum videre, promiſit illi dicens: *ego oſtendam tibi omne bonum.* Deus ergò in ſe, & ſolus ſine conſortio creaturarum eſt omne bonum, & beatitudo. *Exod. 33. v. 19.*

Pro-

Probatur 2. *à priori*; Illud eſt eſſentialiter beatitudo objectiva hominis, quod eſt ſummum, & perfectum bonum hominis, potens replere ejus appetitum; & in quod homo ultimatè ſe, & omnia ſua meritò ordinat. Sed hoc ſolùm eſt Deus, non verò conjunctio creaturarum cum ipſo Deo. Ergò &c. m. probatur. Tum quia quidquid eſt præter Deum, eſt bonum limitatum & finitum, & ſic inſufficiens ſatiare appetitum. Tum quia quidquid eſt præter Deum, id omne neceſſariò in Deum, ut ultimum finem, eſt ordinabile. Confirmatur concl. Demus enim, quòd una ſola anima ſine aliâ creaturâ, creata ſit à Deo, & illo conſequatur beatitudinem, ſive viæ, ſive patriæ, ſive *naturalem*, ſive *ſupernaturalem*; hoc caſu verè, & eſſentialiter eſſet beata; ſed ut patet, non foret beata ex conſortio alterius creaturæ, quæ non eſſet, ſed ex conſortio ſolius Dei. Ergò &c. Sed

Quæres 1. An Deus ſit objectum noſtræ beatitudinis, ut realiter exiſtens à parte rei, vel ſolùm ut objectivè exiſtens in mente humanâ?

7. ℞. Deus eſt objectum eſſentialis beatitudinis ſecundùm exiſtentiam veram, & realem. Ita Suarez, & Martinez. Probatur. Deus eſt objectum noſtræ beatitudinis quatenus eſt ens primum, & puriſſimus ac perfectiſſimus actus; ſed ad hoc requiritur, ut includat non ſolùm objectivam, ſed etiam realem exiſtentiam. Ergò. Confirm. Quia præcipuum, quod de Deo, ut objecto beatifico cognoſcitur, eſt, quòd exiſtat, & ſit *ſuum eſſe*: ergò *eſſe* exiſtentiæ realis non poteſt abſtrahi à ratione objecti beatifici. Si hoc? ergò &c.

hic diſp. 5. ſect. 2. n. 7. dub. 2. concl. 2

Digitized by Google

Dices: Ponamus, quòd beatitudo conſiſtat in viſione pulchræ imaginis, tunc ſi Deus, ut poſſet, conſervaret in oculo viſionem illam, deſtruendo ejus objectum quantùm ad exiſtentiam, homo beatus maneret, ut anteà; quia ex ſuâ parte, & ex parte viſionis eodem modo attingeret objectum illud, ergò realis præſentia objecti illius non foret neceſſaria ad illam beatitudinem, ſed ſolùm objectiva. Ergò ſimiliter ſi per impoſſibile fingamus, viſionem, ſeu cognitionem Dei manere in intellectu noſtro, etiamſi Deus non exiſteret à parte rei, eodem modo eſſemus beati, ſicuti de facto exiſtente Deo.

R. Quid quid ſit de antec. nego conſeq. quia permiſſo, non conceſſo hoc in viſione ſenſitivâ, negamus, idem fieri poſſe in cognitione beatificâ Dei, ſive ſit intuitivâ in patriâ, ſive abſtractiva extrà illam. Ratio autem implicantiæ eſt non ſolùm ex parte Dei, ſed etiam ex parte viſionis. Nam cùm in illis per ſe objectum includatur, quòd ſit ens neceſſariò exiſtens, & quòd ſit *ſuum eſſe*, ſi hoc deſtruatur, non poſſet manere eadem viſio & cognitio Dei, quæ erat beatifica.

Quæres 2. Secundùm quam nam rationem Deus ſit objectum formale humanæ beatitudinis? Ratio dubitandi poteſt eſſe, quia in Deo quatuor vel quinque formaliter reperiuntur, ſcil. eſſentia; attributa; relationes, ſeu perſonæ illis conſtitutæ; actus neceſſarij & liberi; meritò dubitatur, an Deus ſolùm ſecundùm rationem eſſentialem, an etiam ſecundùm aliquam, vel omnes alias, ſit formale objectum non ſolùm de facto, ſed etiam de poſſibili?

8. ℞. 1. Loquendo de facto, & ut res ſe habet, beati omnes habent pro objecto adæquato in beatitudine patriæ omne, quod formaliter eſt in Deo; ſcil. eſſentiam, attributa omnia, relationes, & perſonas, actus neceſſàrios, & liberos. Eſt hæc reſponſio certa, & indubitata apud omnes, & expreſsè eam docent S. Th. Durandus, Scotus, Capreolus, Soto, & Paludanus. *1. p. q. 12. a. 5. in 4. diſt. 49. q. 3. in 1. diſt. 2 q. 2. n. 4. ibi. q. 6. q. 5. a. 3. in 4. diſt. 49. q. 2.*

Probatur reſponſio 1. Authorit. S. Scrip. in quâ aliquando affirmatur, quòd beati videant ipſum Deum, hoc eſt, eſſentiam, & totum Deum ſecundùm illud Joannis; *videbimus eum, ſicuti eſt*: ſed revera Deus eſt æternus, immenſus, omnipotens &c. & etiam eſt trinus, & unus; ergò ſic videtur à Beatis. Aliquando verò dicitur beatitudo includere viſionem perſonarum, ut; *Angeli eorum in calis ſemper vident faciem Patris mei.* Et; *dicit ei Philippus*; *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Quem locum de ſufficientiâ ad beatitudinem explicat D. Auguſtinus de perſonâ Filij, à Patre diſtinctâ, Et tandem de cognitione attributorum dicitur Joan. 8. *cognoſcetis Veritatem, & Veritas liberabit vos*, Veritas autem eſt attributum. Ergò &c. *Matth. 18. v. 10. Ioan. 14. v. 8. Tract. 201. ſuper Ioan. & lib. 1. de Trinit. c. 8.*

Probatur reſponſio. 2. ratione. Illud eſt objectum alicujus actûs, quod illi obijcitur, ab illóque attingitur; Sed Deus non ſolùm quantùm ad *eſſentiam*, ſed etiam quantùm ad attributa omnia, perſonas, & omnia quæ ſunt formaliter in illo, obijcitur ut agnoſcendus tanquam primarium objectum, & ut tale attingitur, & cognoſcitur à beato.

9. Dicendum ergò eſt, quòd in beatitudine Deus non ſolùm ratione ſuæ eſſentiæ, ſed & Attributorum, perſo-

Digitized by Google

Perſonarum, & omnium, quæ formaliter continet, ſit objectum primarium beatitudinis patriæ. Minor debet ſupponi, ut indubitata, aliàs de facto beati non cognoſcerent attributa, & perſonas Divinas, & ea quæ ſunt formaliter in Deo, quod eſt abſurdum. Sed de hac re in 1. p. q. 12. ex profeſſo diſputatur.

℞. 2. Impoſſibile eſt, ut Deus ab aliquo intellectu quidditativè & clarè videatur, quin talis intellectus videat eſſentiam, & perſonas, & omnia, quæ formaliter ſunt in Deo; & per conſequens implicat contradictionem, unum attributum videri ſine altero, vel unâ perſonam ſine aliâ: Et de hac reſponſione ex profeſſo quoq; agitur 1. p. q. 12. a. 7. videantur etiam Ban. Alvarez, & Cajetanus. Nihilominus reſponſio hæc ſpecialiter Probatur 1. quod habet eſſentialem ordinem ad aliud, id non poteſt clarè & diſtinctè cognoſci ſine illo ordine. Sed eſſentia Divina, attributa, Perſonæ, & omnia quæ formaliter ſunt in Deo, habent ejuſmodi ordinem. Ergò &c.

ibi dub. 2. & 3. hîc diſp. 22 §. hinc autem. 1. 2. q. 2. a. 8.

2. Quia de inſecâ ratione, & eſſentiâ viſionis, Dei eſt, ut eâ videatur Deus, ſicut eſt, adeoque ut Beatorum mentibus aliter nequeat apparere, quàm ſit in ſe ipſo, ita eſt ſimplex, ut ipſius eſſentia ſit unum quiddam ſimpliciſſimum, & indiſtinctum cum prædictis omnibus. Ergò &c. Confirmatur; Quia alioqui hæc viſio non foret cognitio clara & *intuitiva*, ſed tantùm *abſtractiva*; quod probatur. Quia quando aliqua à parte rei ſunt planè unum & idem, unumque cognoſcitur ſine altero, tunc talis cognitio neceſſariò eſt *abſtractiva*; abſtrahens nimi-

nimirum ab eo, quod eſt in re prorsùs idem cum objecto cognito; quare non eſt per ſpeciem propriam, nec perfecta cognitio rei, ut eſt in ſe, ſed ſolùm per ſpeciem alienam, quòd eſt, eſſe cognitionem *abſtractivam*. Ergò &c.

§. 3.

De Beatitudine formali ſupernaturali hominis, quâ Comprehenſoris.

Beatitudo *formalis* eſt actio illa, quâ beatitudinem objectivam poſſidemus, & quia per eam magis propriè beati reddimur, quàm per rem ipſam, à quâ ſolummodò *extrinſecè* & *objectivè* beati dicimur; idcirco à S. Th. alijsque Theologis *vera* & *eſſentialis* beatitudo appellatur. Et de hac nobis nunc ſermo eſt. *1.2.q.4.a.1.*

Concluſio I.

Beatitudo formalis eſt aliqua entitas creata; & quidem operatio immanens partis intellectivæ, ab ipſis Beatis elicita. Ita S. Th. cum præclaro omnium Scholaſticorum cœtu. *1.2.q.3.a.1.2. & 3.*

10\. Explico. Eſt concluſio hæc in primis contrà Henricum Gandavenſem, qui ſentit, beatitudinem formalem conſiſtere in quodam peculiari illapſu Divinæ eſſentiæ in animam, qui ratione prior ſit ipsâ operatione, quique animam ita transformet in Divinitatem, ut ab eâ videatur indiſtincta, ſicut ferrum transformatur in ignem, ita ut nihil appareat niſi ignis. Sed primò ipſe Henricus non poteſt explicare, quid ſit ille illapſus; & cùm Deus ratione ſuæ immenſitatis & influxûs, quo omnia conſervat, ſit omnibus creaturis præſens, non poteſt dici novo modo præſens fieri, niſi ratione alicujus novi doni, vel effectûs. Atqui beatis *Quodlib.13. q.12.*

præter dona, quæ in viâ acceperunt, nullum aliud in patriâ infunditur in eſſentiam animæ, ſed ſolum lumen gloriæ recipiunt, quod non eſt in eſſentiâ animæ, ſed in intellectu; neque ipſum etiam eſt beatitudo hominis *formalis*. Secundò, eo ipſo, quia illapſus ille non eſt operatio, non poteſt eſſe ultima perfectio. Ergò nec Beatitudo. Deinde concluſio noſtra contrà Joannem de Ripa, & Pariſienſes apud Ariminenſem, docentes, beatitudinem formalem eſſe ipſam increatam Dei viſionem, quâ Deus ſe ipſum videt, ita communicatam, & unitam intellectui beatorũ, ut per eam Deum clarè videant. At opinio hæc everſa eſt primò in Clementinâ. Secundò in 6. Synodo art. 17. ubi conciliũ definit, impoſſibile eſſe, increatã operationẽ cóvenire naturæ creatæ. Sed cóncluſionis noſtræ

in 3. diſt. 7. q. 2.

Ad noſtrum de *hæreticis*.

Joann. 16. v. 13.

Probatur 1. p. Authorit. S. Script. ubi dicit, beatitudinem noſtram eſſe *vitam*, & *cognitionem*; impoſſibile autem eſt, ut cùm ſimus creaturæ, vivamus niſi vitâ creatâ; neque etiam poſſumus dici *formaliter* cognoſcere, niſi per cognitionem, *effectivè* à nobis procedentem, & intellectum noſtrum informantem; cùm igitur beatitudo noſtra ſit quædam cognitio, ſeu ſummi boni intellectio, adeoque actio vitalis, ut infrà dicemus, neceſſariò procedit ab ipſo intelligente, & conſequenter eſt entitas quædam creata.

Probatur 2. p. Quia entitas hæc creata, in quâ ponimus beatitudinem *formalem*, non poteſt eſſe ſubſtantia, nec potentia hominis (alioquin enim ſummas ſecum pateretur miſerias, & ſub meritum non caderet) ſed neque poteſt eſſe habitus, quia ſequeretur, dormientem etiam, & nihil omninò operantem poſſe eſſe beatum

Digitized by Google

cum; cur ergò non ipſæ etiam beſtiæ? quæ apud Ariſtotelem quoque abſurda ſunt, qui propterea etiam nobiſcum docet, beatitudinem noſtram eſſe operationem; cujus rei hoc inſuper ratio eſt; quia *formalis* beatitudo eſt ultima perfectio; atqui ultima perfectio non eſt actus primus, ſed ſolùm ſecundus. Ergò operatio, & quidem immanens; actio enim tranſiens non eſt tam operatio agentis, quàm recipientis, ſicut ex Ariſtot. S. Th. notavit. *10. Metaph. c. 6. 10. Ethicor. c. 3. 9. Metaphyſ. text. 6. 1. 2. q. 3. a. 2.*

Probatur 3. p. primò; quia operatio illa, quæ ſit beatitudo noſtra *formalis*, reperitur tum in Angelis, tum in animâ ſeparatâ; at hi carent cognitione partis ſenſitivæ. Nequit ergò beatitudo *formalis* ſupernaturalis conſiſtere in cognitione, ſeu operatione partis ſenſitivæ. 2. Quia operatione ſenſitivâ, quæ tantùm attingit objecta corporea, non poteſt attingi objectum beatitudinis, ſeu ſummum bonum, quod eſt Deus incorporeus. 3. Quia cùm beatitudo ſit ſumma perfectio hominis, & hæc dicatur eſſe operatio, neceſſariò debet eſſe perfectiſſima, & nobiliſſima; ſed hoc non convenit operationibus partis ſenſitivæ; quia illæ naturâ ſuâ ordinantur ad operationes partis intellectivæ, tanquam ad perfectiores; quare etiam in hac vitâ præexiguntur; & ſunt velut quoddam illud prævium, ac *antecedens*, in alterâ autem quid *conſequens*. Hinc S. Th. ait; *operatio intellectûs præexigit operationem ſenſûs*; utique ſecundùm beatitudinem imperfectam, qualis in præſenti vitâ haberi poteſt. Et S. Aug. *quia poſt reſurrectionem ex ipsâ beatitudine animæ, fiet quædam refluentia in corpus, & in ſenſus corporeos, ut in ſuis operationibus perficiantur.* *loc. cit. in epiſt. 56. ad Dioſcorum.*

Quarta pars ferè ex dictis colligitur; quia de ratio-

ne vitalis operationis eſt, ut procedat à principio vitali intrinſeco; atqui beatitudo *formalis* eſt talis operatio. Ergò. Et planè videtur definita in dictâ Clementinâ; cùm enim eo loco Pontifex dicit, beatum non poſſe videre Deum ſine lumine gloriæ, ſupponit viſionem eſſe operationem creatam ipſius videntis.

Concluſio 2.

1. 2. q. 3. a. 4. & 8. *in 4. diſt. 49.* *in 1. 2. d. n. c. 3. & 4.* *Tom. 2. §. 1. q. 2. dub. 2.*

Beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in ſolo actu intellectûs, qui eſt clara Dei viſio. Ita docent S. Th. Conradus, Cajetanus, & omnes Thomiſtæ cum S. Th. loc. cit. Item Durandus, Sotus, Vaſq. Tann.

11. Explico. Tres præcipuè operationes perfectas Beati exercent circa Deum; una operatio eſt intellectiva, & in ipſo intellectu, quæ appellatur viſio beatifica; *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc à facie ad faciem.* *1. Corinth. 13. v. 12.* Aliæ duæ in voluntate ſunt, nempe amor beatificus, & delectatio; de amore ait etiam S. Paulus; *Charitas nunquam excidit*; *Loc. cit.* de gaudio Regius Pſaltes: *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* *Pſal. 35.* In quanam verò harum operationum beatitudo formalis ſita ſit, inter DD. non convenit. nam 1. S. Bonau. & alii cum illo contendunt, has tres operationes æque eſſentialiter ad beatitudinem pertinere. *in 4. diſt. 49. p. 1. q. 5.* 2. Quidam alii docent, eſſentiam beatitudinis in duabus ſimul operationibus intellectûs ſcil. & voluntatis, id eſt, in viſione & fruitione conſiſtere. 3. Scotus, & Scotiſtæ ajunt beatitudinem eſſentialiter in ſolo actu voluntatis conſiſtere, quo beatus Deum clarè viſum ſummè amet, quem actum etiam fruitionem vocant. *in 4. diſt. 49. q. 5.* Et 4. S. Bonav. alijque ut Richardus, Major & Aureolus aſſerunt, hunc charitatis actum, ſaltem eſſe præcipuam ope- *in 2. diſt. 38.* *in 4. diſt. 49. q. 1.*

operationem, in quâ beatitudo conſiſtit. Nos antequam probemus concluſionem noſtram, præmittimus, nobis hîc ſermonem eſſe non de beatitudine formali utcunque, ſeu accidentaliter, ſeu eſſentialiter ſpectatâ, ſed eam jam conſiderare præcisè, & ſecundùm ſuam eſſentiam, prout nimirum dicit conſecutionem ſummi ac infiniti boni, quâ primò *per ſe*, & intrinſecè beati reddimur. Igitur

Probatur 1. p. Concl. nimirum quòd formalis beatitudo in ſolo unico, & non pluribus actibus eſſentialiter conſiſtat, hoc modo; formalis beatitudo conſiſtit in operatione perfectiſſimæ potentiæ; ſed non poteſt in homine eſſe niſi una operatio, quæ procedat à potentiâ perfectiſſimâ.

Probatur 2. p. quòd ſcil. beatitudo hæc non ſit actus voluntatis. Quia ſi ea eſſet actus voluntatis, is vel foret amor ergà Deum, vel delectatio de Deo; non delectatio; quia hæc cùm ſit de re præſente, ut præſens eſt, ſupponit jam poſſeſſionem ſui objecti; ergò & beati delectantur, quia ſummum bonum jam poſſident. Ergò jam antè delectationem ſummum bonum habent. At beatitudo neque eſt Amor; amor enim, ut amor, abſtrahit à præſentiâ objecti (nec enim amare divitias eſt poſſidere divitias) adeóque amor de ſe non magis fertur in bonum præſens, ſeu clarè viſum notitiâ intuitivâ, quàm in abſens, ſeu obſcurè cognitum. Cùm ergò Amor, ut amor, non faciat objectum præſens (ſicut nec deſiderium, quod *formaliter* & *intrinſecè* eſt rei abſentis, adeóque non eſt conſecutio finis, ſed actus ad finem) non eſt poſſeſſio

Digitized by Google

ſummi boni. At beatitudo eſt poſſeſſio ſummi boni. Ergò beatitudo nec eſt amor, nec delectatio, neque deſiderium. Accedit, quòd Amor ex communi contrà Scotũ, ſententiâ, ſit ejusdem ſpeciei in viâ & patriâ, cùm procedat ab eodem habitu, & S. Paulus dicat: *charitas nunquam excidit*; Atqui amor viæ non eſt poſſeſſio Dei, alioquin enim etiam in viâ eſſemus beati. Ergò nec amor patriæ.

Loc. cit. 12. Probatur 3. p. ratione S. Th. quòd beatitudo noſtra formalis ſit clara viſio Dei, adeoque actus intellectûs. Beatitudo formalis præcisè & eſſentialiter ſpectata, nihil eſt aliud, quàm operatio ea, quæ eſt comprehenſio, ſeu perfectiſſima conſecutio, & poſſeſſio ultimi finis, qui eſt Deus (intelligitur autem per comprehenſionem Dei non adæquata Dei cognitio, cùm hæc ſit creaturæ incommunicabilis, ſed conſecutio finis deſiderati juxtà illud: *ſequor, ſi quo modo comprehendam*) ſed ſola Dei viſio eſt comprehenſio, ſeu perfecta Dei conſecutio. Ergò. M. patet; quia etiam in cæteris rebus omnibus conſecutio beatitudinis objectivæ qualiſcunque, *formaliter* ſolet beare. m. probatur: quia conſecutio illa Dei cùm non fiat per potentias corporeas, ut ſuprà dictum, nec per ſolam localem indiſtantiam, ut per ſe patet, idcircò in hoc ſolùm poteſt conſiſtere, quòd per modum objecti perfectiſſimè præſens conſtituatur menti noſtræ mediante operatione, verſante circa Deum. Sed hoc fit per claram viſionem Dei, omnis enim cognitio ex genere ſuo facit potentiæ præſens objectum cognitum, unde & illud præſentare, ſeu repræſentare dicitur; alia enim comprehenſio

inter

inter operationes immanentes, excogitari nequit; cùm ergò ſola clara viſio Dei ſit, quæ ſummum bonum, id eſt Deum perfectiſſimè beatis objicit, facitque præſentem, tanquam actualis & perfectiſſima ejus repræſentatio, fit, ut ſola clara & intuitiva cognitio Dei ſit perfectiſſima conſecutio illius, adeoque & beatitudo formalis. Certè voluntatis operatio, etſi & ipſa dicatur tendere in ſuum objectum, non dicitur tamen repræſentare; nec verò etiam præſentat; præſertim cùm ſine ope alterius potentiæ circa ſuum objectum verſari non poſſit. Ergò repræſentationem habet per aliam potentiam, adeoque non poteſt eſſe ipſa poſſeſſio & conſecutio ſummi boni, imò cùm amor amantem ſibi auferat, & in rem amatam transferat, non eſt tam poſſeſſio, & aquiſitio rei amatæ, quàm quaſi amiſſio quædam, & elongatio amantis à ſe ipſo. Confirmatur hæc ſententia noſtra, & 3. p. Conclus. inprimis ex S. Script. deinde ex SS. PP. qui nos Dei cognitione, viſione, & contemplatione beatos pronuntiant. Ut; *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. videmus nunc per ſpeculum, tunc autem facie ad faciem.* Et S. Irenæus hæc habet: *vita æterna unicuiq; evenit ex eo, quòd videat Deum; quemadmodum enim videntes lumen intrà lumen ſunt, & claritatem ejus percipiunt; ſic qui vident Deum, intrà Deum ſunt, percipientes ejus claritatem; vivificat autem eos claritas. Percipiunt ergò vitam, qui vident Deum.* Et præter alios complures D. Auguſt. *illa*, inquit, *viſio Dei, quâ contemplamur immutabilitatem, & humanis oculis inviſibilem Dei ſubſtantiam, quæ ſolis ſanctis promittitur loc. cit. ſola eſt ſummum bonum noſtrum, cujus adipiſcendi causâ præcipimur agere, quidquid agimus.* Con-

Matth. 5. v. 8.
1. Cor. 13. v. 12.
lib. 4. contrà hæreticos c. 37.
lib. 1. de Trinit. c. ult.

Digitized by Google

Concluſio 3.

Hæc eſſentialis beatitudo tanquam aliquid vel neceſſariò conſequens, vel adjunctum poſtulat, & connotat amorem, ac fruitionem, ſeu dilectionem, & delectationem. Ita nobiſcum docent non ſolùm AA. primæ, ſecundæ & tertiæ ſententiæ præced. Conclus. n. 17. citati, ſed & Sotus, & alii plerique Thomiſtæ apud Vaſq.

in 4. diſt. 49. q 1. n 4.

13. Probatur & explicatur Concluſio. Quia licet per abſolutam Dei potentiam clara viſio Dei absque dilectione, & delectatione conſiſtere poſſet (ſi videl. Deus concursũ ſuum ad eas operationes ſubtraheret) adeóque tum talis eſſentialiter foret beatus, non tamen *completè* & integrè eſſet beatus (aliud enim eſt loqui de beatitudine quo ad *eſſentiam*, & aliud quo ad *integritatem* ſuam, ſeu complementum) Etſi ergò viſio ſit tota eſſentialis beatitudo, eſt tamen tota *integraliter* quaſi tunc demum, quando eſt in ſubjecto amante, & fruente; eo ferè modo, quo hominis eſſentia adæquatè quidem conſiſtit in corpore & animâ inter ſe junctis; quia tamen hæc ipſa unio dicit reſpectum ad diſpoſitiones, ſine quibus corpus informari ab animâ nequit, ut patet ex Ariſtotele animam deſcribente *actum corporis organici*, ideo etiam connotat diſpoſitiones, ſine quibus homo proinde eſſe non poteſt; imò ſicut eſſentialiter quidem homo eſt, etiam qui brachiis & cruribus caret, non tamen integer; ita *eſſentialiter* non tamen *integraliter* beatus foret, qui Deum videret, & non amaret, aut eo delectaretur. Accedit, quòd de ratione beatitudinis ſit, ut ſit habentis bonum ſummè amabile, & ut perfectè ſatiet appetitum. Ergò

Beatitu-

Digitized by Google

Beatitudo neceſſariò (ſaltem *in obliquo*) connotat, & involvit amorem ac fruitionem. Quo ſenſu etiam S. Th. abſolutè dicit, beatitudinem eſſe operationem intellectûs, non voluntatis; & tamen alibi diſtinctis locis dicit, fruitionem eſſe adeptionem ultimi finis; aliquam delectationem, nempè fruitionem de Deo ipſo poſſe dici ultimum finem hominis, non ſumpto fine pro re ipsâ, ſed pro poſſeſſione ipſius. Et id ipſum etiam docet, cùm paſſim ad beatitudinem exigit charitatem. Quare, ſicut maxima pæna damnatorum eſt carentia viſionis beatificæ, ita maxima Beatorum felicitas eſt viſio beatifica, ex quâ poſtmodum ſumma ſequitur lætitia, ſeu delectatio in voluntate Beatorum exiſtens. Obquam connexionem iſthæc ſæpè promiſcuè uſurpari ſolent, cùm de beatitudine aut damnatione ſermo eſt. *1. 2. q. 3. a. 4.* *loc. cit. q. 11. a. 1.* *loc. cit. q. 43. a. 3.*

§. 4.

De appetitione, & adeptione Beatitudinis.

Quia appetitiò beatitudinis præcedere ſolet ejus conſecutionem, hinc prius de appetitione, quàm de conſecutione dicemus. Et quidem cùm omnes appetant, ut ſatietur voluntas, omnéſque cognoſcant in communi beatitudinem, non tamen rem illam in particulari, cui ratio beatitudinis convenit, rectè docet S. Th. omnes homines appetere Beatitudinem ſub communi ratione, non autem ſub ſpeciali, cùm potius aliqui contrarium appetant. Ergò circa beatitudinem conſummatam ſit *loc. cit. q. 5. a. 8.*

Concluſio 1.

Ad beatitudinem illam ultimam, & conſummatam non eſt

 in ho-

in 1. 2. d. 22. c. 2. tom. 2. d. 1. q. 5. dub. 2.

in homine propriè appetitus naturalis, *ſed ſolùm eſt potentia* obedientalis. Ita Vaſq. & Tann.

1. Probatur Concl. 1. Quia appetitus naturalis innatus propriè eſt propenſio naturalis; at talis non eſt in homine ad viſionem beatam; cùm hæc nullo modo ſit naturalis. Ergò.

2. Quia cùm natura nil temerè faciat, ſi homini indidiſſet naturalem propenſionem ad viſionem beatam, dediſſet etiam inſtrumenta ad ejus conſecutionem ſufficientia & neceſſaria, cujuſmodi tamen homo à naturâ non accepit.

3. Quia appetitus iſte nequit dici naturalis, quòd per modum naturæ tendat in hoc objectum, cùm nullum actum & tendentiam habeat, ſed ſolùm conſiſtat in quadam capacitate naturæ innatâ; atqui hæc quando eſt de objecto & formâ ſupernaturali, nequit abſolutè & propriè dici *naturalis*, ſed *obedientialis* tantùm; niſi quis præter morem vocet naturalem, quia eſt ipſa naturalis entitas; aut quia ex principijs talis naturæ quomodocunque tandem oritur; ſic enim etiam ipſa unio hypoſtatica dici deberet appeti naturali appetitu, quod tamen inuſitatum eſt.

Concluſio 2.

Non obſtante 1. Concluſione, omnis homo habens cognitionē beatitudinis, rectè dicitur eā appetere appetitu naturali elicito.

1. Explico. Nolumus dicere, quòd homo appetat dictam beatitudinem appetitu naturali elicito, prout naturalis appetitus ſignificat appetitum ex viribus naturæ elicitum, aut etiam actum, *quo ad ſubſtantiam* ordinis naturalis; ſed prout ſignificat appetitum neceſ-

ſari

ſarium, & modo naturæ elicitum, adeoque prout *naturale* opponitur *libero*. Porrò cùm alius actus ſit neceſſarius *quo ad exercitium* (quando nimirum voluntas ita aliquid appetit, ut non poſſit illud non appetere) *& quo ad ſpecificationem* (quando aliquid ita appetit, ut non poſſit illud odiſſe, ſeu actum contrarium elicere) non dicimus, quòd appetitus viſionis ſit neceſſarius *quo ad exercitium actûs* (poteſt enim voluntas à tali appetitione ceſſare) ſed quòd ſit neceſſarius *quo ad ſpecificationem*; ſi quidem beatitudo talis *ſecundùm ſe* ſpectatur. His ita conſtitutis.

Probatur breviter Concluſio. Id homo dicto modo, neceſſariò appetit, quod nemo poteſt odiſſe; at beatitudinem ita declaratam nemo poteſt odiſſe, cùm in eà ita conſideratâ nequeat apparêre aliqua ratio mali; licet poſſit odio haberi ratione difficultatum ſibi conjunctarum, quod non obſtat, quo minùs beatitudo *ſecundùm ſe* neceſſariò, adeoque naturaliter appetatur *quò ad ſpecificationem.*

Concluſio 3.

Poteſt homo beatitudinem perfectam in viſione Dei poſitam, conſequi. Eſt de fide & conſtat ex S. Script., in quâ homini vel promittitur, vel quidam re ipsâ jam beati prædicantur. *Ex Concil. Florent. ſeſſ. ult. in decreto Eugenij*

1, 2. q. 5. a. 1.

8. Probatur Concluſio rationibus S. Thomæ. 1. Quia beatitudo ſuprema conſiſtit in adeptione ſupremi boni, quod eſt DEUS; homo autem eſt capax hujus adeptionis, hoc ipſo, quòd & per intellectum poſſit univerſale & perfectum bonum; & per voluntatem idem appetere, eoque frui. Ergò.

 2. Quia

Loc. cit. 2. Quia homo poteſt videre Deum, quod de fide eſt; ergò poteſt aſſequi beatitudinem.

Concluſio 4.

Sicut in homine non eſt appetitus naturalis ad perfectam beatitudinem conſequendam; ita eam neque per vires naturæ proprias obtinere poteſt. Eſt itidem de fide, & conſtat ex S. Script. in quâ viſio DEI denegatur viribus naturæ, & lumini ſupernaturali gloriæ attribuitur; ita cùm eam gratiam appetitat; ſicut ergò gratia, ita & gloria eſt ſuprà naturam. Et conſtat hoc ex orationibus Sanctorum, qui beatitudinem, quæ conſiſtit in viſione DEI, petunt à DEO tanquam rem ſuis viribus ſuperiorem, eámque DEI dono impetrandam ut: *oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te.* Et tandem; quia viſio beata promittitur benè operantibus, tanquam merces; atqui hic finis eſt ſuper naturalis; Ergò & media.

In Concil. Viennenſi Clement. ad noſtrum de hæreticis.

Exodi 33.

Concluſio 5.

Etſi homo Divino auxilio adjutus, connaturaliter quidem ad impetrandam perfectam beatitudinem poſſit operari, in hac tamen vitâ (ſecundùm ordinariam Dei legem) eandem obtinere non poteſt. Ita S. Th. eſt etiam de fide. *Non enim videbit me homo, & vivet*; id eſt, dum vivet, ut S. Gregorius explicat. Et inſuper patet iis S. ſcripturæ locis, in quibus etiam Viri ſancti & perfecti fatentur, ſe beatitudinem non eſſe in hac vita aſſecutos, ſed in alterâ vitâ expectare; ut: *ipſi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri; ſpe enim ſalvi facti ſumus.* Et

loc. cit. a. 3. Exod. 33.

Rom. 8. v. 23.

Ratio eſt. Quia intellectus humanus in hac vitâ nihil intelligit, ſine converſione ad phantaſmata, & dependentiâ

dentiá à ſenſibus. Ergo homo Deum clarè & intuitivè in hac vitâ cognoſcere non poteſt, cùm Deus ſit immaterialis. In Chriſto igitur fuit privilegium extraordinarium, ut ſimul Viator eſſet, & Comprehenſor. Quidam dicunt, etiam ſecundùm abſolutam Dei potentiam neminè poſſe hîc eſſe beatum, ſi loquamur de ſtatu perfecto Beatitudinis; quia tali beato deeſſet perpetuitas, & carentia omnis mali, quæ requiruntur ad omnimodam beatitudinis perfectionem.

Concluſio 6.

Sanctorum animæ, cùm ſatis purgatæ, & expiatæ ſunt, etiam antè reſurrectionem, ac ſtatim poſt diſceſſum ex mortali corpore, eſſentialem, ac ſupremam beatitudinem conſequuntur. Ita cum SS. PP. (quorum teſtimonia videri poſſunt *de Ss. c. 1.* apud Bellarminum, & Valentiam) Et Scholaſticis S. Tho- *tom. 2 d. 1. q. 4.* mas. Eſt etiam de fide definitum à Benedicto 11. in ex- *puncto 2.* tra Vag. item in Concil. Florent. in Litt. Unionis; & *1. 2. q. q. 4. a. 5.* Trid. ſeſſ. 25. in Decreto de Venerat. SS Et ex ſenſu Eccleſiæ, ut conſtat ex Rom. Breviario in orat. de S. Gregorio, *lib. 3. divina-* in quâ dicitur: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ* *rum inſtit. c. 1.* *beatitudinis præmia contuliſti &c.* Contrà Lactantium, qui docuit, animam ſeparatam antè diem judicij nec videre Deum, nec habere aliquam cognitionem ſui ſtatûs, ſed manere incertam usque ad illum diem. Item contrà Tertull. Victor. Euthymium, Vigilantium, Græcos Schiſmaticos, & contrà noſtri temporis hæreticos, qui docuerunt, Sanctos, quantumvis à peccatis purgatos non conſequi beatitudinem antè diem extremi judicij. ſed

4. Probatur Conclus. ſatis apertè ex compluribus S. ſcript. locis, maximéque etiam iis, quibus Sancti cum

Chriſto in cælo regnare dicuntur; illud enim regnum potiſſimùm conſiſtit in viſione beatâ; neque in locum Beatorum quis admittitur, niſi qui jam eſt capax beatitudinis; ſicut neque in infernum quis deſcendit, niſi qui jam eſt in eo ſtatu, in quo paſſurus ſit pœnas damnatorum; unde antè adventum Chriſti, juſti non aſcendebant in cælum, quia non erant viſuri Deum: hinc etiam dicitur Deus ibi eſſe ſpecialiter, quia ibi ſe manifeſtat ut in ſuo throno, & Regno.

Probatur. Concl. ratione. Quia beatitudo animæ, ſeu viſio Dei non dependet à corpore, & ex parte animæ ad beatitudinem acquirendam plus non requiritur, quàm gratia & meritum cum ſufficienti purgatione, quæ adeſſe, ſupponimus. Ergò ſi neque ex parte naturæ rei, nec perſonæ eſt impedimentum, ſtatim datur præmium, juxtà Divinam legem: *non enim morabitur Deus apud ſe opus mercenarij uſque ad manè.* Cur enim animæ ſanctæ manerent ſine fructu meriti extrà viam, & ſine gaudio præmij extra patriam?

Iob. 19. v. 13.

Confirm. Conclus. exemplo Angelorum, qui finitâ viâ ſtatim acceperunt præmium: & malorum, quibus ſtatim datur pæna æterna in *morte*: *in puncto ad inferna deſcendunt.* Quod ſimiliter conſtat ex hiſtoriâ Epulonis. Ergò, & Sanctorum animabus ſtatim poſt mortem datur præmium; Deus enim ſuâ naturâ magis pronus eſt ad benefaciendum, & remunerandum, quàm ad puniendum.

Iob. 21. v. 13. Luc. 16.

Concluſio 7.

loc. cit. n. 41. cap. firmiter, de ſummâ Trinit. & fide Cathol.

Beatitudo perfecta, ſemel obtenta à Beatis nunquam amitti poteſt. Ità S. D. & omnes alii DD. ibidem, Eſt de fide definí-

definitum in Concil. Lateran. ſub Innoc. 3. Immò eſt articulus fidei; hoc enim ſenſu confitemur in ſymbolo, nos exſpectare vitam æternam. Contrà Origenem, qui ut SS. teſtantur apud Valentiam perpetuitatem beatitudinis negavit, & econtra perpetuam felicitatis & miſeriæ viciſſitudinem aſſeveravit. Sed nempe conſtat concluſio hæc ex S. ſcripturâ, quæ dicit: *juſti autem in perpetuum vivent*; & paſſim, ubi beatitudinem vitam æternam nominat. tom. 2. d. 1. q. 5. punct. 6. ſap. 5. v. 15.

Concluſio 8.

Beatitudo perfecta ſemel obtenta ex ſe, & naturâ ſuâ amitti nequit. Ita S. Th. & ferè omnes cùm illo. Quare dicimus beatitudinem, talem viſionem eſſe, ut non niſi à ſolo Deo deſtrui poſſit, adeoque non minùs, ac Angelos, aut materiam primam, aut lumen gloriæ *ſimpliciter* incorruptibilem eſſe. 1. 2. q. 5. a. 4.

5. * Probatur Conclus. primò. Quia aliàs non plenè ſatiabit appetitum, nec excludet ſummam hanc miſeriam, quæ eſt poſſe decidere à ſummo bono, ſeu eſſe in periculo amittendi beatitudinem. 2. Quia beatitudo ſemel obtenta excludit omnem rationem, per quam poſſit deſinere. Ergò ſuâ naturâ eſt perpetua. Vel enim amitti poſſet primò, quia voluntas Beati ab eâ deſiſtere vellet; hoc autem fieri non poteſt; quia voluntas Beati nullam poteſt in viſione invenire rationem mali, ob quam poſſet ab eâ deſiſtere, aut velle non eſſe beata. Vel; quia poſſet eam perdere, Deo ſubtrahente; at nec iſtud: cùm enim ſubtractio beatitudinis ſit pæna quædam, nequit talis ſubtractio ab juſto Judice inferri, niſi pro aliquâ culpâ, quam Beati non poſſunt admittere. Vel tertiò; quia

Digitized by Google

quia vi alterius agentis tolli poſſet, & corrumpi; at neque hoc; cùm mens à Deo per viſionem beatificam elevetur ſuprà efficaciam cujuscunque agentis creati; adeoq; nulla virtus agentis creati ejus deſtructionem poteſt attingere. Sed neque etiam Beatus ceſſare poteſt ab actu viſionis ob defectum potentiæ videndi, quæ eſt intellectus, adjutus lumine gloriæ, quorum neutrum poteſt deficere, cùm utrumque ſit incorruptibile. Denique neque etiam ex parte objecti poteſt eſſe defectus, quia eſſentia Divina, quæ loco ſpeciei activæ concurrit ad viſionem, non poteſt deficere.

Conclus 9.

Non obſtante priori doctrinâ, perpetuitas non eſt de eſſentiâ beatitudinis; ſimpliciter, & propriè *loquendo*. Ita enim

in 4. diſtinct. 49. Scotus, Durandus, Palud. & Gabr. Etſi contrarium

in 1. 2. d. 21. c 3. ſentiat Vaſq. cum aliquibus Thomiſtis apud eundem, aſſerens, ad eſſentiam beatitudinis (adeoque etiam viſionis, non præcisè, quà viſio, ſed quà beatitudo eſt) ſpectare perpetuitatem. Noſtra tamen concluſio cum communi Patrum, & Theologorum

1. 2 q. 5. a. 4. hic. cit. & alibi. 6. Probatur 1. Authoritate S. Thomæ, qui nusquam dicit de ratione, vel eſſentiâ beatitudinis eſſe perpetuitatem, ſed ſolùm dicit, ad veram beatitudinem certam opinionem, ſeu perſuaſionem beatitudinis nunquam amittendæ, ſpectare. Item; aliàs non fore verè Beatum, ſi aliquod ei malum inſit. Et denique ex ratione ipſius beatitudinis probat, eam fore perpetuam. Quæ omnia ita commodè accipi poſſunt, ut ſignificent perpetuitatem ad ſtatum perfectum beatitudinis ſpectare. Probatur 2. quia diſtinctio illa inter viſionem

Digitized by Google

viſionem,ut viſio eſt,&,ut beatitudo eſt,videtur Angelico Doctori incognita, qui ubique eſſentiam beatitudinis in ipsâ viſione conſtituit. Cùm ergò perpetuitas non ſit de ratione viſionis, ut viſio eſt, neque erit de ratione, & eſſentiâ beatitudinis. Probatur 3. Quia perpetuitas, aut duratio de nullius rei creatæ eſſentiâ eſt; atqui beatitudo hominis eſt aliquid creatum. Ergò. Et confirmatur. Quia beatitudinis eſſentia, ut dictum eſt, conſiſtit in viſione ſummi boni, quæ utique etiam viſio eſt, licet tantùm duret per horam. Quare viſio beatifica, ac conſequenter etiam beatitudo hominis, ex ſuâ naturâ, ſeu ex principiis intrinſecis non eſt ſimpliciter indeſtruibilis. Ex hactenùs dictis facilè:

7. *Colliges* de eſſentiâ viſionis beatificæ, quà talis, eſſe, ut ſit reflexiva ſuprà ſe ipſam, & repræſentet ſe duraturam in æternum. Videtur eſſe S. Doct. ubi habet; *requiritur ad veram beatitudinem, ut homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam ſe amiſſurum:* ſubſumo; ſed niſi viſio ſit reflexiva ſuprà ſe ipſam, homo beatus nunquam habebit certam opinionem, bonum, quod habet, nunquam ſe amiſſurum. Ergò viſio beatifica debet eſſe reflexiva ſuprà ſe ipſam. Et probatur ratione: quia viſio beatifica debet perfectè eſſe depulſiva omnis mœroris, & anxietatis; ſed tunc horum eſt depulſiva, quando eſt reflexiva ſuprà ſe ipſam, & repræſentat, ſe duraturam in æternùm. Ergò &c. *hîc q. 5. a. 4. in corp.*

Concluſio ultima.

Beatitudo per nullius ſuperioris creaturæ actionem, veluti ſuperioris agentis, homini conferri poteſt, ſed à ſolo Deo, tanquam

loc. cit. q. 1. a. 1. *quam principali agenti ipſi confertur.* Ita docet S. Th. *pſal. 89. v. 12.* *gratiam* enim, *& gloriam dabit Dominus.*

8. Probatur Concl. ratione; quia id, quod abſolutè eſt ſupernaturale, excedit omnem naturam creatam, nec poteſt fieri virtute alicujus creaturæ; ac proinde neceſſe eſt, ut fiat immediatè à Deo, tanquam principali agente, ſicut etiam ſuſcitatio mortui, illuminatio cæci, & cætera hujusmodi: tale verò bonum eſt Beatitudo particulatim conſiderata. Ergò &c. Unde etiam D. Ambroſius, *lib. 2. offic. c. 1.* *vitam æternam*, inquit, *præſtare non poteſt, niſi Creator animæ.* Neque refert, quòd homo mediante lumine gloriæ, tanquam agens principale eliciat viſionem beatificam; ſicut enim non regiam dignitatem conferre dicitur, qui elicit actus regios, ſed qui vim, & Authoritatem ad eos eliciendos præbet; ita is, qui elicit actum, in quo viſio conſiſtit, non ideo ſibi beatitudinem conferre dicitur, ſed qui tribuit vim, & principium ad viſionem illam eliciendam.

CAPUT III.

De Actibus humanis in genere.

POſtquàm D. Thomas, & D. Angel. in præcedentibus egit de ultimo fine hominis, ejusque Beatitudine tam *objectivâ*, quàm *formali*; in ſubſequentibus agit de actibus humanis, quibus homo in finem hunc, & Beatitudinem vel dirigitur, vel deviat, qui ſunt actus boni, vel mali. De his in ſpecie tractat in 2. 2. hîc verò in 1. 2. eos tradit in genere, ut hâc ratione juxtà rectum doctrinæ ordinem à communioribus pergat ad minùs communia. Porrò

quia

quia actus humani dicuntur, qui ſaltem pro hoc vitæ ſtatu procedunt à voluntate deliberatâ, idcircò ſtatim in q. 6. agit de *voluntario*, & *involuntario*, tanquàm de conditionibus generalibus actuum humanorum.

§. 1.

De definitione, & diviſione voluntarij.

Dari voluntarium, tam certum eſt apud omnes, quàm certum eſt, dari voluntatem, à quâ per ipſam experientiam cognoſcimus procedere, quidquid in nobis eſt voluntarium. Unde circà ipſum *An eſt*, ulteriùs non eſt immorandum, ſed ſolùm quidditas ejus, & definitio erit explicanda. Pro quo

1. *Notandum eſt* primò, quòd licet nomen *voluntarij* Etymologiam ſumat à voluntate, non tamen ſemper ab illâ procedat, cùm *voluntarium* reperiatur in brutis, & in appetitu ſenſitivo humano abſque aliquo ordine ad voluntatem. Quia tamen, ut poſteà dicemus, ſemper procedit vel ab appetitu ſenſitivo, vel rationali, qui eſt voluntas, hinc denominationem ſumit à voluntate, tanquàm à nobiliori principio, quod poteſt habere. Significat igitur voluntarium ex primœvâ ſui inſtitutione id, quod non coactè, ſed ſpontè fit. Quod ipſum dupliciter ſumitur (1) metaphoricè, quemadmodùm id etiam attribuitur rebus inanimatis, velut dicimus: terra ſpontè, & voluntariè herbas germinat. (2.) propriè pro eo, quod aliquo modo procedit ab appetitu animalis, tam ſenſitivo, quàm rationali. Sed ulteriùs

2. *Notandum eſt* ſecundò, nomen *voluntarij*, ſi in latiori ſignificatione ſumatur, aliquando notare idem

 ac libe-

ac liberum, quo ſenſu Ariſt. 2. Ethicorum ad Euthimium in fine dixit, virtutem & vitia voluntaria nobis eſſe, quia nullâ neceſſitate cogente eliguntur. Aliquando verò *voluntarium* ſumitur pro objecto, quod eſt volitum, juxtà quem ſenſum aliqui apud Vaſq. voluntàrium dividunt in volitum *cauſatum*, & in volitum non *cauſatum*; primum dicunt, eſſe ipſos actus, quibus volumus; ſecundum verò eſſe objectum, quod volumus. Attamen neutra hæc aſſumptio propriè eſt hujus loci. Non quidem prima; quia voluntarium latiùs patet, quàm liberum; amor namque, quo Deus ſe diligit, utique eſt voluntarius, non tamen liber eſt. Quare definitio illa Almaini apud Vaſq. voluntarium eſt, *quod poſitis omnibus requiſitis poteſt ab aliquo agente poni, vel non poni;* communiter reijcitur, quia ſolùm explicat liberum, non autem voluntarium. Sed neque altera etiam voluntarij acceptio propriè eſt hujus loci; quia non omne, quod voluntarium eſt, propriè eſt volitum; neque omne, quod volitum eſt, propriè voluntarium eſt; certè enim prima volitio maximè eſt voluntaria, non tamen eſt volita, quia non præcognita; Econtrà tempore ſiccitatis pluvia Agricolis eſt volita, ſed non voluntaria; cùm ea ab eorum voluntate non procedat; quare eſſe volitum, denominatio extrinſeca eſt, quemadmodùm eſſe *viſum*, *cognitum* &c. Quòd ſi porrò ly *voluntarium* ſumatur ſtrictiùs, magisque propriè, tunc denotat omne id, quod procedit, vel dependet à voluntate, ſtrictè proprièque ſpectatâ, cujusmodi eſt voluntas rationalis; minùs propriè verò ſecundùm nominis impoſitionem

hic. diſp. 23. c. 2.

mem voluntarium dicitur id, quod procedit à quocunque appetitu elicito prævià aliquâ cognitione, etiamſi voluntas non ſit; quâ ratione, ut dictum eſt, voluntarium etiam reperitur in brutis animantibus. His notatis ſit

Concluſio 1.

Voluntarium benè definitur eſſe id, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis, & circumſtantiarum, in quibus actio conſiſtit. Sumitur definitio hæc ex Ariſt. 3. Ethic. c. 2. & ex D. Th. ibid. lect. 4. ubi voluntarium definitur eſſe id, cujus principium eſt in ipſo agente, ſciente ſingula, in quibus eſt actio. Nunc definitionem

3. Explico. Dixi. 1. quòd voluntarium ſit à *principio intrinſeco*, quia omne voluntarium procedere debet ab appetitu, vel ſenſitivo, vel rationali; & hoc non quomodocunque, ſed juxtà inclinationem operantis. Quia ſi Titius vi trahatur ab alio, motus hic tractionis Titio non erit voluntarius. Dixi 2. *cum cognitione finis*; quia cognitio eſt quid prærequiſitum ad voluntarium, tanquàm proponens objectum, in quod voluntas fertur. Unde licet lapis à principio intrinſecò (cōgenitâ gravitate) deorſum feratur, quia tamen lationem ſuam non cognoſcit, ea lapidi voluntaria non eſt, ſed tantùm naturalis. Dixi 3. *cum cognitione particularium*, id eſt, circumſtantiarum; quia ad voluntarium requiritur notitia non ſolùm actionis, ſeu rei, quæ fit, ſed etiam circumſtantiarum, cum quibus actio illa, & res conjuncta eſt. Quod ipſum tamen non ita eſt intelligendum, quaſi actio nunquàm ſit voluntaria, niſi omnes circumſtantiæ cognoſcantur; alioquin enim eleemoſyna nunquam foret vo-

Digitized by Google

luntaria, niſi ſtatus quoq; & conditio pauperis cognoſceretur. Quare hoc id ſenſu eſt accipiendum, quòd ad hoc, ut non tantùm ſubſtantia actionis, ſed & ipſæ quoque circumſtantiæ ſint voluntariæ, neceſſe ſit, eas quoq; cognoſci. Unde Titio occidenti Patrem, quem exiſtimabat eſſe inimicū, occiſio voluntaria diceretur in ratione homicidij, non verò in ratione parricidii; quia ſupponitur cognoviſſe circumſtantiam hominis, Patris verò minimè. Jam

hcic. 4. Probatur Concl. ratione, quam indicat Philoſophus, tradendo ipſam definitionem, dum ait; *exiſtente autem involuntario, quod vi, & propter ignorantiam, voluntarium utiq; videbitur eſſe, cujus principium eſt in ipſo ſciente ſingularia, in quibus eſt operatio.* Ubi, ut apparet, voluntarium opponitur involuntario: quare definitio voluntarii excludere debet omnes cauſas, & conditiones ad involuntariū concurrentes. Subſumo: ſed ad involuntarium duæ cauſæ, ſeu conditiones præcipuè poſſunt concurrere, violentia ſcilicet, & ignorantia. Ergò definitio voluntarii debet ambas excludere: at conſtat, eſſe *ab intrinſeco* excludere violentiam (hæc enim infertur à principio extrinſeco, cùm ſit contrà inclinationem ſubjecti) eſſe autem *cum cognitione finis; & circumſtantiarum*, excludere ignorantiam. Unde hæc definitio voluntarii perfecti ab Ariſt. tradita eſt optima. Dixi: *definitio hæc voluntarii perfecti*; utpote quæ intelligi debet de voluntario, quod ſoli rationali naturæ competit, & non de voluntario, ut ſic, & in totâ ſuâ latitudine; ad hoc enim ſufficit, quod ſit ab intrinſeco cum cognitione finis. Hinc

5. *Infertur*, per dictam definitionem, voluntarium non tantùm diſtingui à violento, ſed etiam ab *artificiali*, & *naturali*;

turali; ab artificiali quidem, quia hoc eſt ab arte, quæ eſt in mente, & intellectu Artificis. A naturali; quia licet naturale conveniat cum voluntario in hoc, quòd ſicut motus naturalis eſt à principio intrinſeco, ita etiam voluntarium; diſtinguitur nihilominùs in eo, quòd voluntarium ſit *cum additione ſcientiæ*, ſeu cum cognitione finis, dirigente motum; ubi econtrà opus naturæ, ceſſante etiam cognitione, & principio dirigente intrinſecó procedit. Hinc motus lapidis etſi quidem ei ſit naturalis, non tamen ei eſt voluntarius, quia in lapide nulla cognitio finis intercedit.

Concluſio 2.

Prima diviſio voluntarii propriè dicti eſt in perfectum, & imperfectum. Ita docent communiter diſcipuli D. Th. hîc, ubi probat, voluntarium propriè dictum, quod ibi dividit in perfectum, & imperfectum ratione cognitionis perfectæ, & imperfectæ reperiri in brutis animalibus. Quare q. 6. a. 2.

6. Explico; voluntarium *perfectum* eſt, quod procedit à voluntate cum perfectâ cognitione finis, ſive rationis advertentiâ. *Imperfectum*, quod imperfectam finis cognitionem ſupponit, cujusmodi ſunt motus animalium brutorum; ſicut & motus ſenſitivi in nobis, quando præveniunt rationis advertentiam; quin & motus primi voluntatis, in quos prorumpit abſque perfectâ rationis advertentiâ &c.

Probatur Concl. ratione adductâ ex doctrinâ D. Angel. Ratio voluntarii propriè dicti conſiſtit in hoc, quòd ſit à principio intrinſeco cum cognitione finis; ſive objecti quod eſt finis, ita ut ratione cognitionis illius agens ſe

moveat

Digitized by Google

creata diligit Deum amore beatifico, hic actus amoris eſt perfectè ab intrinſeco, & cum perfectâ cognitione finis; quia hic amor procedit ex viſione intuitivâ ſummi boni illius Divini, quâ perfectè & quidditativè attingitur in ſe ipſo; quòd verò actus hic amoris beatifici omninò ſit neceſſarius, & *quoad ſpecificationem*, id indè eſt, quia ſcilicet terminatur ad ſummum Bonum ut tale cognitum, in quo proinde nihil apparet, ratione cujus poſſit reſpici; & *quoad exercitium*; cùm nulla ſit difficultas in ejus exercitio. Ergò voluntarium perfectum non eſt idem ac liberum, ſed dividitur propriè in liberum, ac neceſſarium.

Concluſio 4.

Tertia voluntarij diviſio eſt in elicitum, & imperatum. Ita omnes.

8. Explico. Voluntarium *elicitum* dicitur ipſe actus voluntatis, qui ab eâ immediatè procedit. *Imperatum* verò, quod fit ab alijs potentijs ex imperio & motione voluntatis.

Probatur Concl. ratione. Totupliciter datur voluntarium, quotupliciter aliquid procedere poteſt à voluntate, puta, mediatè, vel immediatè, vel per ejus elicientiam, vel per ejus imperium (habet enim hoc voluntas ex naturali ſympathiâ cum potentijs ſubordinatis &c.) Ergò & voluntarium aliud eſt *elicitum*, aliud verò *imperatum*.

Concluſio 5.

Quarta voluntarij diviſio eſt in actuale, & virtuale. Ita rurſus omnes DD.

9. Explico. Voluntarium *actuale* eſt, quando intentio finis actu manet, dum voluntas operatur. *Virtuale* eſt, cujus intentio actu quidem non eſt, ſed tamen nec revocata eſt, & manet ſaltem in effectu, ſeu opere, ex vi prioris intentionis ſubſecutæ. Sic conſecratio, quæ animo diſtracto fit à Sacerdote, eſt voluntaria ſaltem virtualiter; quia, licet Sacerdos, dum conſecrat, actu nihil cogitet de conſecratione, priùs tamen habuit intentionem conſecrandi, quam nec dum revocavit, éxque vi prioris illius intentionis, hoc ipſum quod agit, procedit. Cæterùm rectè advertit Laym ad hoc, ut actio aliqua alicui cenſeatur voluntariâ, neceſſe inſuper eſſe, ut operans in eâ animi diſpoſitione maneat, ſecundùm quam operatio ejus ſub arbitrii poteſtatem cadere poſſit; Unde ſi ſacerdos domo egreſſus Sacramenti conferendi gratiâ, poſteà in ſomnum, amentiam, vel ebrietatem incidat, & in eâ diſpoſitione ſolennem verborum formulam proferat, ejusmodi operatio non erit virtualiter voluntaria, cùm moralis non ſit, id eſt, non ſubjecta humanæ rationis poteſtati, ſed omninò naturalis & neceſſaria.

lib. 1. Theolog. ſuæ Moral. tract. 2. c. 3. n. 4.

Concluſio 6.

Quinta diviſio voluntarij eſt in voluntarium ex propriâ, *&* ex alienâ voluntate *tale*; *ſive ut alij loquuntur*, *in voluntarium* Phyſicum, & morale. Ita omnes Theologi, & Juriſtæ.

10. Explico. Voluntarium *ex propriâ voluntate*, ſeu *Phyſicum* eſt illud, quod unusquiſque ſponte ſuâ facit, quódque proinde procedit à propriâ voluntate ipſius operantis. Voluntarium porrò *ex voluntate alienâ*, ſeu

morale

morale eſt, quod phyſicè quidem procedit à voluntate alterius ſuppoſiti, ſed tamen illa reputatur ut propria; velut accidit inprimis, quando quis conſentit, ut alius ejus nomine agat; quâ ratione Matrimonium factum per procuratorem eſt voluntarium. Secundò, cùm quis ex jure, vel Authoritate Superioris conſtituitur pro alio; velut voluntas Tutoris cenſetur voluntas pupilli. Tertiò, cùm aliquis naturaliter eſt ſub poteſtate & Dominio alteriûs; quemadmodùm voluntas Patris repùtatur voluntas filij impuberis. Quartò deniq; cùm quis ex pacto acceptat aliquid pro ſe, & in ſe contentis; velut ſi ineatur pactum conferendi alicui pro ipſo, & poſteris ipſius aliquod privilegium, ſervatâ tali, vel tali conditione, illud ei, vel poſteris ejus auferendi eà conditione non ſervatâ. Sic voluntas Adami reputata eſt voluntas noſtra.

Concluſio 7.

Sextò dividitur voluntarium in expreſſum, & tacitum. Ità omnes Theologi & Juriſtæ.

11. Explico. voluntarium *Expreſſum* eſt, quod vel verbis, vel ſigno aliquo ſignificatur. *Tacitum* eſt, quod abſque verbis quidem, non tamen abſque facto aliquo, vel facti omiſſione præſumitur, concurrentibus aliquibus circumſtantiis. Quò ſpectat illa regula Juris: *Qui tacet conſentire videtur.* Verùm quia huic regulæ opponitur illa regula: *qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur*: ut ritè intelligatur, quando prior illa regula locum habeat, & quando non. Obiter *41. in ſexto. 44.*

12. Notandum eſt, eam ex communi DD. tùnc inprimis tenêre, quando agitur de tacentis favore, & commo-

Digitized by Google

do; non item ſi de ejus præjudicio. Hinc ſi quis Titio tacenti promitteret ſe daturum mille aureos, Titius tacens etiam, cenſeretur conſentire, & promiſſionem tacitè ſaltem acceptare. Econtrà verò ſi eundem Titium præſentem promitteret quis Bertæ ſponſum, ipſe verò taceret, tali tunc caſu taciturnitas non induceret Titii conſenſum, utpote ſibi præjudicialem, cùm ſit alligatorius, 2. Ea ipſa regula locum habet, ſi quis de re aliquâ legitimè quæſitus taceat, cùm negare, & contradicere deberet, ſi taceat, fateri præſumetur. 3. Ea valet in Principibus, & Prælatis, quando vident, & ſciunt aliquid fieri, tacent tamen, nec impediunt, cùm tamen tenerentur, & poſſent ſine ſcandalo, vel alterius mali periculo id impedire, vel ſaltem ei contradicere. Tunc enim hæc ipſorum ſcientia, & patientia cum taciturnitate conjuncta conſenſus æſtimatur. Quare Prælatus ſi videat ſubditum irregularem, vel excommunicatum excipere confeſſiones, nec tamen prohibet, cùm facilè poſſet, cenſetur cum tali diſpenſare, quia tacet in re, quam facilè poſſet prohibere.

Concluſio 8.

Septimò dividitur in voluntarium ſecùndùm ſe, & in ſuâ causâ. Ita omnes DD.

13. Explico. voluntarium *ſecundùm ſe* eſt, quod ſecundùm ſe procedit à voluntate vel eliciente, vel imperante. Voluntarium *in alio*, ſeu in causâ eſt illud, quod non quidem in ſe, & ſecundùm ſe terminat volitionem, ſed in alio, ex quo operans prævidit, vel ſaltem prævidere potuit ſecuturum effectum (qui enim vult cauſam, vult & effectum ſubſequentem ad illam.) Hinc ſi Titius advertens

Digitized by Google

vertens ſe in ebrietate ſolitum rixari, alios percutere, blaſphemare &c. Voluntariè ſe inebriat, tunc ei rixa, percuſſio, blaſphemia &c. eſt voluntaria in ſuâ causâ, licet non habuerit intentionem rixandi in ebrietate.

Concluſio 9.

Octava voluntarij diviſio eſt in formale & interpretativum. Ita rurſùs communis habet.

Explico. *formale eſt*, ut jam diximus concl. 5. quod formaliter & expreſsè procedit à voluntate per modum actûs vel effectûs. *Interpretativum* dici ſolet, quòd ſi alicui proponeretur res, vel ab eo peteretur, verò ſimiliter præſumeretur voliturus. Ubi tamen diligenter eſt.

14. Obſervandum, præſumptionem, ex quâ prudenter judico, ſi petam hunc librum à Petro, dabit mihi: non ſufficere, ut actio mea voluntaria ſit Petro, ſed ſolùm, ut actio mea non ſit illi involitaria, quia ſcilicet non eſt contrâ aliquam voluntatem Petri formalem, vel interpretativam; quod quidem ſatis eſt, ut excuſer à furto, utendo libro Petri abſque ejus licentiâ, quia furtum debet eſſe contrà voluntatem Domini. Quando verò actio debet eſſe non ſolùm non contrà, ſed poſitivè juxtà voluntatem Domini, non ſufficit ejusmodi voluntas interpretativa, ut actio illa mihi ſit licita; vg ad audiendas confeſſiones requiritur voluntas Prælati concedentis Jurisdictionem: Unde ut hoc munus ſubire poſſim, ſatis non eſt, me certò ſcire, Prælatum daturum mihi licentiam, ſi petiero, vel rati habiturum, & conſenſurum in id, quod egero; quia hæc interpretatio ſolùm facit, quòd hic actus audiendi confeſſiones non ſit contrà voluntatem Prælati, non verò ponit aliquam volunta-

Digitized by Google

tem præſentem in Prælato, à quo valorem viresque accipiat hic actus meus. Similiter licet ſcias, Petrum ratificaturum, quòd ejus nomine in ſponſam accipias Mariam, non ſufficit hæc interpretativa voluntas, ut poſſis hîc & nunc absque alio mandato contrahere ejus nomine Matrimonium; ſed requiritur inſuper alia voluntas interpretativa præſens, quæ tunc datur, quando ex circumſtantiis judicas, Petrum hîc & nunc ſufficienter declarare, ſe habere talem voluntatem; ut cùm Prælatus videt te euntem ad audiendas confeſſiones, neque id prohibet, cùm facilè poſſit, cenſetur habere voluntatem *poſitivam* dandi tibi licentiam.

Concluſio 10.

Ultima diviſio voluntarij propriè dicti eſt in directum, *& in* indirectum. Ita communiter docent Theologi.

15. Explico & probo. voluntarium *directum* eſt illud; quod fit in voluntate tanquàm à cauſâ operante, & ad effectum im̃ediatè tendente; velut ſi nauta habens intentionem, ut navis ſubmergatur, eam perforet, ſubmerſio navis nautæ dicitur directè voluntaria, utpotè quæ mediante actione illâ directè fuit intenta. *Indirectum* eſt, quod quidem poſitivè non procedit à voluntate, ſed tamen ei imputatur, quia ab illo non impeditur, poſitâ in voluntate potentiâ, & obligatione impediendi. Hinc ſi nauta ludere velit, cùm tempeſtas urget, naufragium, quod tunc ſequitur, dicetur nautæ voluntarium indirectè, quia ille poterat ac debebat diligentiam adhibere, ne ſequeretur naufragium. Ex dictis facilè

16. *Colligis*, quòd voluntarium propriè dictum reperiatur quidem imperfectè in omni naturâ cognoſci-

tiva-

tivâ, ſed perfectè in ſolâ naturâ intellectuali, quando operatur ex perfectâ cognitione finis, & circumſtantiarum. Ratio primi eſt; quia voluntarium imperfectum eſt, quod ſequitur ad imperfectam cognitionem finis, ſed in brutis ſolùmmodò eſt imperfecta cognitio finis, cùm non cognoſcant rationem finis, nec proportionem mediorum ad finem. Ergò &c.

Ratio ſecundi eſt; quia voluntariū perfectum eſt, quod ſequitur ad perfectam cognitionem finis; ſed perfecta cognitio finis competit ſoli creaturæ rationali, utpotè quæ ſola cognoſcit rationem finis & proportionem mediorum ad finem. Ergò &c.

§. 2.

An dabilis ſit pura omiſſio libera; ſeu quod idem eſt; an dari poſſit voluntarium abſque omni actu?

Quia præſentis quæſtionis deciſio valdè conducit ad materiam de peccatis, præcipuè omiſſionis, velut advertunt DD hinc ſolito operoſiùs eandem pluribus concluſionibus diſtinctè elucidabimus. At priùs

1. *Notandum eſt 1.* Actum voluntatis dupliciter conjungi poſſe omiſſioni, nimirùm vel *per ſe*, vel *per accidens*. Per ſe conjungitur, quando actus voluntatis directè fertur in omiſſionem, eámque habeat pro objecto volito, ut ſi quis expreſsè atque explicitè ſimilem formet intentionem; volo omittere Sacrum, Horas Canonicas &c. Per accidens verò actus voluntatis conjungitur omiſſioni, quando is directè fertur in aliquid aliud, quod ſecum infert omiſſionem. Et hoc rurſùs dupliciter accidere ſolet, nempè vel *formaliter*, vel

vel *virtualiter*; *formaliter* quidem, dum ipſam omiſſionem concomitatur; velut cùm Petrus vult ludere, ambulare &c. eo tempore, quo audiendum eſt Sacrum: *virtualiter* verò, dum quidem omiſſionem antecedit, ita tamen ut *moraliter loquendo*, ſit ipſius cauſa vel occaſio, ut cùm quis quis ſe vult inebriare, ex quo poſtmodum ſequitur, quòd altero die feſto dormiat eo tempore, quo Sacrum foret audiendum.

2 *Notandum eſt 2.* ut aliquid ſive *directè*, ſive *indirectè* ſit voluntarium, Vg. ut omiſſio Officij Divini, ejúſque effectus, puta, ſcandalum ipſum ſubſecutum, ſint mihi voluntaria, minimè neceſſarium eſſe, ut circà hæc duo objecta in particulari habeam, aut habuerim explicitam quandam, & diſtinctam advertentiam in intellectu, ſed ſufficere advertentiam *virtualem* ac interpretativam. Ratio primi eſt; quia ſi ad omne voluntarium requireretur expreſſa & formalis advertentia rationis, nullum daretur peccatum ex ignorantiâ vincibili; quia ad hoc non procedit expreſſa & formalis advertentia, ſed ſolum implicita & virtualis. Ratio ſecundi eſt; quia illa advertentia ſufficit ad cauſandum voluntarium, quæ ſufficit ad cauſandam omnimodam ignorantiam ex parte objecti; ad hoc enim requiritur advertentia, ut tollat à Voluntate ignorantiam objecti, circà quod voluntas debet operari; ad hoc enim ſufficit quæcunque advertentia virtualis & interpretativa. Ergò ad cauſandum voluntarium ſive *directum*, ſive *indirectum*, ſufficit advertentia rationis virtualis & interpretativa. Ubi tamen ampliùs addendum eſt, nos nomine advertentiæ virtualis ac interpre-

Digitized by Google

terpretativæ non intelligere qualemcunque cognitionem ſpeculativâ *in confuſo*, quæ præceſſerit circà actum, qui omittitur; ſed intelligere nos talem cognitionem, quæ ſit ſaltem *inchoativè* practica per modum remorsûs, & aliqualis ſcrupuli; vel ad minùs ſecundùm aliquam obſcuram dubietatem intellectûs, ut voluntas ſic occaſionem accipere poſſit, movendi intellectum ad attentiorem advertentiam, quæ ſi tunc ſubſecuta non fuerit, habetur pro advertentiâ *interpretativâ*, in quantùm homo tenebatur, & adhibitâ mediocri diligentiâ, poterat advertere.

3. *Notandum.* 3. non eſſe dubium, quin aliquando voluntas ceſſare poſſit ab omni actu ſuo, puta, quando nullum ipſi objectum proponitur amandum, aut odio habendum; ubi tamen ſimul etiam advertendum eſt, omiſſionem ejusmodi nec liberam, nec voluntariam eſſe, cùm nullo modo procedat à voluntate; negatio enim effectûs dupliciter tantùm tribuitur alicui cauſæ; primò *mediatè*, quatenùs ſcilicet cauſa ponit aliquid poſitivum repugnans cum alio; quâ ratione ignis dicitur deſtruere frigus aquæ, quia ſcilicet producit calorem, repugnantem frigori, & ad cujus productionem ſequitur negatio frigoris in aquâ. Secundò *immediatè*, quatenùs nimirùm cauſa poterat agere, & non agit; vel conſervare, & non conſervat; ita Deus dicitur cauſa, quòd non exiſtat alius mundus, quem poſſet creare; vel cauſa deſtructionis hujus mundi, ſi eum non conſervaret. Cùm ergò voluntas caſu, quo ipſi nullùm proponeretur objectum amandum, vel odio habendum, non foret in actu primo *proximo* potens operari (quippè non habeat in ſuâ poteſtate *proximâ*, niſi illud tantùm, quod per cognitionem

ſibi proponitur.) conſequens eſt, quòd negatio operationis eo in caſu nec immediatè, nec mediatè ſit à voluntatè; cùm voluntas tunc nihil poſitivum ponat, quòd repugnet operationi. Jam ſit

Concluſio 1.

Nequit voluntarium directum *eſſe absque omni actu.* Ita certum habent omnes DD.

4. Probatur Concl. Voluntarium directum eſt, quod procedit ab aliquo, in quantùm id agens eſt; agens autem nequit eſſe ſine actu. Nequit ergò voluntarium directum dari absque omni actu.

Concluſio 2.

Ad omne voluntarium, ſive directum, *ſive* indirectum, *neceſſariò prærequiritur actus aliquis rationis, qui voluntati proponat objectum.* Eſt certa, & indubitata Doctrina omnium rectè ſentientium. Et

Probatur ex communi omnium DD. axiomate: *nullum volitum, quin præcognitum*; ergò nec voluntarium aliquod ſine præviâ cognitione; quippè ſæpè coincidant voluntarium, & volitum. Quare tota præſentis §. difficultas procedit de voluntario *indirecto*, ſeu *interpretativo*, & ſenſus eſt, an dari poſſit voluntarium indirectum absq; omni actu formali voluntatis, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi rem præceptam Vg. Sacrum, aut Officium Divinum? ſive (quod in idem recidit) an voluntas ita poſſit ſe *negativè* habere ad actum hîc & nunc à ſe eliciendum, ut dari poſſit pura ex parte voluntatis omiſſio, habens veram rationem voluntarii, ac liberi? Dixi autem in priori explicatione: *difficultatem procedere de voluntario* indirecto, *ſeu* interpretativo; quia hîc

non

non eſt mentio de voluntario, quod eſt interpretativum ſecundùm fictionem Juris, vi cujus tacens, dum poſſet, ac deberet reſpondere, præſumitur conſentire, cùm tamen fieri poſſit, ut nullum habeat realiter in ſuâ mente conſenſum. Quare *interpretativum* voluntarium hic ſumitur pro voluntario *negativè* indirecto, quod conſiſtit in liberâ voluntatis omiſſione; quia ſicut liberè ponere in actu rem præceptam, ideò dicitur voluntarium *directè*, quia procedit à voluntate, in quantùm hæc agens eſt; ita liberè non ponere, ſeu omittere eandem rem præceptam, ideò dicitur voluntarium *indirectè*, & *interpretativè*; quia procedit à voluntate, in quantùm hæc non agit, cùm tamen poſſit agere. Quare ſit

Concluſio 3.

Poteſt dari voluntarium indirectum, *ſeu* interpretativum *absque omni actu, per ſe, & directè tendente in ipſam omiſſionem.* Ita S. D. Angel. ubi ſic ait: *quia igitur voluntas volendo, & agendo poteſt impedire hoc, quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet; hoc quod eſt non velle, & non agere, imputatur ei, quaſi ab iſtâ exiſtens: & ſic voluntarium poteſt eſſe absque actu; quandóque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, ſicut cùm vult non agere: aliquandò autem & absque actu interiori, ſicut cùm non vult.* Et infrà; ubi hæc habet; *quandoque peccatum omiſſionis eſt cum actu interiori, ut cùm aliquis vult non ire ad Eccleſiam; quandóque verò absque omni actu, vel interiori, vel exteriori, ſicut cùm aliquis horâ, quâ tenetur ire ad Eccleſiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Eccleſiam.* Et tandem concludit: *veriùs dici poteſt, quòd aliquod pec-*

catum poſſit eſſe absque omni actu. Clariùs hæc habentur alibi. Sed

2. d. 35. q. 1. a. 3.

5. Probatur Conclus. etiam ratione. Quia de ratione potentiæ liberæ eſt, ut habeat indifferentiam ſaltem *contradictionis*, hæc enim reperitur in omni libertate (nam indifferentia *contrarietatis*, quæ reſpicit actus oppoſitos, ut bonum & malum, eſt tantùm extenſio libertatis creatæ defectibilis) atqui indifferentia *contradictionis*, ut diſtincta ab indifferentiâ *contrarietatis*, dicit hoc, quòd potentia libera ita habeat ſub ſuo dominio *agere* & *non agere*, ut poſſit pro libitu agere, & non agere; undè ſtante aliquo præcepto, ejusmodi ſuſpenſio actûs erit omiſſio voluntaria; ergò poteſt dari voluntarium *indirectum* absque ullo actu formali. Confirmatur doctrina hæc ex his, quæ dicentur ſeq. Concl.

Conclus 4.

Nullum dari poteſt in homine voluntarium indirectum *absque eo, quòd formalis aliquis voluntatis actus omiſſioni per accidens ſaltèm conjungatur* antecedenter, vel concomitanter, *qui ſit cauſa, vel ſaltèm occaſio omittendi.* Ita quoad hanc, & priorem Concl. Philippus â SS. Trinit. cùm aliis Thomiſtis, quos ibidem citat, & ſequitur.

in 1. 2. diſp. 8.

Colligitur autem Concl. in primis ex variis locis Doctoris Angel. quem ſequuntur Cajet. Bannes. Alvarez. Martinez. Salmanticenſes, & alii in præſenti contrà plures RR. Unde.

præcipuè verò ex q. 2. de malo. a. 1. in corp. & ex 1. 2. q. 7. a. 5.

6. Probatur Concl. Authorit. S. Script. præſertim verò ex illo; ubi Chriſtus ſervum pigrum increpans inquit; *quare non dediſti peccuniam meam ad menſam, ut ego veniens utique cũ uſuris exegiſſem illam;* ubi ut apparet, ſervus piger punitur

Luc. 19.

punitur propter omiſſionem, quæ tamen ſupponitur fuiſſe cum actu aliquo poſitivo; cùm alioquin non interrogaretur de motivo, propter quod omiſerit; *cur non dediſti &c?* Certè enim ſi ſervus peccare potuiſſet propter puram omiſſionem, validè licitéque reſpondiſſet; quid me interrogas de motivo ad omittendum? non enim neceſſarium eſt motivum aliquod. Chriſtus verò ſupponit, non poſſe fieri peccatum ſine aliquo motivo. Ergò ſupponit, non poſſe dari omiſſionem liberam ſine omni omninò actu poſitivo.

Probatur Concl. 2. Authorit. SS. PP. præſertim S. Chryſoſt. ſuper verba illa: *incenſa igni, & ſubfoſſa &c.* dicentis, omnia peccata procedere vel *ex timore malè humiliante, vel ex amore malè inflammante.* Uterq; autem actus hic voluntatis eſt poſitivus, ut conſtat. Neceſſe ergò eſt, nullum voluntarium, etiam *indirectum* eſſe ſine omni prorſus voluntatis actu formali, qui ſaltem ut cauſa, vel occaſio omittendi illud antecedat, aut comitetur.

7. Probatur 3. ratione; quia quod eſt voluntarium, debet aliquo modo procedere à voluntate; at voluntarium *indirectum*, quale eſt omiſſio voluntaria, neque procedit, nec etiam concipi poteſt, ut procedens à voluntate, ſi nullus eam actus vel antecedat, vel comitetur, qui ſit ipſius cauſa, vel occaſio. Ergò &c. m. probatur. Quia voluntas nunquam refugit malum, niſi ex motivo alicujus boni, cùi malum illud adverſatur; ſed objectum, quod omittitur, apprehenditur hîc & nunc ut malum (propterea enim omittitur) voluntas ergò nunquam poteſt omittere actum circà objectum ſibi propoſitum, quin

Digitized by Google

vel priùs, vel ſimul verſetur circa aliud objectum apprehenſum ut bonum; & cujus intuitu iſtud omittatur. M. eſt certa; quia objectum proſecutionis adæquatum voluntatis eſt Bonum; indè cùm potentia nequeat ferri extrà objectum ſuum adæquatum, ſemper terminatur ad bonum: *m.* etiam probatur; quia omiſſio eſt quædam fuga; appetitus autem non poteſt fugere bonum ut tale, cùm ſit objectum ipſius, ad quod eſt determinatus *quo ad ſpecificationem*, & ſi refugit aliquid, refugit id ſub ratione mali, vel ſub privatione majoris boni, quod eſt quoddam malùm.

8. Confirmatur: Nequit voluntas exercere ullo modo ſuam libertatem, niſi moveatur aliquo motivo vel boni amabilis; vel mali odibilis; non poteſt autem moveri ejusmodi motivo, niſi per actum amoris, qui proſequatur Bonum, vel odii, quo fugiat malùm. Ergò non poteſt ullo modo voluntas ſuam exercere libertatem, niſi per actum aliquem poſitivum amoris, vel odii. M. probatur ex ipsâ naturâ voluntatis, quæ in tantùm eſt libera, in quantùm ab intellectu ei proponitur objectũ cum indifferentiâ, id eſt, nec ut purum bonum, nec ut purum malum (quòd ſi enim proponatur bonum ſine malo, tunc neceſſariò ad amorem; ſi verò malùm ſine ratione boni, neceſsitatur ad fugam) quoties igitur voluntas liberè operatur, habet motivum; vel enim amplectitur liberè objectum propoſitum, & tunc habet pro motivo bonitatem objecti; vel relinquit objectum propoſitum, & tunc habet pro motivo aliquam rationem mali propoſitam. *m.* de motivo mali (nam quod attinet ad motivum boni, certum eſt,

quòd

quòd id nequeat movere ad omiſsionem; non enim poteſt omitti objectum, eo quòd ſit bonum) etiam probatur, non poſſe id movere, niſi ad fugam poſitivam odij, aut nolitionis; quia hoc, quod eſt voluntatem de facto moveri eo motivo mali cogniti ad relinquendum objectum, eſt aliquid, quod non erat in actu primo; non autem eſt mera negatio amoris (negatio enim ſecundùm ſe eſt indifferens, ut ſit propter illud motivum, vel propter aliud diverſum) ergò eſt quid aliud præter negationem, ſeu omiſsionem amoris: hoc autem non poteſt eſſe, niſi actus poſitivus fugæ, quâ voluntas non ſolùm vult omiſsionem, ſed vult illam propter tale motivum propoſitum; ergò non poteſt moveri ex motivo ad omiſsionem niſi per actum poſitivum. Sed quid ad hæc Adverſarij? ut vim argumenti elidere videantur, inquiunt; quamvis pura omiſsio non ſit à voluntate ut agente, eſſe tamen à voluntate, ut non agente, quæ poſsit agere; & hoc dicunt, ſufficere ad voluntarium *indirectum.* Quare contrà concluſionem præſentem

9. *Objic.* In primis plura loca S. Script. quæ videntur probare omiſſionem liberam; & in primis illum: *ſcienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Item illum; *ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non facit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Et ſervus piger punitur, quia non eſt negotiatus cum pecuniâ acceptâ. Ubi Chryſoſtomus à Gloſsâ adductus ait: *videtur quia non ſolùm, qui rapit aliena, aut qui mala facit, punitur; ſed etiam, qui bona non facit.* At

Ex epiſt. S. Iacobi cap. 4.
Luc. 12.
Matth. 25.

℟. Hæc omnia eſſe veriſſima; certùm enim eſt, eũ,

qui

qui debet facere, & non facit, peccare, & puniri. Quæſtio autem eſt, an iſte, qui non facit, omittat abſque omni actu, an verò ſemper interveniente aliquo actu. Adverſarij autem neque ex S. Script. neque etiam ex SS. PP. oſtendere poſſunt, id contingere ſine ullo actu; nam eadem Scriptura de benè operante, & promerente dicit, *quòd potuerit transgredi, & tamen non ſit transgreſſus; facere mala, & non fecerit; ideoque ſtabilita ſint bona illius;* & tamen etiam apud Advers. certum eſt, nunquam poſſe dari meritum, ſaltem præmij ſupernaturalis ſine aliquo actu poſitivo. Imò in locis illis in contrarium adductis ſupponitur, intervenire actus poſitivus. Nam in epiſtolâ Jacobi immediatè antè verba citt. dicitur: *nunc autem exultatis in ſuperbijs veſtris*; atqui hæc exultatio actio erat poſitiva. Ex quo poſtmodum ampliùs infert: *ſcienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi:* Loquitur ergò de omiſſione, quæ oritur ex affectu, & ſpiritu ſuperbiæ. De ſervo item pigro jam ſuprà vidimus ex ipſis Evangelij verbis, colligi, quòd non potuerit habere puram omiſſionem, cùm ab ipſo quæratur, quale motivum habuerit non dandi peccuniam ad negotiationem; atqui ſi fuiſſet pura omiſſio, fruſtrà quæreretur de motivo. Certiſſimum ergò eſt liberè peccare, quicunque non facit, quod debet; ſed verum ſimul etiam eſt, neminem omittere, ſeu non facere ſine actu aliquo poſitivo.

q. 79. a. ult. ad ultimum. diſtinct. 25. q. 1. a. 3. q. 2. a. 1. ad 4. 5. & 9.

10. *Obijc.* 2. Authorit. S. Th. hîc, ubi videtur docere, voluntarium reperiri poſſe ſine ullo actu, quod videtur etiam ſuponere alibi. In quibus locis addit non

non ſemper in peccato omiſſionis reperiri actum, qui cadat ſuper cauſam omiſſionis, nec ſemper peccatum illud fundari in actu. Sed

R. Doctorem Angel. mentem ſuam ſufficienter explicâſſe, ubi ait: *quando dicitur, peccatum poſſe eſſe ſine ullo actu*; id non intelligi oportere, quòd poſſit eſſe ſine ullo actu ſaltem *interno*, qui ſit cauſa, vel occaſio omiſſionis peccaminoſæ (hoc enim eſt impoſſibile) ſed ſolùm intelligi oportere, quòd poſſit eſſe abſque ullo actu, qui *per ſe* tendat ad ipſam omiſſionem, vel eandem habeat pro objecto; poteſt enim aliquis peccare, nullo modo volens omiſſionem Sacri, ſed ſolùm volens aliquid, quod hîc & nunc conſequitur omiſſio Sacri; ad quem actum *per accidens* ſequitur omiſſio prohibita; quia igitur, quæ *per accidens* ſunt, non conveniunt *eſſentialiter*, inde fit, ut id, quod *per ſe* eſt prohibitum, non ſit ille actus, ſed mera omiſſio, quæ poſteà ſequitur. Et hæc ſunt, ex quibus facilè impugnantur reſponſiones Advers. adhibitæ noſtris rationibus, faciléque etiam ſolvuntur eorum argumenta in contrarium adducta. Nihilominùs ad pleniorem præſentis materiæ intelligentiam *infrà q. 71. a. 5.*

Quæres 1. *Utrum ad omiſſionem voluntariam requiratur, ut voluntas non ſolùm poſſit, ſed & debeat agere?*

11. *Notandum* 1. ſenſum quæſtionis eſſe, utrum ad hoc, ut omiſſio actûs ſit in actu ſecundo *indirectè*, ſeu *interpretativè* voluntaria, requiratur debitum, ſeu obligatio ponendi actum, qui prætermittitur; v.g. utrum ad hoc, ut omiſſio Sacri non audiendi, quam prævideo, ex meâ deambulatione ſecuturam, ſit *indirectè* in actu ſecundo volunta-

Digitized by Google

luntaria (eſſe enim eam voluntariam in actu primo, extrà controverſiam eſt; cùm ad hoc voluntarium ſufficiat, ut ſit in poteſtate voluntatis, tanquam in causâ) requiratur obligatio audiendi ſacrum?

Notandum 2. omne debitum, ſeu obligationem provenire ex aliquo præcepto, vel *naturali*, vel *poſitivo*, ſive ſit obligatio orta ex juſtitiâ, ſive ex charitate, ſive ex quocunque alio titulo: obligatio autem orta ex aliquo præcepto, vel eſt ad agendum, cujusmodi eſt obligatio diligendi Deum ex lege charitatis; vel eſt ad non agendum, ſeu ad omittendum agere, cujusmodi eſt obligatio ad non occidendum; prior obligatio fundatur ſemper in præcepto *affirmativo*, poſterior verò in præcepto *negativo*.

12. *Notandum* 3. tres potiſſimùm ſententias dari circà præſens dubium. Prima docet, quòd, ut omiſſio ſit voluntaria, non ſit neceſſaria conditio illa, ut quis ad non omittendum teneatur. Quapropter ſi aliquis die illo, quo Miſſa non eſt in præcepto, ſciens & prudens aggreditur negotium cum Miſsâ incompoſſibile, tunc omiſſio Miſſæ illi eſt voluntaria; & ſic dicendum eſt de cæteris aliis omiſſionibus, licet de effectu, ad omiſſionem ſubſecuto aliter philoſophentur, de quo ſequenti dubio. Sic docent Almain. Vaſq. Salas, Martinez, & Illuſtriſs. Einſidleenſis. Secunda ſententia oppoſitum tenet, docens, omiſſioné *indirectè* volitam non eſſe voluntariam omittenti, niſi is ad non omittendú teneatur, quapropter ſi Petrus in die, quo non eſt præceptum audiendi, eo tempore, quo cognoſcit, Miſſam celebrari, velit ſtudere, accidit illi omiſſio

lib. 1. moral. c. 1. hîc disp. 24. c. 3. hîc disput. 1. ſect. 4. in Theol. ſcholaſt. de actibus hum. q. 3. a. 1. controv. 6.

omiſſio Miſſæ, ſed voluntaria non eſt. Dixi: *omiſſionem indirectè volitam*; quia ſi Petrus circà illam habeat actum directum, vg. *nolo audire Miſſam*; tunc nullum dubium eſt, quin ejusmodi omiſſio ſit libera, & expreſsè voluntaria. Sic autumant Cajet. Conradus, Lorca, & plures alij. Tertia ſententia requirit obligationem adhoc, ut omiſſio ſit voluntaria *culpabiliter*, non verò ad hoc, ut ſit voluntaria phyſicè, & *inculpabiliter*. Sed jam in hac ſententiarum varietate *In Comment hujus art. & infrà q. 26. a. 9. in hoc art. hic diſp. 2.*

Reſpondeo 1. ut omiſſio aliqua non *phyſicè* duntaxat, ſed etiam *moraliter* ſit voluntaria, requiritur & ſufficit, ut quis ſcienter (ſive *directè*, ſive *indirectè*, ſeu *interpretativè*) omittat opus, quod poterat facere; neque opus eſt, ut habeat præceptum, vel debitum illud faciendi. Videtur, eſſe S. D. Angel. quem hoc ſenſu intellectum ſequitur Salas, & ſuprà relati Doctores. *loc. cit.*

15. Probatur Authoritate, & ratione S. D. deſumptâ ex argumento *Sed contrà*, ubi dicit, illud eſſe voluntarium, cujus domini ſumus; talis autem eſt omiſſio illa, de quâ loquimur in præſenti; ergò ea eſt voluntaria.

Probatur 2. à *priori*; ſtantibus principiis intrinſecis, & eſſentialiter requiſitis ad rationem voluntarij, ponitur voluntarium (quemadmodum poſitis principiis eſſentialibus hominis, ponitur homo) ſed principia intrinſeca voluntarii ſolùm ſunt cognitio objecti, & potentia voluntatis, à quâ tanquam à principio intrinſeco procedit voluntarium, ipſum autem præceptum, obligatio, ſeu debitum eſt aliquid extrinſecum, ſupponens ipſum voluntarium, tanquam materiam, ſuper quam cadit; nec

Digitized by Google

magis ponit omiſſionem in poteſtate voluntatis, nec addit majorem cognitionem ex parte intellectûs circà objectum cognitionis. Ergò ut omiſſio ſit voluntaria, non requiritur debitum faciendi.

Probatur 3. a *poſteriori* ſpecialiter contrà aliquos, qui exiſtimant, poſſe quidem ſine præcepto dari voluntarium *phyſicum*, cauſatum ſcilicet à voluntate, non tamen voluntarium *morale*, id eſt, ut ſubjectum regulis rationis, qui tamen falluntur; cùm nullum ſit voluntarium, quod non ſubjiciatur regulis rationis, non quidem ſemper prohibentibus, vel obligantibus, ſed quandoque ſolùm conſulentibus, aut permittentibus; quia ratio eſt menſura univerſalis, ſicut & ipſamet voluntas (nihil enim eſt volitum, quin cognitum; & nihil eſt à voluntate, quod non poſſit dirigi à ratione) contrà hos, inquam, noſtra concluſio probatur; quia multæ ſunt omiſſiones voluntariæ, imò etiam *morales*, & meritoriæ, velut ſunt omiſſiones, quæ pertinent ad mortificationem (ut ſi quis omittat recreationem, quâ licitè uti poſſet) quæ ſunt *directè*, & actu formali volitæ (vel ſi quis ſe occupet ſtudio, oratione &c eo tempore, quo frui poſſet aliis recreationibus &c) quæ ſunt *indirectè*, & conſecutivè volitæ, & omiſſæ. Ergò dantur omiſſiones, quæ ſint voluntariæ, nullo ſtante debito faciendi.

Confirmatur concluſio. Tam benè eſt in poteſtate voluntatis, ac ſcientis, omittere id ad quod ipſe non obligatur, quàm omittere id, ad quod obligatur; ergò poteſt ipſi eſſe voluntaria omiſſio, non tantùm rei, ad quam obligatur, ſed etiam rei, ad quam non obligatur; ſic illi, qui non obligatur profiteri Religionem, vel

vel SS. Ordines ſuſcipere, cùm non profitetur Religioné, nec SS. Ordines ſuſcipit, ſciens, quòd poſſit hæc facere, talis omiſſio eſt voluntaria, & tamen non eſt *culpabilis.* Ergò. Accedit, quòd omne, quod eſt liberum, ſit etiam voluntarium; atqui tam liberè omittit aliquis id, quod poteſt, ſed non tenetur facere, quàm id, quod poteſt, & tenetur facere. Ergò tam libera & voluntaria eſt omiſſio operis præcepti, quàm non præcepti. Et tandem certum eſt, quòd Dominus Deus voluntariè omittat dare gratiam, & facere miracula illis, quibus nec largitur gratiam, nec patrat miracula, & tamen etiam certum eſt, quòd ad ea præſtanda non obligetur. Ergò ut omiſſio aliqua ſit voluntaria, non tantùm *phyſicè*, ſed etiam *moraliter*, requiritur & ſufficit, ut quiſpiam ſcienter (ſive *directè*, ſive *indirectè*, ſeu *interpretativè*) omittat opus, quod poterat facere; neque opus eſt, ut habeat præceptum, vel debitum faciendi.

℞. Nihilominus 2., ut omiſsio ejusmodi ſit ſimul etiam *culpabilis*, requiritur inprimis, quòd potuerit agere (2) quòd debuerit, & (3) quòd non egerit. Certa eſt reſponſio hæc ex communi Philoſophorum moralium, & Theologorum conſenſu. Et

14. Probatur. Quia ſi quis non poſſit agere, non poteſt ipſi imputari, quòd non egerit; cùm nemo peccet in eo, quod facere, vel vitare non potuit; ergò ut omiſsio alicui ſit imputabilis ad culpam, requiritur, quòd potuerit agere. Deinde ſi quis potuit quidem agere, ſed nullo modo debuit, nequit ipſi eſſe culpabile, quòd non egerit; quia nullum datur peccatum, aut culpa, niſi ubi eſt transgreſsio alicujus legis, vel

Digitized by Google

præcepti; ſed ubi ſolùm eſt omiſsjo alicujus rei, quam potuit quidem facere, ſed nullatenus obligabatur, nulla eſt transgreſsio legis; ergò nec peccatum, & per conſequens, ut omiſsio ſit culpabilis, requiritur obligatio. Et denique; ſi quis agat, & adimpleat præceptum, non peccat; ergò ut peccet in omiſsione voluntariâ, requiritur, quòd non egerit. Ergò à primo ad ultimum; ut omiſsio libera ſit ad culpam imputabilis, requiritur (1.) quòd quis potuerit agere (2.) quòd debuerit; & (3.) quòd non egerit; at

3. Ethicor. c. 1 15. *Objic.* 1. contra 1. reſpons. Authorit. Ariſtot. aſſerentis, voluntarium afferre delectationem; atqui delectatio non poteſt eſſe, ubi non eſt amor; ergò quando omiſsio *directè* non amatur, nequit eſſe voluntaria.

℟. Ariſtotelem vel loqui duntaxat de voluntario *directo*; vel ſi loquatur de omni voluntario, tunc dicimus, omiſsionem illam, ſicuti eſt voluntaria *in causâ*, ita etiam afferre delectationem *in causâ*; delectat enim nos, ponere cauſam omiſsioni.

Objic. 2. Authorit. S. D. Angel. ubi adhoc, ut omiſsio reducatur in aliquam cauſam, exigit obligationem. Ergò. — *hoc artic.*

℟. S. D. exigere debitum, & obligationem, ut omiſsio imputetur ad culpam; non porrò adhoc, ut ſit *indirectè* voluntaria; cujus ratio eſt, quia jam priùs univerſaliter dixerat, omiſsionem eſſe *indirectè* à voluntate ideo præcisè, quòd non agat. Nihilominùs cùm ad voluntarium *ſimpliciter* non ſufficiat, eſſe *indirectè* à voluntate, idcircò adjunxit, requiri debitum, ut id imputetur ad culpam, ſeu, ut *ſimpliciter* dicatur voluntarium

luntarium. Legantur hic verba S. D. quæ habet in reſpons. ad 3, ex quâ objectio hæc deſumpta eſt.

16. *Obijc. 3.* omiſsio non ſemper cauſatur phyſicè à voluntate, ſed *per accidens* duntaxat, & per aliud, tanquam effectus ex omiſsione ſecutus; ſed effectus ex omiſsione ſecutus non eſt voluntarius ſine præcepto; ergò nec omiſsio. M. Prob. quia omiſsio non ſemper immediatè cauſatur à voluntate, ſed ab actu, qui eſt cauſa, vel occaſio illius *in exercitio*; quemadmodum non auditio Miſſæ non eſt immediatè à voluntate, ſed à luſu, vg. qui eſt occaſio omittendi Miſſam. Ergò omiſsio quandoque eſt à voluntate *per accidens* ſolùm, & per aliud. Et Confirmatur argumentum. Ideo nos dicimus, effectum ex omiſſione ſecutum, non eſſe voluntarium ſine præcepto, vel debito; quia omiſſio non eſt *per ſe* cauſa illius, ſed merè *per accidens*; atqui etiam ipſa omiſſio non ſequitur ex voluntate, niſi *per accidens*, ſeu per aliud; ergò eâdem ratione omiſſio non erit voluntaria ſine præcepto, quâ ratione effectus ex omiſſione.

℞, ad argumentum diſtinguendo M. pro 1. p. omiſſio non cauſatur ſemper *phyſicè* à voluntate, non ſemper *immediate*, concedo M. non ſaltem *mediate*, & ex conſequenti, nego M. licet ergò omiſſio ſit à voluntate mediante alio, mediante ſcilicet aliquo actu, qui *per ſe*, & *immediatè* oritur â voluntate; *mediatè* tamen, & ex conſequenti omiſſio etiam *per ſe* eſt à voluntate, in quantùm ſcilicet actus ille, qui eſt cauſa omiſſionis, & ad quem ſequitur omiſſio, eſt in poteſtate ipſius voluntatis, nullâ aliâ cauſâ interveniente.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm effectus ex omiſſione ſecutus præter voluntatem, ex quâ oritur omiſſio, requirit aliam etiã cauſam exteriorem, quæ per ſe cauſat talem effectum; & iſta cauſa non ſemper eſt in poteſtate voluntatis, dum efficit talem effectum, licet in ipſius poteſtate quandoque ſit impedire, ne fiat. Dixi, talem cauſam non ſemper eſſe in poteſtate voluntatis illius, qui omittit; quia loquimur de voluntario *indirecto*, non autem de *directo*; quòd ſi enim aliquis vellet omiſſionem, tanquam medium ad hoc, ut ſequeretur effectus tanquam finis, tunc utique omiſſio *directè* foret volita, & ipſe effectus ita ſecutus; nullo enim ſtante præcepto, *directè* quoque foret volitus, & intentus à voluntate, & conſequenter in ejus poteſtate, utpote qui ordinaret omiſſionem ad talem effectum. Ad Confirm. patet ſolutio ex dictis; non enim omiſſio eſt cauſa *per accidens* effectûs ſecuti quomodocunque, ſed quia effectus ille dependet ab aliâ etiam causâ ſecundâ, in quam nullo modo influit voluntas, nec *mediatè*, nec *immediatè*, nec *directè*, nec *indirectè*, ſed ſolùm non impedit cauſam ſic influentẽ; non impedire autem, non eſt *phyſicè* influere; unde ſi eſſet influentia aliqua, illa ſolummodo *moralis* eſſet, quæ tamen non poteſt eſſe, niſi adſit debitum & obligatio impediendi, ratione cujus debiti ad voluntatem pertineat impedire; omiſſio autem non ſic ſequitur *per accidens*; licet enim ea ſit per aliud, id eſt, per actum, ad quem ſequitur, eſt tamen per ſe à voluntate, ſaltem *mediatè*. Et ideo omiſſio poteſt eſſe, & eſt voluntaria ſine præcepto & obligatione, non tamen effectus ad omiſsionem ſecutus; ſicque ſalvatur ſufficiens differentia inter utrumque.

17. Di-

17. *Dices.* ſi omiſſio aliqua voluntaria eſt ſine præcepto, & obligatione; tunc quotieſcunque elicitur aliquis actus, Vg. ſtudij, dabuntur infinitæ omiſſiones voluntariæ: quia hoc ipſo, quòd actum iſtum eliciam, relinquo omnes alios, quos poſſem nunc elicere, qui in individuo, & *diviſivè* ſunt infiniti; ergò infinitæ iſtæ omiſſiones redderentur voluntariæ, quod abſurdum videtur. ℟. quòd omiſſiones hæ infinitæ ſint ſolùm voluntariæ in *potentiâ & remotè*, in quantùm ſcilicet voluntas, licet elicuerit actum ipſum Vg. ſtudii, poterat alium, & alium *diviſivè* elicere, ſi ſibi proponeretur, & eum non repelleret; non tamen ſunt omiſſiones ejuſmodi voluntariæ *actu*, & *proximè*, quia illæ tantum omiſſiones taliter ſunt voluntariæ, quæ actu cognoſcuntur.

Obijc. 4. non poteſt aliquid eſſe voluntarium, niſi oppoſitum ejus reddatur involuntarium; nequit enim aliquis duo oppoſita ſimul velle; ſed quando nullum eſt præceptum, tunc Vg. omiſſio Miſſæ non reddit actum omiſſioni Miſſæ oppoſitum, involuntarium, ipſam ſcil. auditionem Miſſæ; ergò nec omiſſio illa ſine præcepto reddetur voluntaria. m. probatur; quia adhoc, ut actus contrarius, ſeu oppoſitus eſſet involuntarius, deberet expelli à voluntate vel *phyſicè*, vel *moraliter*; ſed non expellitur ab illa *phyſicè*, quia nunquam fuit in ſubjecto, ex quo poſſet expelli; neq; expellitur *moraliter*, quia non eſt debitus; ergò nullo modo reddetur involuntarius.

℟. quòd omiſsio reddat actû oppoſitum involuntarium, non quidē *poſitivè, & contrariè*, ſed *privativè*, aut *negativè*, quatenus omiſsio eſt ceſſatio actus, & conſequenter privans voluntatem tali actu; ad hoc autem non requiritur,

R ut

ut expellatur à voluntate, vel in eâ præexiſtat tanquam in ſubjecto, ſed ſufficit, ut voluntas ceſſet, ſeu non eliciat illum; quemadmodum, ut äer dicatur privatus luce, non requiritur, ut lux expellatur, vel præexiſtat in äere, ſed ſufficit, quòd äer producatur ſine luce.

lib. 1. officior, 18. c. 36. *De ſentent. Excom.*

18. *Obyc.* 5. contra 2. reſpons. Author. S. Ambros. ubi ait, quòd qui poteſt injuriam depellere à proximo, & non depellit, ſit in vitio. Et in c. 4. habetur, quòd qui non obſtat injuriæ ſacerdotis, eo ipſo quòd non obſtet, faveat facinori, & ideo excommunicetur? ergò ut omiſsio ſit culpabilis, non requiritur obligatio agendi. ℞. loca hæc intelligenda eſſe, quòd aliquis ſit culpabilis, quando poteſt & tenetur, ſive ex præcepto juſtitiæ, ſive charitatis, cujusmodi præceptum loca inducta ſupponunt; quare obligatio non eſt ſolius juſtitiæ, ſed cujuscunque alterius virtutis, quæ poteſt obligare ex conſcientiâ. Deinde ad ſecundum locum dici poteſt, quòd ille, qui cùm poſſit, non obſtat injuriæ ſacerdotis, ſaltem præſumatur favère inferenti injuriam, idemque in foro exteriori vitari debeat, tanquam excommunicatus.

Quæres 2. *Vtrum adhoc, ut effectus ad omiſſionem aliquam ſubſecutus ſit voluntarius* indirectè, *requiratur obligatio agendi, ſeu potiùs impediendi talem effectū; ſimiliter (2) quòd potuerit impedire, & tandē (3) quòd defacto non impediverit?*

Explico. omiſsionem ſæpè ſubſequitur effectus aliquis, vg. omiſsionem gubernandi navem, vel extinquendi lumen, ſequitur ſubmerſio navis, combuſtio domûs &c. Jam quæritur, an ad hoc, ut ejusmodi effectus ex omiſſione ſecutus, omittenti ſit voluntarius, requiratur tanquam conditio neceſſaria debitum ſeu obligatio non omit-

Digitized by Google

omittendi? Vg. an adhoc, ut nautæ omittenti gubernare navem, ſubmerſio ejus ſit voluntaria, requiratur in eo debitum regendi navem? Cæterùm cùm eadem quæſtio proportionaliter inſtitui poſsit etiam de effectu ad cauſam poſitivam ſubſecuto, *an nimirum ad hoc, ut effectus ſit voluntarius ponenti cauſam ipſius, requiratur debitũ, & obligatio non ponendi cauſam?* Idcirco præſens dubium duplici rurſus reſponſione expedio, ſed antequam hoc fiat,

19. *Notanda eſt* differentia inter omiſsionem, & effectum inde ſubſecutum, quæ in hoc conſiſtit, quòd omiſsio Vg. extinquendi lumen, vel audiendi Miſſam, cauſetur ab ipsâ voluntate; hoc ipſo, quòd eliciat actũ aliquem incompoſsibilem, Vg, dum dormit, aut ludit tempore, quo deberet audire miſſam; nec indiget voluntas ad omittendum, vel ceſſandum ab uno actu aliâ poteſtate, vel causâ, quàm ſe ſolâ; quia per ſe ſolam poteſt agere, vel non agere, ſive hoc *non agere* ſuſpendendo omnem actum, ſive divertendo ad alium. Econtrà effectus, qui ſequitur poſitâ omiſsione, nec ſequitur immediatè ex ſolâ omiſsione, nec ex ſolâ poteſtate voluntatis (non enim loquimur de effectibus, qui *directè* cauſantur à voluntate) ſed ex aliâ causâ interveniente; ſicut adhoc, ut aliquis occidatur ex omiſsione ſuccurrendi, vel ſeparandi duos inter ſe rixantes, debet intervenire alia cauſa præter voluntatem omittentis, nimirum ipſa occiſio. Jam

℟. Ad 1. quæſtionem affirmativè, & probatur ratione. Adhoc, ut effectus ſecutus ad aliquam omiſſionem ſit voluntarius, requiritur, ut vel ipſa omiſſio,

Digitized by Google

vel ipſa voluntas omittentis aliquo modo, puta, vel *phyſicè*, vel *moraliter* influat in effectum, ratione cujus talis effectus reducatur ad voluntatem, & dicatur eſſe ab illâ; atqui nec ipſa omiſſio, nec voluntas omittentis influit *phyſicè*, vel *moraliter* in talem effectum, ubi non eſt obligatio impediendi illum. Ergò is non eſt voluntarius. Minor quò ad primam partem patet; quia ut ſupponitur, effectus ille non eſt phyſicè à voluntate volitus, vel cauſatus; quò ad ſecundam verò partem

Probatur; quia iſte influxus moralis (vel ſaltem illi æquivalens) conſiſtit in hoc, quòd talis effectus incipiat aliquo modo pertinere ad voluntatem omittentis, ſitque illi debitus, ſeu potiùs debita ſit illi cura impediendi talem effectum. Ergò ubi non eſt talis cura, ſive obligatio talem effectum impediendi, non poteſt ipſa omiſſio vel voluntas omittentis influere moraliter in talem effectum. 2. & 3. pars Reſponſionis probatæ manent ex 2. Reſpon. ſuprà numero 14.

20. *Objicies*. Præceptum non minus eſt principium *extrinſecum* reſpectu omiſſionis, quàm reſpectu effectus ex omiſſione ſecuti; ſed ideo omiſſio ad hoc, ut ſit voluntaria, non dependet à præcepto, quia præceptum *extrinſecè* ſe habet ad voluntatem; ergò ſimiliter ad hoc, ut effectus ex omiſſione ſecutus ſit voluntarius, non dependebit à præcepto.

℟. Præceptum utrobique quidem eſſe principium *extrinſecum*, diſparitatem tamen eſſe in eo, quòd ad hoc, ut omiſſio ſit voluntaria, non indigeat aliquâ influentiâ *morali*; quia *phyſicè* dependet à voluntate, & immediatè eſt à poteſtate voluntatis *agere*, & non *agere*;

econ-

Digitized by Google

econtrà effectus cùm non ſit *phyſicè* à voluntate, indiget tali influentiâ morali, ut ſaltem *moraliter* voluntarius eſſe poſſit; ad hanc autem influentiam moralem requiritur præceptum, vel obligatio, ut dictum eſt. Jam

℟. ad 2. Quæſtionem. Effectus ad cauſam poſitivam ſecutus independenter ab omni debito, & obligatione voluntarius eſt ponenti cauſam, poſito, quòd à cauſam ponente ſit volitus & intentus; vel habeat neceſſariam connexionem cum causâ volitâ. Secus eſt, ſi is non ſit volitus, & intentus; vel non habeat neceſſariam connexionem cum causâ volitâ; hac enim ratione non propriè dicetur voluntarius, niſi quis fortè teneatur impedire, vel non ponere cauſam. Ita communiter etiam Recentiores.

21. Probatur 1. pars. quia quando effectus eſt volitus, & intentus à ponente cauſam, tunc utique nihil deeſt ad rationem voluntarij, cùm ſaltem procedat *mediatè* à voluntate, ipſum intendente. Ergò &c.

Probatur 2. pars. Quia qui vult antecedens, vult *virtualiter* etiam conſequens, quod in antecedente virtualiter, & neceſſariò continetur; ſic qui interficit matrem gravidam, voluntariè etiam dicitur occidere infantem, licet id non intendat.

Probatur etiam 3. pars. Quia niſi effectus ab eo, qui cauſam ponit, ſit volitus, neque etiam ex causâ volitâ neceſſariò ſequatur, non valet dicere; *qui vult cauſam, præſumitur etiam velle effectum;* ſi quidem effectus non habeat connexionem phyſicam cum causâ illâ; niſi teneatur quis fortè impedire, vel non ponere cauſam; hac enim ratione effe-

ctus ſubſecutus imputabitur ei ad culpā, eritq; voluntarius *moraliter*, ſeu *interpretativè*. Atque hinc eſt, quòd peccata puſillorū imputentur illi, qui malo ſuo exemplo dedit eis occaſionē peccandi, licet id non intenderit.

§. 3.
De involuntario.

1. Cùm contrariorum eadem ſit doctrina, poſtquam D. Th. egit de voluntario tribus primis articulis, in quinque ſequentibus agit de Involuntario, ex multiplici radice cauſato, de quo in præſenti. Quatuor ſunt, quæ cauſare poſſunt involuntarium, ſcil: *vis, metus, concupiſcentia, & ignorantia*; cùm enim voluntarium ſit à principio intrinſeco cum cognitione, idcircò dupliciter impediri poteſt; uno modo ex parte *principii*, ſi cauſetur ab extrinſecâ vi, metu, aut concupiſcentiâ; alio modo ex parte *cognitionis*, defectu cujus nequit eſſe actus voluntarius. De his omnibus agemus hoc, & ſequenti §. an, & quomodo cauſent involuntarium? Pro quorum omnium meliori intelligentiâ explicanda priùs venit notitio ſequentium terminorum, ſcil: *Neceſſarij, violenti, inviti, ſeu coacti, involuntarij, & impedimenti.*

2. *Neceſſarium* eſt, quod eſt determinatum ad unum ſine potentiâ ad oppoſitum; quo pacto voluntas Beati eſt determinata ad amorem Dei ſine facultate ad oppoſitum, opponiturque *libero*, quod eſt indifferens ad utrumlibet oppoſitorum; per quod patet, quòd *neceſſitari* idem ſit, ac determinari ad unum, ſublatâ potentiâ ad alterum, tanquam ad oppoſitum. *Violentum* ex mente Ariſt. eſt, quod provenit à principio extrinſeco, nullam vim conferente paſſo. Vnde ad violentiam requiritur (1.) ut inferatur

ratur ab extrinſeco; nam à ſeipſo nemo propriè patitur violentiam (2) ut ad hanc vim ſubjectum non cooperetur; per quam conditionem inſinuatur, quòd ſubjectũ, cui vis infertur, debeat ſe nõ ſolùm *negativè* habere, ſed etiã *poſitivè* reſiſtere per appetitũ elicitum, vel innatũ. Ratio eſt, quia nunquam aliquid dicitur propriè pati violentiam, niſi reſiſtat, & paſſionem avertat; alioquin enim etiam motus cælorum eſſet violentus, eo quòd ſit ab extrinſeco, ſcil. Intelligentiâ; quod tamen falſum eſt. Similiter etiam dona ſupernaturalia gratiæ, quæ nobis ab extrinſeco infunduntur, eſſent violenta; quippè Anima non conferat vim ad infuſionem. Reſiſtentia autem hæc, ſeu repugnantia non ſemper neceſſariò debet eſſe *actualis*, ſed ſufficit, eam eſſe vel *actualem*, vel *virtualem*, quod ex eo patet; quia etiam dormiens, ſi præcipitaretur, violentiam pateretur. Nihilominùs reſiſtentia quò ad hoc requiſita neceſſariò ſemper eſt præſens; quia ut aliquis actus ſit violentus, non ſufficit, quòd ſit contra inclinationem præteritam, ut declarat S. D. dicens *lapidi ratione ſua gravitatis ineſt inclinatio ad locum deorſùm; hac autem inclinatione manente, ſi ſurſùm proiciatur erit violentia, ſi autem Deus auſſerat à lapide inclinationem gravitatis, & daret ei inclinationem levitatis, tunc ferri ſurſùm, non foret ei inviolentum.* Quare dicere *paſſo nullam conferente vim*: idem eſt, ac dicere, *paſſo repugnante.* Unde (3.) requiritur, ut ſit contrà internum conatum intelligendo nomine conatûs quamcunque vim, ſeu exigentiam intrinſecam, ſive *paſſivam*, ſive *activam*; non enim minùs, ſed magis potiùs exigentia datur ad patien-

q. 22. de verit. a. 8.

tiendum, quàm ad agendum, quia potentia *paſſiva* magis ordinatur ad propriam perfectionem, quàm *activa*; agendo enim agens *formaliter* non perficitur, ſed recipiendo. Major igitur eſt appetitus ad recipiendum, & per conſequens magis violentum erit id, quod impedit potentiam *paſſivam*, quàm quod impedit ſolùm *activam*. Advertendum tamen inſuper eſt, ad violentiam non ſufficere, quòd ſit qualitercunque contrà potentiam *paſſivam* vel *activam*, ſed requiri talem, cui debeatur actus; hinc enim eſt, cur Anima rationalis in ſtatu ſeparationis non patiatur violentiam; quia licet anima habeat potentiam ad uniendum ſe materiæ, *non tamen*, debetur ei pro ſtatu illo unio cum corpore; quâ ratione nec aër violentiam patitur, quando caret luce, quia äeri non ſemper debetur lux; econtrà verò, materia prima foret in ſtatu violento, ſi quando daretur ſine ullâ formâ, quia materiæ naturaliter debetur forma ſubſtantialis.

3. *Coactum*, & *invitum* communiter applicatur ſolis cognoſcentibus, qui quando operantur aliquid contrà vehementem inclinationem & *velleitatem*, dicuntur cogi ad id; quare *invitum* & *coactum* fermè coincidit cum *involuntario* mixto, quod oritur ex metu. Atque hinc ampliùs advertendum eſt, non idem eſſe, voluntatem *neceſſitari*, *ac violentari*, ſeu *cogi*; neceſſarium enim non opponitur *voluntario*, eò quod hoc, ut ſuprà innuimus, abſtrahat à *neceſſario*, & *libero*. Econtrà *violentum*, cùm debeat eſſe à principio *extrinſeco*, è diametro opponitur *voluntario*; unde Deus clarè viſus neceſſitat quidem voluntatem, attamen vim, aut violentiam

ſentiam non infert ad ſe amandum, eò quòd amor ille non ſit contrà, ſed juxtà inclinationem voluntatis.

Involuntarium quandóque videtur ſumi pro *coacto*, vel *violento*, ſed malè; quia violentum latiùs patet, quàm involuntarium, & plus importat hoc, quàm illud; tum quia *involuntarium* tantùm dicitur reſpectu viventium, in quibus eſt apetitus elicitus mediante cognitione, ſive ſenſitivâ, ſive intellectivâ. *Violentum* autem dicitur etiam de inanimitatis, omni cognitione carentibus. Undè moveri ſursùm, violentum eſt lapidi, non verò involuntarium. Tum etiam quia licet in viventibus, in quibus eſt appetitus elicitus, omne violentum ſit involuntarium, non tamen êcontrà omne involuntarium eſt etiam violentum; ergò involuntarium non tantùm provenit ex violenlentiâ, ſed etiam ex ignorantiâ ob defectum cognitionis, ut in ſequentibus videbitur.

4. Poteſt autem *involuntarium* ſumi tripliciter. 1. *negativè*, quandò ſcilicet attribuitur ſubjecto incapaci actûs voluntarii, ut lapidi, vel alicui alteri non cognoſcitivo. 2. *privativè* quandò ſcil. eſt in ſubjecto capaci (quale eſt omne cognoſcitivum) nec repugnat ejus appetitui; actus tamē â tali ſubjecto elicitus deficit â ratione voluntarii ob carentiam alicujus conditionis requiſitæ, quia ſcil. fit vel ſine cognitione, cum errore invincibili. Et. 3. *contrariè*: ut quando eſt in ſubjecto capaci actûs voluntarii, ſed repugnat appetitui ejus, & contrariatur conaturali ejus actui. *Involuntarium* primo modo ſumptum vix datur; ſecundo autem modo potiùs eſt *non voluntarium*, quàm *involuntarium*; licet enim *gramaticaliter* idem eſſe videatur involuntariū & non-

voluntarium, ex communi tamen uſu involuntarium, importat contrarietatem, & reſiſtentiam apetitûs poſitivam, non *voluntarium* autem excludit hanc contrarietatem, & reſiſtentiam. Involuntarium hoc rurſus eſt duplex, ſcil. vel *ſimpliciter* tale, vel *ſecundùm quid* tale. Illud eſt, quod omnibus conſideratis, voluntas abſolutè non vult; hoc verò eſt, quod voluntas quidem, ſi certæ abeſſent circunſtantiæ, non vellet; quia verò adſunt, vult illud. Ut porrò aliquid ſimpliciter ſit *involuntarium*, ſatis non eſt, id eſſe contrà principium inefficax voluntatis, ſed requiritur. 1. ut ſit contrà principium efficax, hoc eſt contrà tale, quod ex ſe habiturum eſſet effectum, ſi vis extrinſecùs illata non fuiſſet. 2. ut vis ita illata non poſſit à paſſo impediri; quia ſi poteſt impediri, & non impediatur, non erit talis motus ſimpliciter involuntarius, ſed *indirectè*, ſeu *interpretativè* voluntarius; unde ſi cùm poſſe adjungatur debitum impediendi, non ſolùm erit voluntarius, ſed & culpabilis; velut contingit Virgini, quæ cùm valeat ſtupranti reſiſtere, nec tamen reſiſtit, ſtuprum illi eſt voluntarium, & proinde culpabile.

Impedimentum denique ſignificat determinationem voluntatis, ſeu potentiæ, ne poſſit habere exercitium, poteſtque dari tam reſpectu operationis, ſicut dum homo impeditur, ne ambulet, quàm reſpectu ceſſationis ab operatione, velut dum quis impeditur à ſomno, vel quiete. Poteſt inſuper dari impedimentum, tam reſpectu motûs naturalis, ut dum lapis impeditur ne cadat deorsùm, quàm reſpectu motûs violenti, ut dum lapis projicitur ſurſùm, & detinetur, ne ulteriùs tranſeat.

Et

Digitized by Google

Et hinc facilè patet, quòd impedimentum latiùs patteat, quàm *neceſſarium*, quia *neceſſarium* ſolùm opponitur contingenti, ſeu indifferenti; impedimentum autem cuicùnque facultati expeditæ, ſive neceſſariò, ſive contingenter operetur. Ulteriùs *neceſſarium* latiùs patet quàm violentum; quia omne violentum eſt *neceſſarium* ex parte ejus, quod patitur violentiam, non tamen omne neceſſarium eſt violentum, ut quando agens aliquod neceſſariò operatur ab intrinſeco. Et denique *violentum* latiùs patet, quàm *coactum*; quia omne coactum eſt violentum, non tamen omne violentum eſt coactum, ſed tunc ſolùm quando opponitur *ſpontaneo*, ſeu *voluntario*, & ideo ſolummodò invenitur in cognoſcentibus.

Concluſio.

Nequit voluntas quantùm ad actus elicitos *cogi, aut violentiam pati; poteſt autem quantùm ad actus* imperatos, *& ab aliis potentiis elicitos.* Ita S. Do. Angel. quem ſequitur ferè communis DD: præcipuè verò Salmanticenſes. *hic & 1. p. q. 82. a. 1. & q. 22. de Verit. a. 5. & 8. hic diſp. 5. dub. 57.*

5. Explico actus voluntatis ſunt in triplici differentia; aliqui enim ſunt tantùm *eliciti*, alii tantùm *imperati*; alii ſimul *eliciti*, *& imperati*. *Eliciti* ſunt illi, qui immediatè à voluntate procedunt, tanquam à principio formali *quo* activo, nullò præſuppoſito alio ejuſdem voluntatis actu, quo applicetur ad tales actus. Actus voluntatis tantùm *imperati* ſunt illi, qui procedunt immediatè, & effectivè ab aliis potentiis, ſed ex motione voluntatis illas applicantis. Actus denique voluntatis ſimul *eliciti*, *& imperati* ſunt, qui immediatè procedunt ab ipſa voluntate, ſed ex vi præcedentis alicujus actûs ab eâdem voluntate

Digitized by Google

eliciti, quo ſe ad hos poſteriores applicat, puta, cùm voluntas nunc intendit poſteà amare aliquod objectum, & poſteà illud amat; hic autem actus amoris eſt actus elicitus â voluntate, quia immediatè ab illa procedit, & ſimul eſt ab illâ imperatus, quia procedit ex præviâ determinatione, ac motione ejusdem voluntatis. Præſens concluſio intelligenda eſt de quocunque actu voluntatis, ſive ſit tantùm elicitus, ſive ſit tantùm imperatus, ſive ſit ſimul elicitus, & imperatus. Igitur

Probatur. 1. p. Conclus. ratione â priori; eſt impoſſibile, unum contrarium, ſimul eſſe aliud ſibi oppoſitum vg. album eſſe nigrum; ſed voluntarium, & violentum ſunt ſpecies oppoſitæ; *voluntarium* enim eſt â principio intrinſeco cognoſcente cum propenſione, & inclinatione; *violentum* verò eſt â principio extrinſeco contrà propenſionem, & inclinationem; ergò impoſſibile eſt voluntarium aliquod ſimul eſſe violentum. Subſumo adhæc; ſed omnis actus elicitus à voluntate eſt eſſentialiter voluntarius (omnis enim actus elicitus â voluntate, eſt â principio intrinſeco cum cognitione; nam voluntas eſt principium intrinſecum, & ſine cognitione opponi non poteſt) ergò &c. Et

6. Confirm. hæc 1. p. ex illo Philoſophorum axiomate: *quod convenit alicui per ſe, ejus oppoſitum nec per accidens quidem ei convenire poteſt*; vel, quod idem eſt; quod eſt tale per eſſentiam, id ulla ratione nequit oppoſitam rationem participare, ſed actus voluntatis eſſentialiter ſunt voluntarij, eo quòd ex propriâ eſſentiâ ſint â principio intrinſeco cum cognitione, quod non habent actus aliarum potentiarum; ergò licet aliarum potentiarum actibus poſſit com-

competere ratio violenti, nullo tamen modo compe-
tere poteſt actui voluntatis elicito, quantùm ad ejus productionem. Dico: *quantùm ad actûs eliciti productionem*: quia voluntatem in ordine ad actus ſuos elicitos pati poſſe violentiam quantùm *ad ceſſationem* ab ipſis, communis doctrina eſt inter Diſcipulos D. Th. & alios. Et ratio eſt; quia tunc voluntas propriè patitur violentiam, quandò in eâ aliquid fit â principio extrinſeco contrà naturalem ejus inclinationem; ſed poteſt fieri, ut voluntas ceſſet â ſuis actibus elicitis contrà naturalem ſuam inclinationem duplici modo: uno quidem, ſi impeditur quocunque modo, ſaltem per ſubtractionem Divini concurſus ab eliciendo actu, quem priùs efficaciter voluit elicere; eadem enim ratio eſt de actu hoc, ac de aliis actibus purè imperatis, in ordine ad quos, ut mox dicetur, verè patitur violentiam, cùm talis actus ſit verè imperatus, quamvis ſimul foret elicitus. Alio modo fieri poteſt, ut voluntas ceſſet ab actu ſuo contra naturalem ſuam inclinationem; v. g. ſi voluntas privaretur aliquo actu ſibi debito, vel etiam omni actu, velut ſi Angeli voluntas per ſubtractionem Divini concursûs ſuſpenderetur ab actuali dilectione ſui; idem, ſi voluntas ſuſpenderetur ab omni actu, cùm tamen omnis potentia activa habeat innatam inclinationem ad proprium actum *ſecundùm genus* (quamvis ex ſe ſit indifferens ad hunc vel illum actum *ſecundùm ſpeciem*) Undè ſicut materia prima pateretur violentiam, ſi privaretur omni formâ, quia dicit naturalem inclinationem ad omnes formas *disjunctivè*, & ſimiliter ignis pateretur violentiam, ſi
 impe-

impediretur à ſuâ actione combuſtivâ; quia ignis dicit naturalem inclinationem ad comburendum, & propterea eis debitus concurſus cauſæ primæ: ſic potentia activa, quæcunque illa ſit, pateretur violentiam, ſi ſuſpenderetur ab omni actu, vel ab aliquo actu ſibi debito, cùm ad illam dicat naturalē inclinationem, & ſit ei debitus concurſus cauſæ primæ ad illum. Ergò voluntas in ordine ad ſuos actus elicitos poteſt pati violentiam, non quidem quantùm ad eorum productionem, ſed quantùm ad ceſſationem ab eis.

7. *Notandum* tamen eſt, quòd hìc non intelligamus de violentiâ *ſimpliciter* tali, ſed tàntùm de violentiâ *ſecundùm quid*. Dicitur autem tunc aliquid pati violentiam ſimpliciter, quandò in illo aliquid ſit contrà naturalem ejus inclinationem, ita ut ſi in illo ſit duplex inclinatio naturalis, una *univerſalis* & potentior; alia *particularis*, & minùs potens, tunc tantùm illud ſubjectum dicatur pati violentiam *ſimpliciter*, quandò id, quod in eo fit, eſt contrà illā inclinationē *univerſalem*, & potentiorē; quamvis ſit conforme inclinationi *particulari*, & minùs potenti; & econtrà non patitur violentiam *ſimpliciter*, quando illud quod in eo fit, eſt conforme inclinationi *univerſali*, & potentiori, quàmvis ſit contrà inclinationem *particularem*, & minùs potentem. Cujus ratio eſt manifeſta; quia ſubjectum magis reſiſtit illi, quod fit contrà inclinationem ſuam naturalem principaliorem, quæ ſine dubio eſt illa univerſalis potentior, quàm reſiſtat ei, quod fit contrà ſuam inclinationem naturalem minùs principalem, quæ eſt particularis minùs potens, & ſubordinata illi univerſali; & quia denominatio ſimpliciter deſumitur

mitur à principaliori; ſicut illud quod eſt ſecundùm inclinationem *univerſalem*, dicitur ſimpliciter naturale per comparationem ad aliud, quod eſt ſecundùm inclinationem *particularem*, quod in dictâ comparatione eſt tantùm naturale ſecundùm quid: ſed in omni creaturâ eſt duplex inclinatio naturalis, una *particularis* cuique propria ad proprium bonum: alia verò *univerſalis* ad bonum univerſale, quia omnis creatura concurrit ad bonum univerſi, tanquam quædam ipſius pars, & quâ apta eſt obedire Deo ſuo Conditori, & Authori naturæ ſuæ; & hæc ſecunda inclinatio eſt potentior, & ſubordinans ſibi aliam; tum quia cùm pars ſit naturaliter propter totum, magis inclinat ad bonum totius, quàm ad bonum proprium, utpote quod ſtare non poteſt ſine bono totius. Tum ergò Deus Univerſi hujus Creator ita condidit naturas rerum, eiſque indidit particulares inclinationes, ut tamen ſibi ſupremum in eas reſervaverit Dominium, undè naturaliter eis ineſt potentia obedientialis, quâ aptæ ſunt recipere à Deo, quidquid voluerit eis inprimere, etiam contrà particulares earum inclinationes, quas receperunt à Deo cum hac ſubordinatione. Quomodocunque ergò creatura moveatur à Deo, ſemper movetur ſecundùm hanc univerſalem inclinationem ad bonum univerſi, & ad obediendum Deo, etiamſi moveatur contrà inclinationem *particularem* illi priori ſubjectam, & ita non reſiſtit *ſimpliciter* Divinæ motioni, & tantùm *ſecundùm quid*; & conſequenter nulla alia creatura à voluntate creatâ poteſt *immediatè* à Deo pati violentiam *ſimpliciter*, ſed tantùm *ſecundùm quid*. Dixi: *nulla alia creatura à voluntate creata*

ata pati poſſe immediatè *à Deo violentiam* ſimpliciter; quia voluntas duo habet, unum *commune* cum omnibus alijs creaturis; & aliud *particulare*, quod ſcilicet ſit potentia libera, & domina ſui actûs, quamvis ſub ſupremo Dei Dominio. Quantùm ad primum, quod habet voluntas creata, de ipsâ in ordine ad Deum loquendum eſt, ſicut loquimur de alijs particularibus naturis. Quantùm ad poſterius verò poteſt habere inclinationem contrariam ijs, quæ ex Divina diſpoſitione in ſe ipsâ fiunt. Et hæc actualis inclinatio eſt defectibilis, & peccaminoſa, qualis eſt in voluntate Damnatorum, ex eo, quòd detineantur in inferno, & ut ſic voluntas creata, ſcilicet in ratione potentiæ liberæ, poteſt pati à Deo violentiam *ſimpliciter*; quæ meliùs dicitur violentia *in genere moris*; quia in eſſe phyſico non poteſt dici violentia ſimpliciter; nam voluntas, ut libera ſibi ſubordinatur, ut naturæ, quia ratio naturæ eſt prior, ratio verò liberæ eſt poſterior. Sed redeundo ad inſtitutum.

8. Probatur 2. p. Conclus. hâc ratione. Quia tunc voluntas propriè patitur violentiam, quandò potentiæ iſti ſubditæ vel impellimur ad agendum renitente ſerio conatu voluntatis, vel impediuntur ab agendo, ne ſequantur ductum voluntatis; ſed hoc utrumque fieri poteſt, ut ſi alicui efficaciter videre nolenti, aperiantur oculi, vel econtrà efficaciter volenti videre claudantur. Ex totâ hactenus traditâ doctrinâ non obſcurè

Colliges, quòd actus aliarum potentiarum, quæ directè, & immediatè quo ad actus ſuos non ſubduntur voluntati, ut ſunt potentia *nutritiva*, *augmentativa*, & ſimiliter, non

non ſint, nec dicantur actus imperati à voluntate, proindéque nec voluntas in eis dicatur *formaliter* pati violentiam, licet eis velit carêre, defectu ſubordinationis ipſarum ad voluntatem. Dixi, proprios potentiarum harum actus nec voluntati *formaliter* eſſe violentos; quia *præſuppoſitivè* poſſunt eſſe violenti reſpectu voluntatis; ut ſi quis nutriatur, augeatur contra ſuam voluntatem, quia cogitur manducare.

Colliges. 2. Neque poſſe potentias ejusmodi voluntati *directè* non ſubditas violentiam pati in ordine *ad productionem* ſuorum actuum; quia ad illos habent inclinationem naturalem; nec eis ineſt inclinatio ad obediendum voluntati, ratione cujus poſſint ex principio voluntatis ferri in oppoſitũ ſuorum actuum; unde proprij ipſarum actus nunquam ſunt eis violenti. Hoc non obſtante, pati poſſunt violentiam, quantùm ad ceſſationem à ſuis actibus; cum ſit eadem ratio quantùm ad hoc de ipſis, ac de voluntate.

9. *Obiic.* 1. Contrà 1. p. Concl. Tunc voluntas patitur violentiam, quandò facit aliquid contrà naturalem ſuam inclinationem ex motione alicujus agentis extrinſeci; ſed poteſt voluntas elicere actus ſuos contrà ſuam inclinationem ex motione alicujus agentis extrinſeci; ergò. m. prob. 1. ſi voluntas à Deo applicetur ad odio habendum proprium *eſſe*, & Beatitudinem *ut ſic*, ad quæ amanda voluntas eſt naturaliter inclinata. 2. Si à Deo applicetur ad amandum neceſſariò objectum, ſub indifferentiâ ab intellectu propoſitum. Vel 3. Si neceſsitaretur â Deo ad actum triſtitiæ, quam naturaliter refugit. Vel 4. Si voluntate efficaciter de-

liberatâ ad non conſentiendum actui illicito, ejus conſenſus extorqueretur vehementi paſsione appetitûs ſenſitivi. Ergò voluntas pati poteſt violentiam in ordine ad ſuos actus elicitos.

℟. Neg. m. & ad 1. ejus probationem nego, poſſe voluntatem ullâ ratione proprium ſuum *eſſe* abſolutè ſumptum, vel Beatitudinem *ut ſic* odio habere; ergò Beatitudo *ut ſic*, nequit apprehendi ſub aliquâ ratione mali, cùm ſit ſtatus omnium Bonorum aggregatione perfectus; conſtat autem quòd ſolum malum ſit objectum odij. Similiter proprium eſſe abſolutè ſumptum, etiam de abſolutâ Dei potentiâ odio haberi non poteſt, quia & ipſum abſolutè ſumptum pars quædam eſt Beatitudinis. Dico: *abſolutè ſumptum*, nam ratione mali annexi, & ut eſt miſeriâ aliquâ affectum, odio haberi poteſt; ſed tunc tale odium non erit contrà inclinationem voluntatis, adeóque nec violentum. Ad 2. probat. etiam nego, poſſe Deum neceſsitare voluntatem ad amandum aliquod objectum ſub indifferentiâ propoſitum ab intellectu. Ratio eſt; quia radix libertatis eſt in intellectu, in quantùm ſic apprehendit objectum, ut ex vi illius apprehenſionis objectum non alliciat, ut neceſſariò trahat voluntatem, ſed relinquat illam in ſuâ differentiâ. Rr. Ad 3. Quòd actus triſtitiæ ſive ſit neceſſarius, ſivè liber propter diverſitatem judicij intellectûs, nihilominùs ſemper ſit voluntarius; quia voluntatis inclinatio non eſt in objectum, *ut ſic*, ſed in objectum apprehenſum, & ita non eſt contrà ejus inclinationem, quòd feratur in objectum contriſtabile, apprehenſum ut bonum, quod ſub

Digitized by Google

ſub ratione *contriſtabilis* præcisè refugeret. Rr. ad 4. quòd, quàm diu voluntas efficaciter eſt deliberata ad non conſentiendum, nequeat extorqueri ejus conſenſus à quâcunque, vel quantâcunque vehementi paſsione, quia voluntas dominatur appetitui ſenſitivo, non autem econtrà, quòd ſi verò conſentiat voluntas, hoc indè eſt, quia voluntariè recedit ab illâ efficaci deliberatione.

10. *Objc. 2.* Contrà 2. p. Concl. viſio eſt actus imperatus voluntatis; ſed licet fiat renitente voluntate per violentam oculorum apertionem, adhuc tamen eſt voluntaria, quia fit à principio intrinſeco cum cognitione, cùm ſit actus vitalis procedens à potentiâ viſivâ, & poſsit ad eam ſupponi cognitio; ergò cúm voluntarium, & violentum opponantur, nequit actus viſionis habitûs contrà principiũ voluntatis eſſe violentus.

R/. Quòd licet viſio facta renitente voluntate ſit à principio intrinſeco *elicitivo*, non tamen ſit à principio intrinſeco *applicativo* ipſius principij *elicitivi*, imò eſt contrà inclinationem talis principii *applicativi*, ſcil. voluntatis, & conſequenter etiam contrà inclinationem *univerſalem* totius ſuppoſiti, quæ eſt principalior, cùm quævis res ex ſuâ naturâ inclinetur in bonum commune totiûs, quàm in proprium, ideóque etiam magis ſit attendenda, quàm propria cujusvis potentiæ inclinatio; quemadmodum lapidem aſcendere ſursùm ad replendum vacuum, etſi quidem ſit contrà particularem ipſius inclinationem, non tamen eſt contrà *generalem*, quàm habet in ordine ad bonum Univerſi.

Digitized by Google

Patet igitur ex dictis, poſſe voluntatem pati violentiam, non quidem in ordine ad ſuos actus *elicitos* quantùm ad eorum productionem, ſed in ordine ad *imperatos*, ſicque actum voluntatis *elicitum* non poſſe eſſe involuntarium per violentiam, benè tamen actum *imperatum*.

§. 4.

De hoſtibus voluntarij.

Hoſtes ipſius voluntarij non ſolùm ſunt *involuntarium* ſimpliciter, & *violentum*; ſed etiam *vis*, *metus*, *concupiſcentia*, & *ignorantia*, de quibus ultimis quatuor præſenti §. Igitur ſit

Dubium I.

An, & quomodo violentia cauſet involuntarium?

Reſpondeo.

Vis, ſeu violentia efficit involuntarium ſimpliciter. Eſt D. Th. hîc, & communis DD.

1. Probatur ratione S. D. quid quid ita fit repugnante voluntate, ut illud abſolutè & ſimpliciter nolit, ſimpliciter eſt involuntarium, quemadmodum involuntarium *ſecundùm quid* eſt, quod ita fit voluntate repugnante, ut illud ſolummodò nolit, ſi certæ circumſtantiæ abeſſent, velit tamen efficaciter hîc & nunc, poſitis talibus circumſtantijs; ſed quod propriè fit ex vi & violentiâ, ita fit repugnante voluntate, ut illud ſimpliciter, & abſolutè nolit. Ergò &c. M. patet, ductâ ſimilitudine ab innaturali, quod ſimpliciter tale dicitur; quia abſolutè, ſimpliciterque eſt contrà naturam, velut motus lapidis ſursùm dicitur lapidi innaturalis, quia

quia ſimpliciter eſt contrà ejus naturam. m. verò probatur; quia quod propriè violentum eſt, ita à principio extrinſeco eſſe debet, ut paſſum nullo modo vim conferat; atqui id, quod non ita fit voluntate repugnante, ut illud abſolutè non nolit, non ita provenit à principio extrinſeco, ut paſſum nullo modo vim conferat, quia etſi tunc voluntas non conferat vim agendo, confert nihilominùs ſaltem volendo pati, ut loquitur S. D. ergò quod propriè fit per vim & violentiam, ita fit repugnante voluntate, ut id voluntas abſolutè non velit. At *hic q. 6. a. 5. ad 2.*

1. *Objc.* Chriſto, & SS. ejus Martyribus illata fuit violentia, dum fuerunt occiſi à Tyrannis; ſed illa violentia non cauſavit involuntarium, cùm conſtet, eos voluntariè mortem fuiſſe perpeſſos. Falſum ergò eſt quòd violentiam ſemper cauſet involuntarium.

2. Si quis vi compelleretur adorare idolum, qui voluntate quidem interiori repugnaret, non autem opere externo, ille pateretur violentiam, & tamen illa ipſius adoratio eſſet voluntaria, quia eſſet peccatum. Ergò.

3. Quia fieri poteſt, ut is, qui violentiam patitur, nec nolit opus, ad quod cogitur, ut quis brachio per vim arrepto compellatur percutere, qui in mente ſe habet *negativè* ad percuſſionem, eam ſcil. nec nolendo, nec volendo: in tali caſu percuſſio non deſinit eſſe voluntaria, etiamſi ſit violenta. Et tandem

4. Qui per vim coacti fuerunt recipere baptiſmum, validè ſunt baptizati, & poſſunt compelli, ut fidem per baptiſmum ſuſceptam retineant. Ergò violentia

 non

non ſemper cauſat involuntarium. Conſq. patet; quia cùm baptiſmus non recipiatur validè ab adultis ratione utentibus, niſi velint eum recipere, neceſſariò dicendum eſt, quòd, qui fuerunt coacti recipere baptiſmum, reſpectu illius non fuerint involuntarij.

de Iudæ. diſt. 45. Antec verò probatur ex Concil. Tolet ubi declaratur, eos, qui tempore Siſebuti Regis coacti fuêre baptizari, recepiſſe gratiam, & cogi poſſe adhoc, ut fidem teneant, quam vi ſuſceperunt. Ergò &c. Sed antè reſponſionem

7. *Notandum eſt* 1. Concluſionem S. Do. non debere intelligi de actibus voluntatis elicitis, quaſi ſcil. ratione violentiæ *extrinſecùs* illatæ, actus interior voluntatis, qui reſiſtit, & contrariatur agenti exteriori, reddatur involuntarius (hoc enim fieri non poſſe, § præce- *n. 4. & 5.* denti oſtenſum eſt.) Intelligi ergò debet de actibus voluntatis *imperatis*, vel etiam de paſſionibus exterioribus, quæ contra voluntatis inclinationem inferuntur; hujuſmodi enim actiones, vel paſſiones redduntur involuntariæ ratione violentiæ, quæ ab agente extrinſeco infertur.

Notandum 2. Quòd ad hoc, ut vis ab extrinſeco illata cauſet in patiente violentiam, non ſufficiat, quòd voluntas ſe habeat *negativè*, id eſt, quòd neque conſentiat, neque renitatur, ſed debet voluntas actu poſitivo reſiſtere, quo nolit actionem illam, vel paſſionem ab extrinſeco inferri; aliàs enim non erit contrà *formalem* & *actualem*, vel *virtualem* volentis inclinationem, *n. 1.* quæ tamen requiritur, ut rurſùs dictum eſt §. præcedenti. Prætereà actus ille poſitivus contrarius non ſolùm

ſolùm debet eſſe inefficax, & *conditionatus*, ſed debet inſuper eſſe *abſolutus*, & quantùm eſt de ſe, efficax; undè animæ in purgatorio in illâ detentione, quantùm eſt de ſe, non patiuntur violentiam; quia licet habeant actum contrarium *conditionatum*, & *inefficacem*, quo nollent ſic pati, ſi Deo placeret; quia tamen non habent actum contrarium abſolutè, quo reſiſtant ordinationi Divinæ, aut quo abſolutè nolint; hinc nullam patiuntur violentiam. Similia diximus ſ. cit. n. 5.

4. *Notandum* 3. Nullum eſſe in conveniens admittere, quòd unum idemque, reſpectu ejusdem ſuppôſiti ſit voluntarium, & involuntarium, dummodò fiat ſecundùm diverſum reſpectum; undè paſſio Chriſti Domini fuit voluntaria ipſi Chriſto, quatenùs paſſio erat, & quatenùs ad generis humani Redemptionem ordinabatur; fuit nihilominùs etiam involuntaria, prout à Crucifixoribus fiebat; & idem eſt de paſſionibus Martyrum, qui de ſuâ afflictione gaudebant, quatenùs eam pro Chriſti nomine ſufferebant, quam tamen, quatenùs à Tyrannis procedebat, deteſtabantur. His notatis facilè patet ſolutio ad argumenta. Ad primum quidem ex hoc notabili.

℟. Ad 2. quòd ille, qui vi compellitur adorare idola, mente quidem adorationi huic repugnans, extrinſecùs verò non renitens, quantùm poteſt, non patiatur violentiam ſimpliciter; quia licet hujusmodi adorationis principium ſit ab extrinſeco, ipſa tamen adoratio non fit ſimpliciter renitente paſſo, eò ipſo, quòd non reſiſtat, quantùm reſiſtere poteſt; & quia quandò poteſt, etiam tenetur reſiſtere non ſolùm animo, ſed etiam

etiam opere externo; idcirco talis adoratio eſt ipſi voluntaria *indirectè*, & grave peccatum velut loco cit. dictum eſt de Virgine, quæ vi opprimitur.

℟. Ad 3. Similiter dicendum eſſe, talem non pati violentiam *ſimpliciter*, & abſolutè, ſed tantùm *ſecundùm quid*, ac per conſequens hujuſmodi percuſſionem, etſi *ſecundùm quid* ſit involuntaria, ſimpliciter tamen eſſe illi voluntaria; quia non licebat illi habere ſe *negativè*, ſed debebat *poſitivè* reſiſtere, quantùm poterat, quod non fecit, ut ſupponitur; tunc autem ſolùm eſt violentia *ſimpliciter*, quandò à principio extrinſeco, applicatur tanta virtus, ut per ſe ſufficiat, ad efficiendum effectum, ipſo paſſo & ſubjecto omninò, & *poſitivè* renitente; cùm econtrà violentia *ſecundùm quid* ſit, quandò ſubjectum non ita *poſitivè*, & omninò reſiſtit, nec virtus ad extrà applicata eſt ſufficiens ad tollendum effectum, ſed requirit etiam voluntatem ipſius paſſi.

℟. Ad 4. quòd ille, qui per vim abſolutè, & ſimpliciter talem cogit recipere baptiſmum, non recipiat baptiſmum validè; quia non fuit baptizatus voluntariè, ſed contrà ejus voluntatem paſſus eſt, quod alij voluerunt; ille verò, qui ſolùm per *vim* conditionatam, adeóque *ſecundùm quid* ſolùm cogitur recipere baptiſmum (quâ ratione intelligi debet Concil. cit. Tolet.) validè baptizatur, quia per vim illam conditionatam, & inefficacem inductus fuit ad conſentiendum per actum ſuæ voluntatis; undè etiam cogi poteſt ad fidei Divinæ obſervantiam.

Dubium 2.

Utrum ea, quæ fiunt ex metu, ſint voluntaria?

Reſpon-

Reſpondeo.

Illa quæ per metum fiunt, ſunt voluntaria ſimpliciter, *& involuntaria* ſecundùm quid. Ita S. Doct. hîc cum communi DD.

5. Explico. Cùm multa fiant, & ſuſtineantur per metum, ſeu propter metum, ut quotidianâ patet experientiâ; & poſtmodum concluſionis hujus doctrina ſummâ curâ ſit advertenda (parat enim viam ampliſſimam ad cognoſcendum etiam, utrum contractus, juramenta, vota, matrimonia & alia ex metu facta, valida ſint, an invalida) id circò ſequentia erunt valdè notanda.

Notandum 1. metum juxtà Doctorem Angel. benè definiri, quòd *ſit paſſio, quâ refugimus malum futurum, cui reſiſti non poteſt.* Unde metus propriè dictus differt à triſtitiâ, quæ verſatur circa malum præſens, metus verò determinatus eſt circa malum imminens & futurum; quòd ſi tamen metus aliquo modo latiùs ſumatur, comprehendit etiam triſtitiam; quâ ratione metus definiri videtur ab Ulpiano, quod *ſit inſtantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidatio*; & quia in ordine ad diminuendum voluntarium idem præſtat quælibet ex prædictis paſſionibus, ideò quantùm ad præſens inſtitutum attinet, poteſt ſub metu etiam triſtitia & dolor comprehendi.

infrà q. 41.

Lec. 1. ff. de eo, quòd metus cauſa

6. *Notandum.* 2. metum communiter dividi in levem, & gravem, qui aliàs dici ſolet cadens *in virum conſtantem.* Metus *levis* eſt, quo leve malum timetur, aut grave quidem, ſed ex cauſâ levi, & improbabili; & metus hic cadere ſolet in perſonas leves, & meticuloſas, quæ facilè à ſententiâ dimoventur, ut ſi quis metu pluviæ, pulveris &c: omittit ire ad miſſam die dominico; metus *gravis* vocatur,

Digitized by Google

tur, quo ex cauſâ benè probabili timetur grave malum, ſoletque deſcribi, quòd ſit certa, aut veriſimilis expectatio magni mali, ut ſunt mors, mutilatio, enormia verbera, durus carcer, ſtuprum, grave exilium, ſervitus, infamia, excommunicatio injuſta, damnatio ad Trimeres, proſcriptio bonorum, vel etiam ablatio aliorum, ſine quibus non poteſt victum quærere, aut alia comparare &c. Pro hoc metu aſſignantur. 5. conditiones, quarum duæ jam ſunt inſinuatæ; nimirùm ut malum, quod timetur, ſit grave (intellige vel perſonæ propriæ, vel conjunctæ) & quod non vanè ac leviter à timente exiſtimetur. Tertia eſt, ut minitans potens ſit minas executioni mandare. 4. ut ſit ſolitus ita exequi. 5. tandem, ut malum, quod timetur, non poſſit facilè à timente vitari. Concluſio intelligenda eſt de utroque metu. Rurſus

7. *Notandum eſt 3.* Concluſionem quoque intelligendam eſſe de tali metu, ratione cujus eligitur id, quod aliàs non eligeretur; nam ſi ſubjectum ita ſe habeat, ut etiam non ſtante timore operaretur, adhuc poſito timore, actus non ſit mixtus ex voluntario, ſed abſolutè eſt voluntarius; Vg. homo infert gravem metum mulieri, ut ſecum conſentiat in fornicationem; metus hic reſpectu mulieris honeſtæ, quæ aliter conſenſura non erat, cauſat involuntarium mixtum cum voluntario; ſed reſpectu meretricis, quæ etiam ſine tali metu facilè erat conſenſura, metus nullum cauſat involuntarium, quia reverà nihil cauſat; idem enim erat effectura, non obſtante metu, ſed ſolùm ſe habet *concomitanter.* Unde ampliùs

Notandum 4to. Actioni alicui, aut paſſioni metum dupli-

Digitized by Google

dupliciter conjungi poſſe, ſcilicet vel *cauſaliter*, vel *concomitanter*; *cauſaliter* conjungitur, quando movet & impellit ad actionem, vel paſſionem; quo caſu dicitur quis pati, vel agere *ex metu*, ſeu *propter metum*, & *per metum*. *Concomitanter* autem actioni vel paſſioni conjungitur metus, quando quidem non movet, aut impellit, ad agendum aut patiendum, ſed hæc tantùmmodò concomitatur; ſicque aliquis dicetur agere aut pati in *metu*, vel *cum metu*. Unde valdè differunt agere *cum metu*, & *ex metu*, ſeu *per metum*; cum metu enim quis operari poteſt, etiamſi ad id metus non compellat, ſed habeat ſe præcisè *concomitanter*; quemadmodùm SS. Martyres *cum metu* mortis fidem confitebantur, & Chriſtus timebat mori, non tamen *ex metu*, ſed ex Dei amore & obedientiâ. *Ex metu* autem, ſive *per metum* operari (de quo in præſenti ſolùm agitur) dicitur, cui metus eſt cauſa operationis, non quidem *efficiens*, ſed *motiva* ſolùm & impulſiva, quia ſcil. movet ad patiendum aliquod malum, ut vitetur majus malum; ut cùm quis ex metu mortis proijcit merces in mare ad ſalvandam vitam, metus impellit mercatorem ad iſtam projectionem contrà ſuam voluntatem, quâ vellet merces retinere, ſi poſſet; ratione cujus volitionis dicitur projectio illa *ſecundùm quid* involuntaria, non quòd ratio involuntarij proveniat â metu, ſed quia, ut dictum eſt, voluntas habet amorem ad oppoſitum, ſcilicet retentionem mercium. Ex his

8. *Colliges 1.* differentiam inter coactionem & metum hanc eſſe, quòd coactio ſit cauſa effectiva, unde inducit effectum abſque conſenſu voluntatis, ſicque dicitur tollere voluntarium; metus verò, cùm tantùm ſit cauſa mo-

tiva, non inducit effectum per ſe ſolummodò, ſed exſpectando conſenſum voluntatis, unde non tollit voluntarium abſolutè.

Colliges 2. quòd in eo, qui operatur ex metu, tres actus voluntatis concurrant; *primus* eſt amor minoris boni ſecundùm ſe ſpectati Vg. mercium, quarum jactura per metum eligitur, quas tamen vellet retinere, ſi poſſet. *ſecundus* eſt amor efficax majoris boni Vg. vitæ. *Tertius* denique eſt electio efficax & *abſoluta* minoris mali, tanquàm medii aliàs diſplicentis ad evitandum majus malum, tanquàm ad finem, puta, electio jacturæ mercium ad mortem effugiendam; & hic actus habet ſe *in recto, & formaliter*, ut operatio fieri dicatur *ex metu*; primus autem actus ſolùmmodò eſt *conditionatus*; quia licet voluntas nollet illam projectionem *ſecundùm ſe*, vult tamen eam poſteà efficaciter, ut medium ad ſalutem.

Quodlibet 5. a. 10. 9. *Notandum* 5. ex eodem Angel. Doct. quòd ea, quæ fiunt *ex metu*, adhuc dupliciter poſſint conſiderari; primò *in univerſali* & ſecundùm ſe; & hâc ratione ea, quæ fiunt ex metu, non placent voluntati, neque ſunt juxtà illius inclinationem, ſed potiùs habent rationem mali. Deinde poſſunt conſiderari in *particulari* hîc & nunc, & cum certis circumſtantiis; quâ ratione placent voluntati, & induunt rationem boni; quia minus malum in ordine ad majus malum habet rationem boni; & quia voluntas nunquàm fertur in aliquod objectum, niſi ſit veſtitum omnibus circumſtantiis, hinc eſt, quòd ea, quæ fiunt ex metu, cùm in ea feratur voluntas hîc & nunc, & cum iſtis circumſtantiis (ſecundùm quod dicuntur eſſe in actu) ſint ſimpliciter voluntaria; quamvis extrà hunc

caſum

Digitized by Google

caſum, vel extrà has circumſtantias non placerent voluntati; quia verò *in univerſali*, & abſque circumſtantiis, vel extrà hunc caſum, *ſecundùm quid* non placent voluntati, id circò dicitur metus cauſare involuntarium *ſecundùm quid*. Quare quando Ariſtoteles aſſerit, illa, quæ quis metu ſubmerſionis facit, ſpontanea quidem eſſe, *ſimpliciter* tamen invita, ſolùm vult, iſta ſecundùm ſe ſpectata, & ſecluſis hiſce circumſtantiis eſſe ſimpliciter invita; *nemo enim*, inquit, *rerum ſuarum ſponte jacturam facit*, id eſt, non niſi metu gravioris mali coactus, qui tamen metus hîc & nunc facit, ut velit *abſolutè* id, quòd aliàs abſolutè nollet; etiam cum quâdam repugnantiâ, & nolleitate facit. Sed ampliùs *3. Ethic. c. 1.*

10. *Notandum eſt. 6.* quando dicimus metum cauſare actum mixtum ex voluntario & involuntario, id non ita eſſe intelligendum, quaſi ipſe metus cauſet in actu utramque rationem, puta, *voluntarii & involuntarij*; hoc enim eſt impoſſibile: quia rationes oppoſitæ nequeunt provenire ab eodem principio. Eſt itaque ſenſus iſte, quòd metus ſit cauſa alicujus actûs voluntarii quidem, cui tamen ex alio etiam capite admiſceatur aliquid involuntarii vg. in priori exemplo, metus mortis in naufragante cauſat projectionem mercium, quæ quidem quatenùs medium eſt ad ſalvandam vitam, voluntaria eſt; quatenùs porrò eas quoque amat, cuperétque, ſi poſſibile foret, conſervare, eatenùs involuntaria eſt *ſecundùm quid*; & ſic non metus, ſed amor mercium facit projectionem earum involuntariam.

Notandum denique *voluntarium*, & *involuntarium* non cadere ſuprà ipſos actus, *volo*, & *nollem*, à volunta-

Digitized by Google

te immediatè elicitos, ſed ſuprà ipſum opus externum; ſi namque conſiderentur ipſi actus interni, uterque eſt voluntarius, & nullo modo involuntarius; quia uterq; eſt ſecundùm naturalem voluntatis inclinationem, quam habet ad proſequendum bonum, & fugiendum malum; unde neuter actus eſt alteri oppoſitus, ſiquidem actus, *nollem*, non cadit ſuprà actum, *volo*, ſicuti nec actus *volo* ſuprà *nollem*, ſed uterque ſuprà ipſum opus externum ſub diverſis circumſtanciis conſideratum. His ritè prænotatis Jam

loc. ſuprà cit. 11. Probatur 1. Concl. Authorit. Ariſtot. ubi aſſignat tres cauſas involuntarij ſcil. violentiam, ignorantiam, & metum; & duas priores dicit, cauſare involuntarium *ſimpliciter*, de metu verò ait, ſolùm cauſare involuntarium *ſecundùm quid*, & mixtum ex voluntario, & involuntario.

Probatur 2. ratione S. D. Angelici. Unumquodque *ſimplici er* dicitur eſſe, ſecundùm quod eſt in actu, ſecundùm quod autem eſt in ſolâ apprehenſione, non eſt *ſimpliciter*, ſed ſolùm *ſecundùm quid*; atqui quod per metum agitur, eſt voluntarium ſecundùm quod eſt in actu, & involuntarium tantùm, ſecundùm quod eſt in apprehenſione rationis; ergò quod per metum agitur, eſt voluntarium ſimpliciter, & involuntarium tantùm *ſecundùm quid.* Probatur 1. p. m. Quia ſecundùm hoc aliquid eſt in actu, ſecundùm quod eſt hîc & nunc ſub aliis conditionibus individuantibus; ſed id, quod fit per metum, eſt voluntarium quatenùs fit hîc & nunc ſub aliis conditionibus individuantibus, prout ſcil. in hoc caſu eſt impedimentum majoris mali, quod timebatur

batur; quemadmodùm projectio mercium in mare fit voluntariè tempore tempeſtatis propter timorem periculi; ergò quod fit per metum, eſt voluntarium ſecundùm quod eſt in actu. Probatur etiam 2. p. m. Quia ſi id, quod per metum fit, accipiatur, ut extrà hunc caſum exiſtens, & prout repugnat voluntati, non eſt niſi ſecundùm rationem tantum; ſed hoc modo id, quod fit per metum, eſt voluntarium; ergò id, quod fit per metum, eſt involuntarium, ut in apprehenſione: ergò à primo ad ultimum, id quod fit per metum, eſt voluntarium ſecundùm quod eſt in actu, & involuntarium tantùm, ſecundùm quod eſt in apprehenſione rationis. Et

12. Confirmatur 1. p. Concl. Illud eſt ſimpliciter voluntarium, quod ſimpliciter eſt à principio intrinſeco cum cognitione juxtà inclinationem, & propenſionem operantis; ſed quod fit metûs causâ, fit ſimpliciter à principio intrinſeco, ſcilicet à voluntate cum cognitione periculi, & ſecundùm propenſionem, & inclinationem ad id, ſcilicet ad evadendum (qui enim metu mortis pecunias dat latroni, is conſideratis omnibus eligit ad conſervationem vitæ, ad quam naturaliter inclinat, dare pecunias, vel projicere merces) ergò &c.

Confirmatur 2. p. Concl. Quia operari cum triſtitiâ & dolore, juxtà Ariſtot. certum ſignum eſt involuntarij; ſed cùm quis ex metu facit, quod aliàs facturus non fuiſſet. V. g. projicit merces in mare &c. facit id cum triſtitiâ & dolore (vellet enim merces retinere ſi poſſet) Ergò in eo actu admiſcetur aliquid in- *loc. cit.*

volun-

voluntarij; quia licet projectio mercium ſit juxtà voluntatem abſolutam, quâ quis vult eas proijcere, eſt tamen hoc etiam contra aliam voluntatem, & amorem mercium, quas vellet retinere, ſecluſo periculo naufragii; licet ergò projectio mercium ſit voluntaria juxtà primam voluntatem, eſt tamen ſimul etiam aliquo modo involuntaria juxta voluntatem, & amorem ſecundum. Hinc facilè

Colliges; Ea, quæ per metum aguntur, mixta eſſe ex voluntario, & involuntario. Et ratio S. Thomæ eſt; *hoc artic.* nam ea, quæ per metum aguntur, ex unâ parte non ſunt voluntaria, & ex aliâ parte ſunt voluntaria; ergò ſunt mixta. Conſeq. eſt bona; ea enim propriè ſunt mixta, quæ involvunt res vel rationes diverſas. Antec. autem patet ex dictis. Verùm contrà hæc

13. *Objic.* Obſervatio mandatorum Dei propter metum Gehennæ, vel etiam attritio de peccatis ob eundem metum, eſt bona; ergò illa non eſt mixta ex voluntario & involuntario, ac per conſequens ea, quæ fiunt ex metu non ſunt voluntaria *ſimpliciter*, & involuntaria *ſecundùm quid.* Antec. patet ex Concil. Trid. ubi ſic habetur; *ſeſs. 6. Can. 8.* *ſi quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe Anathema ſit.* Conſeq. verò probatur; ſi enim ibi eſſet aliquod involuntarium, haberet hunc actum; *ſi non eſſet Gehenna, peccarem*; & ſic haberet complacentiam de peccato *ſecundùm ſe, & conditionatè*; ſed hunc actum nequit habere, cùm non ſit bonus, ſed peccaminoſus; ergò etiam nequit habere aliquam rationem involuntarij. Circà hoc argumentum multi mirè torquentur

quentur, variaſque adferunt ſolutiones, quas ſuperfluum eſſet referre; & impugnare, cùm ſatiùs ſit legitimam tantùm dare ſolutionem. Igitur

℞. Conceſſo antec. quòd ſcilicet obſervatio mandatorum Dei, vel attritio facta ex metu Gehennæ, ſit bona, quando totaliter excludit voluntatem, & affectum peccandi; diſtinguo Conſeq. ergò attritio illa de peccatis ob metum Gehennæ non eſt mixta ex voluntario, & involuntario, quatenùs involuntarium provenit ex metu peccati ab extrinſeco, nego; quatenùs metus ille cauſatur, & fundatur in meâ voluntate adhærente culpæ, propter quam infertur pæna, concedo conſequens. Dicimus ergò, quòd metus *formaliter*, & quantùm eſt ex vi ſuâ, cauſet involuntarium, quando metus ille ab alio incutitur ad aliquid faciendum, aut omittendum, quod aliàs non faceret, velut in projectione mercium explicatum eſt; quando autem metus oritur & fundatur in propriâ voluntate, eſtque incuſſus ad relinquendam propriam, & ſimplicem voluntatem, talis metus totaliter tollit involuntarium.

Ratio hujus eſt manifeſta; quia idcircò ſumus involuntarij in primo caſu, quia in illo, quod fit ex metu, Vg. in projectione mercium, habemus voluntatem *ſimplicem*, & *conditionatam* faciendi oppoſitum, ſcilicet non proijciendi; in altero autem caſu, Vg. in attritione propter metum Gehennæ, metus ille tollit voluntatem oppoſitam, & conditionatam peccandi; alioquin enim vera attritio non eſſet, ſi quis ſolùm recederet à peccato ob metum pænæ, & retineret voluntatem peccandi; ſicq; in hoc particulari caſu non requiritur aliqua ratio involuntarij.

X *Dicet*

Digitized by Google

14. *Dices.* S. Thomas univerſaliter loquitur de omni metu dicens, quòd omnia, quæ fiunt ex metu, ſint mixta ex voluntario & involuntario; ergò malè excipiuntur ea, quæ fiunt ex metu cauſato & fundato in noſtrâ voluntate.

Confirmabis; Et communis ſcholaſticorum ſententia abſolutè, & ſimpliciter docet, facta ex metu eſſe mixta ex voluntario & involuntario; atqui tales propoſitiones *Doctrinales* abſolutè & ſimpliciter prolatæ, non tantùm verificantur in hoc vel illo eventu, ſed generaliter in omni materiâ, tanquàm generales regulæ ſciendi, non ſecùs ac illæ, quæ fiunt in materiâ neceſſariâ. Ergò nullus eſt caſus, in quo facta ex metu non habeant admixtam rationem aliquam involuntarij.

℟. Nos non recedere à doctrinâ univerſali S. Th. quia ipſe loquitur de metu *per ſe*; & ex vi ſuâ, & prout oritur ex causâ extrinſecâ inferente metum, non enim de metu, quando *per accidens* juſtè infertur per meam propriam voluntatem, quæ eſt cauſa juſtæ punitionis, reſpectu cujus eſt metus; tunc enim licet attentâ ratione metûs præcisè, voluiſſem non recedere à peccato, attentâ tamen causâ juſtæ punitionis, ſeu *conditionato* illo metu, ut *rationabiliter* incuſſo ob propriam voluntatem, mutat illam, & diſplicet illi peccatum, ut eſt radix & fundamentum illius juſti metûs.

℟. Ad Confirm. Doctrinam communem Scholaſticorum, & DD. ut ea ſit univerſalis, hoc ſenſu intelligendam eſſe, ſi voluntas in contrarium aliquo modo repugnet, vel per actum nolitionis, vel per actum amoris illius boni, quod reijcitur ex metu; ſed ut jam

patet

patet ex immediatè dictis, in propoſito quando quis obſervat mandata Dei, aut atteritur de peccatis ob metum Gehennæ, voluntas nequidquam repugnat, Ergò &c. Rurſus igitur facilè

15. *Colligis*, operari ex metu non ſemper habere ad mixtam rationem involuntarii, ſed tunc duntaxat, quando voluntas operantis ex metu, *formaliter* & *explicitè*, vel ſaltem *virtualiter* repugnat illi actui, qui fit ex metu, vel explicitè dicendo; *vellem non proijcere, ſi aliter poſſem evadere periculum*; vel certè per actum amoris boni illius, quod relinquitur, aut reijcitur ex metu. Cujus ratio ulterior eſt; quia tunc actus ex metu factus, ſolummodò admixtam habet rationem aliquam involuntarij, quandò eſt aliquo modo contrà inclinationem voluntatis; atqui niſi ſit in voluntate velleitas quædam contraria, vel ſaltem amor ad rem, quæ ex metu proijcitur, vel relinquitur, tunc actus ex metu factus non eſt contrà inclinationem voluntatis; Ergò niſi ſit in voluntate velleitas contraria, vel ſaltem amor ad rem, quæ proijcitur, aut relinquitur, tunc actus ex metu factus nullam habet rationem involuntarii. Subſumo; ſed quandò peccator dolet de peccatis ex metu Gehennæ, non habet *formaliter* vel *virtualiter* velleitatem contrariam non dolendi de peccatis, niſi metus Gehennæ urgeret; neque enim peccator verè pænitens habet explicitum hunc actum; *non dolerem, non agerem pænitentiam, niſi impænitenti, & non dolenti impoſita eſſet pœna inferni*; neque etiam cùm dolet, retinet affectum ad peccatum, de quo dolet, quia hoc ipſo utroque modo peccaret, & pænitentia ipſius redderetur

 vitiata,

Digitized by Google

viciata, & mala: ſiquidem ut docet S. Th. dolêre timore ſervili ſervilitate ſe tenente non tantùm *ex parte ſubjecti*, ſed etiam *ex parte objecti*, ac proinde pertinente ad rationem actûs, peccatum eſſe; quia talis adhuc finem ſuum ultimũ conſtitueret in bono, comodóq; proprio, cui pæna contrariatur; atq; ideò actus pænitentiæ & doloris ex metu Gehennæ elicitus eſt omninò voluntarius non habens admixtũ quidquam de involuntario.

22. q. 9. a. 4.

16. *Objic.* 2. multi contractus, qui fiunt ex metu, ipſo jure redduntur invalidi, non aliâ ratione, quàm quia non ſunt *ſimpliciter* voluntarii, velut conſtat ex toto titulo de his *quæ vi metûsque causâ.* Deinde multa præcepta non obligant ſtante metu gravi, velut præceptum de audiendo ſacro, de ſolvendo debito &c. Ergò in Jure judicantur illa involuntaria, quæ fiunt ex metu.

℟. in argumento hoc tacitè inſinuari duas difficultates in præſenti ſolvendas, quarum prima eſt; *an, & quando contractus ex metu facti ſint validi?* ſecunda, *an ſtante metu gravi obligent nos præcepta ad ſui obſervationem?* Quare ad primam difficultatem.

℟. 1. contractus quicunque, promiſſiones, vota, matrimonia &c. ex metu, etiam gravi, & cadente in virum conſtantem, ſtando in Jure naturæ, ſunt valida. Ita enim Navarrus in manuali, Curiel, Martinez, Ricardus, Baludanus, & Durandus, Sotus &c. Et ita deſumitur ex c. unico de his, *quæ vi metûsque causâ.* in 6. ubi dicitur, quòd abſolutio facta à cenſuris ex metu ſit irrita, licet ex naturâ rei poterat eſſe valida.

Præludio 6. n. 6. hîc dub. 2. §. 2. Dub. 2. concl. 6. in 4. diſt. 29. q. 1. a. 1 ibidem. q. 1. a. 3. §. qui ergò &c.

17. Probatur reſponſ. ratione; quia metus de ſe, & ex ſuâ naturâ non facit involuntarium *ſimpliciter*, ſed tan-

tùm

Digitized by Google

tùm *ſecundùm quid*; Ergò ex jure naturæ non facit contractus irritos; deinde promiſſio facta ex metu gravi incuſſo à causâ naturali, vel liberá juſtè procedente, eſt valida, ſicut & contractus, qui fiunt ex metu juſtè incuſſo, ſunt validi: quemadmodùm faciens votum ingrediendi Religionem in ægritudine, vel tempeſtate, ſi liberetur, tenetur ingredi, adeóque votum eſt validum; & qui ductus ad malam crucem ducit meretricem, ut liberetur, matrimonium tenet. Ergò cùm metus iſte juſtè incuſſus non ſit minor, quàm ſi injuſtè fiat, ex ui metûs non naſcitur aliqua invaliditas.

Confirmatur reſpons. ſtando in ſolo jure naturæ, ad valorem contractûs non requiritur major ratio voluntarii, & liberi, quàm ad peccandum mortaliter, & ad merendum per bona opera; ſed libertas & ratio voluntarii, quæ reperitur in metuente eſt ſufficiens ad peccandũ mortaliter, velut patet in eo, qui metu coactùs negaret fidem; deinde ſufficiens eſt ad rationem meriti, ſicut meretur, qui ob timorem inferni ſequitur virtutem, ſi namque talis actus habeat conjunctam charitatem, meritorius eſt vitæ æternæ. Ergò ſtando in ſolo jure naturæ, ad valorem contractûs ſufficiet quoque libertas, & ratio voluntarii, quæ reperitur in metuente.

Dixi: *ſtando in jure naturæ*: quia aliqui ex his contractibus jure poſitivo irritantur, aliqui verò irritandi decernuntur, de quo ſtatim.

18. ℞. 2. Jure poſitivo irritantur plura, quæ fiunt ex metu, quando injurioſè incutitur, ut plena libertas ſalvetur, & injuria propulſetur; & hoc idcircò à jure ſtatutum eſt, tum ad vitandas lites, atque inconvenientia, quæ

 ex his,

Digitized by Google

ex his, quæ metu cogente fiunt, ſequi ſolent; Tum quia ſæpiſſimè contingit, deeſſe in his conſenſum verum, quantumvis verbis externis proferatur. Tum deniq; in pœnam illius, qui injuſtè metum infert; meretur enim ut effectu careat, quod per injuriam extortum eſt.

Illa porrò, quæ requirunt plenum conſenſum, & à jure irritantur, ſi ex metu fiant, numerantur ſeptem. 1. nullum eſt matrimonium, ex metu gravi (de quo ſemper eſt ſermo) contractum. 2. promiſſio, vel ſolutio dotis facta ex metu, non tenet, ſicut nec matrimonium, quod eſt ejus principale. 3. Jurisdictio data, vel procurata ex metu, eſt nulla; ſicut & electio Prælati, per quam requiritur Jurisdictio. 4. Authoritas Tutorum ex metu eſt nulla. 5. Abſolutio ab excommunicatione, metu extorta. 6. Teſtes teſtamentorum, quorum teſtimonium, metu extortum non valet. 7. Votum ex metu injurioſè incuſſo factum, ſecundùm aliquos Moraliſtas non tenet. Et ratio eſt; quia qui ſic cogitur vovere, poteſt interim non habere conſenſum, ſine quo votum non poteſt obligare, & ad quem conſenſum metus exterior non poteſt cogere. Circà votum autem ſolenne aliter eſt diſcurrendum; quia hoc, cùm præter conſenſum interiorem requirat etiam exteriorem mancipationem, & traditioné, fiátque per modum ſpiritualis matrimonii, & contractûs, ſic Eccleſia voluit ut liberè fieret, & ſine metu, ſicut & matrimonium, quod non deſumitur ab interiori tantùm conſenſu, ſed etiam ab exteriori traditione. Poſtmodùm verò per Concil. Trid. declaratum eſt, ut ille, qui defendit, ſe per metum Religioſum eſſe, non audiatur, niſi intrà quinquennium à die Profeſſionis reclamarit. Jam ad ſecundam difficultatem.

in c. 1. veniens de ſponſalib. l. 2. ff. de Iudiciis.

lib. 1. §. ult. ff. de Authorit. Tutorum c. unico. de his, quæ vi, metûsq; causâ. in 6. ff. de teſtamentis.

c. cùm virum de regularibus. ſeſſ. 25. de regularib. c. 19.

19. ℞. 1. Caſu quo poſitis omnibus circumſtantiis, lex adhuc *formaliter* obligat, ſi homo contrà faciat ex quocunque metu cujuscunque mali gravis peccat; ſed tamen minùs, quàm ſi id ſine metu faceret.

Probatur 1. p. reſpons Authorit. Ariſtot. ubi ait, ***eſſe quædam turpia, ut matricidium, & ſimilia, quæ nullo modo ſunt facienda; quia potiùs oportet multiſ ſuppliciis mortē obire, quàm talia committere.*** Item docent S. Th. Cajet. Almain. Sotus. Covarru. Navar. Martinez. Curiel. & Candidus. *loc. ſuprà cit.* *2. 2. q. 125. a. 4. ibidem. Tract. 1. moral. c. 3. lib. 1. de Iuſt. q. 6. a. 4. de matrim. pũcto 2. c. 3. §. 4. 1. c. c. 22. n. 51. hîc dub 2. conclus. 1. dub. 2. §. 2.* ibi. *disquiſit. 41. n. 2.*

Probatur. 1 p. 2. ex. Jure cap. *ſacris*, de his, quæ ***metûs causâ***; ubi decernitur, pro nullo metu committendum eſſe peccatum. Et cap. 1. ***quiſquis***; de eo, qui celat veritatem, cùm tenetur eam confiteri, & de eo, qui mendacium dicit metu cujuslibet poteſtatis, dicitur, quòd iram Dei ſuper ſe provocet, quia magis timet hominem, quàm Deum. Ergò ex metu non excuſatur à peccato, quando præceptum formaliter obligat, id eſt, hîc & nunc; ut cùm homo ſanus eſt, & neque adeſt cauſa excuſans, ut excuſetur à jejunio. Obligabit verò præceptum ***materialiter*** ſolùm, quando quidèm hoc datur, ſed ex aliquâ circumſtantiâ non obligat hîc & nunc; ut dum homo ægrotus ferià ſextâ comedit carnes; licet enim tunc ægrotus faciat contrà id, quod ***materialiter*** ſonat præceptum, non tamen facit contrà ejus obligationem, quia reverà non obligat protunc.

Probatur hæc 1. p. 3. Ratione. Quia tunc metus excuſat, quando ad evitandum majus damnum, eligitur minus, non autem quando ad evitandum minus eligitur majus; hoc enim contradicit rectæ rationi: ſed quodlibet damnum temporale eſt minus, quàm transgredi præceptum,

Digitized by Google

ceptum, quando obligat; ergò nullo metu licet transgredi præceptum, dum hoc *formaliter* obligat. m. probatur. Quia malum culpæ eſt majus malo pænæ; transgredi autem præceptum caſu quo obligat, eſt malum culpæ. Ergò caſu quo obligat præceptum, id transgredi. eſt majus malum.

Probatur 2. p. reſpons. nempè quòd ex metu ſemper minuatur culpa; quia eatènus aliquid eſt peccatum; quatenus eſt voluntarium; ſed quod fit ex metu, eſt minus voluntarium; quia quæ fiunt ex metu, ſunt mixta ex voluntario, & involuntario. Ergò quod fit ex metu, eſt minus peccatum; quod tamen non ita eſt intelligendum, quaſi ex culpâ mortali fiat venialis; ſed quòd intrà idem genus culpæ, ſive mortalis ſit, ſive venialis, minus graviter peccet, qui id facit ex metu, quàm ſi faceret ſine illo.

20. ℞. 2. Præceptum naturale negativum ita obligat, ut nullâ circumſtantiâ deſinat obligare, adeóque nullus metus etiam mortis excuſat, ut ſine peccato contrà illud faciamus. Eſt de fide ex conſenſu Eccleſiæ.

Probatur reſpons. quia præceptum naturale negativum ex propriâ ratione probibet id, quod *intrinſecè* eſt malum; & ex aliâ parte præceptum negativum obligat *ſemper pro ſemper*. Ergò ex nullâ occaſione, vel circumſtantiâ erit licitum facere contrà illud; quare in nullo caſu ex quocunque metu ſine peccato occides, fornicaberis, adorabis Deum alienum; quare non datur transgreſſio *materialis* talium peccatorum.

21. ℞ 3. Præcepta naturalia pura affirmativa non ita obligant, quia aliquando ex circumſtantiis, & maximè

ximè ex metu, in virum conſtantem cadente, poſſint præteriri ſine peccato. Ita Martinez, Navarus, Sotus, & alij. *hic dub. 2. concluſ. 3. Navarus. l. 1. præludio 7. n. 12. in 4. diſt. 22. q. 1. a. 4.*

Probatur. Quia quæ præcepta non obligant *ſemper*, & *pro ſemper*, ſed tempore determinato juxtà dictamen rectæ rationis & prudentiæ, reſpectu illorum datur tempus, in quo ex circumſtantiâ, & cæteris penſandis, non teneatur homo talia præcepta adimplere; ſed præcepta naturalia pura affirmativa non obligant *ſemper pro ſemper &c.* Ergò &c. Et ex conſequenti iſta aliquando (& maximè verò inſtante metu mortis) non adimplere, vacabit culpâ, & peccato.

Confirmatur reſponſio. Cuſtodire diem Sabbathi, eſt tertium præceptum affirmativum primæ tabulæ; ſed hoc non obſtante, cùm die Sabbathi Gentiles bellum inferrent, Judæi metu mortis bellaverunt, & ſe defenderunt non cuſtodientes Sabbathum, in quo non peccaverunt, quia id fecerunt in cuſtodiam propriæ vitæ, ut docet S. Th. Ergò ex metu mortis licet præceptum naturale affirmativum non cuſtodire; quia tunc non obligat, nec *formaliter* fit contrà præceptum. At *1. Machabæor. 2.* *1. 2. q. 100. a. 8.*

Dices; Operationes, quæ ideo ſunt prohibitæ, quia *ex ſe* & *intrinſecè* ſunt malæ, ſemper, & ubique & quibuſcunque circumſtantiis, vel quocunque metu urgente obligant, ſed operationes, quæ jure & legè naturali ſunt prohibitæ, ideo ſunt prohibitæ, quia ex ſe, & intrinſecè ſunt malæ; Ergò obligant *ſemper pro ſemper*, quia ſemper ſunt malæ, & illicitæ.

℞. Hoc argumentum convincere de præceptis negativis, quæ mala prohibent, atque adeo confirmare re-

Digitized by Google

ſponſionem noſtram ſecundam; non verò convincere de præceptis affirmativis, utpote quæ præcipiunt ea, quæ ſunt intrinſecè bona, quæ tamen non ſemper tenemur operari, nec cum qualicunq; diſcrimine. Ex dictis

22. *Colliges 1.* Neminem cum periculo infamiæ, & vitæ teneri adimplere præceptum naturale, de ſolvendo debito, de reddendo depoſitum, de ſubveniendo proximo in extremâ neceſſitate corporali &c. Tum quia cum majori, vel æquali damno non teneor ſubvenire proximo. Tum quia præcepta hæc legis naturalis ſunt merè affirmativa. Econtrà

Colliges. 2. Puellam, quæ etiam metu mortis, vel gravis infamiæ, permittit ſe deflorari, peccare, ſi ſit in periculo conſentiendi. Cujus alia ratio non eſt; niſi quia præceptum non fornicandi eſt negativum, à cujus obſervantiâ nullo caſu, & occaſione quis excuſatur. Dixi autem *ſi puella ſit in periculo conſentiendi*; quia ſi non ſit in hoc periculo, non peccabit, ſi metu mortis, gravis infamiæ, aut alterius grandis mali permittat ſe deflorari; eo quòd præceptum de defenſione propriâ ſit naturale affirmativum, quod non obligat cum tanto diſcrimine, ut patet ex dictis. Ergò ex metu gravi excuſatur quis ab impletione præcepti naturalis *affirmativi*, non verò *negativi*.

℟. 4. Præcepta Divina poſitiva, ſivè affirmativa, ſivè negativa, non ita obligant, quia aliquando ex circumſtantijs, & maximè ex metu gravi deſinant obligare. Sic Martinez. *cit dub. 2. conblus. 4.*

23. Probatur reſpons. 1. ex SS. Litteris, & quidem quantùm ad præcepta affirmativa. Nam præceptum *Geneſ. 17, 10*

Divinum

Divinum erat, ut octavâ die circumcideretur infantulus, & tamen cùm erant in itinere terræ, ne ex labore itineris periclitaretur vita *circumciſi*, non ſunt circumciſi filij Iſrael per 40. annos itineris. Quantùm ad præcepta negativa; præcipitur, ut ſolus Aaron, & filij ejus in loco S. comedant panes propoſitionis; & tamen David cum ſuis comedit eos urgente neceſſitate famis. *Ioſue. 5.* *Levit. 24. 8. 1. Reg. 21.*

In præceptis ergò Divinis poſitivis quibuscunque, ſemper attendendum eſt ad majus bonum; atqui vita hominis majus bonum eſt, quàm obſervantia Sabbathi, quàm abſtinentia à panibus propoſitionis. Ubi ergò vita periclitatur, tunc Sabbathi obſervantia, vel alia quæcunque lex poſitiva Divina non obligat

Probatur reſpons. ratione; quia ubi duo præcepta occurrunt contraria, ibi majus obligat, & ceſſat obligatio minoris; ſed ubi eſt gravis metus, vel gravis occaſio non adimplendi præceptum Divinum poſitivum, occurrit in contrarium aliud præceptum gravius. Ergò non debet tunc adimpleri præceptum Divinum poſitivum, neque *pro tunc* obligat. mi. in quâ eſt difficultas, Probatur, Quia caſu quo eſt gravis metus mortis, infamiæ magnæ &c. datur præceptum naturale de cuſtodiendâ vitâ, famâ &c. præceptum verò naturale majus eſt præcepto quocunque poſitivo. Ergò &c. Hinc

Colliges; Si quis ex eo, quòd confiteatur, exponatur periculo vitæ, vg. ſi Confeſſor peſte laboret, vel alio morbo contagioſo, non teneri ad confitendum. Similiter, ſi ex eo, quòd quis confiteatur, exponatur periculo mortis; vel quia maximè defatigatur, & confeſſio eſt longa; vel quia inſtat hoſtis, non tenetur fa-

Digitized by Google

cere confeſſionem integram. Cujus alia ratio non eſt, niſi quia præceptum de confitendo, & dè integritate confeſſionis, eſt præceptum Divinum poſitivum: ergò metus gravis, cujusmodi eſt metus mortis, excuſat ab impletione præcepti Divini poſitivi.

24. ℟. Ultimò; præcepta poſitiva humana ſive Eccleſiaſtica ſint, ſivè ſæcularia non ita obligant, quia quandoque ex circumſtantijs, præcipuè ex metu gravi, deſinant obligare; atque adeo tunc facere oppoſitum, non eſt facere contrà præceptum *formaliter*; ſed *materialiter*, & per conſequens non eſt peccatum. Ita quo ad hanc & præcedentes reſponſiones ferè communis DD. contrà Cajetanum, & quosdam alios aſſerentes nunquam licitum eſſe, agere contrà id, quod prohibetur lege aliquâ poſitivâ Divinâ, vel humanâ.

hic n. 4. Probatur reſpons. ex duabus præcedentibus. Quòd ſi enim præceptum naturale affirmativum, & præceptum Divinum poſitivum quodcunque, non ita obligent; quia accedente gravi circumſtantiâ, vel periculo deſinunt obligare, ergò multò minus ita obligabit lex humana, quæ utique minoris Authoritatis eſt, quàm naturale affirmativum, & poſitivum Divinum quodcunque.

Confirmatur. Lex humana ordinatur ad bonum communitatis, & particularium; ſed ſi lex humana vellet obligare etiam cum periculo vitæ, caſu quo non penderet bonum commune (de quo eſt alia ratio) tunc ea non eſſet in bonum, ſed in perniciem omnium; ergò ea non ſic obligat. m. Probatur. Quia respubl: non eſt Domina vitæ civium, ut pòſſit eam pro libitu exponere

pro

pro quolibet mandato, ſed ſolùm tunc, cùm jus naturale id dictat; vg. quando bonum commune periclitatur, tunc enim ex lege naturali bonum comune anteponendum eſt privato; atqui ex hoc ſequitur, quòd non poſſit imponere pænam mortis, niſi ubi defecit homo ab obligatione naturali. Sed tamen

25. *Notandum eſt* circa hanc, & præcedentes concluſiones, quod ſi metus ad transgrediendam legem incutiatur in contemptum fidei, vel Eccleſiæ imponentis talem legem, vel cenſuram, aut ad perſuadendum, quòd nulla ſit lex Eccleſiaſtica, vel ſimilis, quæ obligat in conſcientiâ, tunc non licet agere contrà legem abſque graviſſimo peccato; non quia lex poſitiva ſe ſolâ obliget tunc cum periculo vitæ, ſed quia tunc currit præceptum naturale Divinum de colendâ, & non contemnendâ Chriſtianâ Religione, & præceptum confirmationis fidei, cùm in ejus detrimentum intendatur violatio legis in caſu poſito. ſic ferme omnes. Hinc quoque non obſcurè

Colliges; quòd metus juſtè incuſſus nunquam excuſet à peccato. Cujus ratio eſt; quia metus non excuſat à peccato, niſi quando tollitur, vel ſuſpenditur obligatio legis; ſed quandò metus juſtè incutitur, non tollitur, nec ſuſpenditur legis obligatio; undè ſi Judex, vel ſuperior te legitimè interroget de crimine, etſi ex ejus confeſſione mortem metuas, non excuſaris, ſi id reticeas. Ergò &c.

Dubium 3.

Utrum, quod cauſatur ex concupiſcentiâ, ſit involuntarium?

Reſpondeo.

Quod cauſatur ex concupiſcentiâ, quâ tali, *nullo modo eſt*

Digitized by Google

hic q. 6. a. 7. *involuntarium.* Ita cum S. D. communis DD. Eſt contrà illos, qui exiſtimârunt, concupiſcentiam cauſare involuntarium non *ſimpliciter* & abſolutè, ſed *ſecundùm quid*, in quantùm actus ex concupiſcentiâ proveniens, licet *ſimpliciter*, & abſolutè ſit voluntarius, tamen ſecundùm aliquam rationem, atque adeo *ſecundùm quid*, eſt involuntarius, proindeq; mixtus ex voluntario, & involuntario, eo ferè modo, quo in præcedentibus dicimus, ea quæ fiũt ex metu, mixta eſſe ex volũtario & involuntario. *c 3. in annotat circa textum 5.* Ita cum quibusdam aliis habet Angeſtus in ſuis moralibus

26. Explico. Concupiſcentia eſt paſſio; ſeu vehemens affectus, vel motus appetitûs ſenſitivi, mouens & inclinans voluntatem ad aliquid amplectendum. Quamvis autem concupiſcentia propriè loquendo tantùm importet actum partis, ſeu appetitûs *concupiſcibilis*, cujuſmodi ſunt Vg. amor, deſiderium, ſpes, voluptas &c. in præſenti tamen eam ſumimus pro quocunque motu appetitûs, etiam *iraſcibilis*, velut ſunt audacia, ira, indignatio &c. cujus ratio eſt, quia uterq; appetitus habet eundem modum movendi voluntatem, & conſequenter cauſandi voluntarium, exceptâ paſſione metûs, cui adjungi ſolent odium, deſperatio, triſtitia; quæ quo ad rationem diminuendi voluntarium conveniunt cum metu, qui in hoc diſtinquitur ab omni aliâ paſſione, proveniente à concupiſcentiâ, quòd juxta dicta metus ordinariè cauſet actum mixtum, cæterarum autem paſſionum actus non cauſent talem actum ex voluntario, & involuntario compoſitum Quare in propoſito nomine concupiſcentiæ veniunt omnes paſſionum actus, excepto timore, & illis, quæ metui adjunguntur.

27. Cæ-

27. Cæterùm ſub hâc acceptione, ut obſervat S. Th. concupiſcentia, ſeu quælibet paſſio appetitûs ſenſitivi triplex eſt, *antecedens* una, *conſequens* alia, & alia *concomitans* voluntatem. *Antecedens* eſt, quæ eſt cauſa vel occaſio effectûs voluntarij, atq; adeo, quæ præcedit actû voluntatis; vg. cùm viſo pulchro & per intellectum voluntati repræſentato objecto, accenditur libido, vel delectatio circà illud. Concupiſcentia *conſequens* eſt, quæ ſubſequitur actum voluntatis & ab illo, ut causâ morali procèdit; vg. quando ex objecti pulchri viſione appetitus accenditur in ejus libidinem, aut delectationẽ; non enim poteſt voluntas intensè in aliquid moveri, quin excutiatur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo; propterea quòd motus ſuperiorum viriũ, ſi vehementes ſint, redundent in inferiores. Dixi. Concupiſcentiam *conſequentem* procedere à voluntate, ut à cauſa *morali*; quia non ſufficit, quòd ab eâ, vel actu illius proveniat, tanquam à causâ phyſicâ; ut ſit *conſequens*; vg. ſi quis diſputans de venereis, vel confeſſiones audiens ex tali materiâ nolens in ſe excitet paſſionem appetitûs, talis paſſio, etſi quidem phyſicè proveniat ab actu voluntario, & libero tractandi tales materias, non tamen reputatur *moralis*, ſed omninò accidentaria; quia actus ille, cùm non ordinetur ad libidinem, ſed potiùs ſit pius & honeſtus, idcircò *moraliter* non cenſetur cauſa turpis motûs in appetitu, velut eſſet, ſi voluntas materias ejusmodi admitteret ex libidine. His nòn obſtantibus fieri poteſt, ut licet concupiſcentia hæc *conſequenter* ſe habeat ad unum actum voluntatis, adeoque in eum non influat, neque cauſet voluntarium, poſſit tamen antece-

hîc q. 77. a. 6.

Digitized by Google

antecedere alium actum, & eſſe illius cauſa; immò verò etiam poſſit eſſe cauſa perſeverantiæ ejusdem actûs vel operis, quamvis non fuerit cauſa primæ illius productionis. Concupiſcentia *concomitans* eſt illa, quæ neque cauſa eſt, neque effectus reſpectu actûs voluntatis, ſed *per accidens* conjungitur cum illo; vg. ſi in audiente confeſſionem fæminæ inſurgat paſſio libidinis, talis paſſio non eſt cauſa voluntatis audiendi confeſſionem, alioquin enim ſi ob hanc cauſam audiret, foret *antecedens*; neque eſt effectus ejus; aliàs ſi procederet ut effectus à voluntate audiendi confeſſionem, eſſet *conſequens*.

In præſenti igitur S. Do: ſolùm loquitur de concupiſcentiâ *antecedente*, hæc enim ſola poteſt eſſe cauſa voluntarij, vel involuntarij; *conſequens* namque cùm ſupponat actum, nequit in eo cauſare rationem voluntarij, aut involuntarij, nihilominus ea ſignum eſſe ſolet actûs voluntarij, caſu quo ſcilicet, eſt *moralis* ejus effectus. Concupiſcentia autem nullum ordinem dicit ad actum, cùm *per accidens* duntaxat conjungatur cum illo. Jam

28. Probatur Conclus. 1. Authorit. nam Concluſionem noſtram habet Ariſtoteles, Gregorius Niſſenus, S. Damaſc, S. Thom. Buridanus. Azor &c.

3. Ethicor. c. 1. lib. 5. Philoſoph. c. 1. & 3. lib. 2. de fide cap. 24. hic, & 22. q. 142. a. 1. lib. 3. Ethic. c. 1. lib. 1. ſummæ c. 17. dub. 1.

Probatur 2. ratione S. Thomæ ☉ hujus artic. quæ talis eſt; id, per quod voluntas magis fertur in obiectum, non cauſat involuntarium, ſed voluntarium; ſed per concupiſcentiam voluntas magis fertur in id, quod concupiſcit. Ergò concupiſcentia non cauſat involuntarium ſed voluntarium. m. patet. M. autem probatur; quia voluntarium inde dicitur, quod voluntas in id

id feratur, involuntarium verò ex eo, quòd voluntas in id, vel non feratur, ſed fugiat, vel ab illo retardetur. Ergò &c. Confirmatur concluſio ex doctrinâ S. Th. Id quod eligitur ut malum, eſt aliquo ſaltem modo involuntarium, & quod eligitur ut bonum, eſt voluntarium. Sed hæc eſt differentia inter metum, & concupiſcentiam, quòd metûs objectum ſit malum, ut malum, concupiſcentiæ verò objectum ſit bonum, ut bonum; ergò quod eligitur ex metu, eſt involuntarium aliquo modo, non verò quod eligitur ex concupiſcentiâ. Major. ponitur â S. Th. & per ſe nota eſt; Conſeq. verò probatur ex doctrinâ ejuſdem S. D. nam cùm quis operatur ex metu, eligit aliquid, quod priùs nolebat, manente tali nolitione, ſi non *formaliter*, certè *virtualiter*, eſto maneat inefficax; atq; in hoc apertè involuitur ratio involuntarii; Econtrà cùm quis operatur ex concupiſcentiâ, poteſt quidem aliquid eligere, quod priùs nolebat, ita tamen ut mox ceſſet nolleitas illa, quin vel *formaliter*, vel *virtualiter* remaneat; ergò non manet ratio involuntarii. Minor verò in quâ eſt difficultas, probatur ex diverſitate obiecti jucundi concupiſcentiæ, quod tollit acerbitatem, & nolitionem medii; & odioſi timoris, quod non tollit omnino acerbitatem, & nolitionem medii. Confirmatur amplius præcedens argumentum. Quæ fiunt ex amicitiâ, ex benevolentiâ, ex precibus, illa non cenſentur involuntaria, ſicut cenſentur ea, quæ fiunt ex metu; ergò nec ea, quæ fiunt ex concupiſcentiâ. Conſeq. patet; quia ſicut in prædictis bonum eſt, quod mouet, & non imminens malum, ſicut in metu, ſic in concupiſcentiâ bonum eſt, jucun-

hic in ſolut. ad 1. & 2.

hic ſolut. ad 1.

 dum

Digitized by Google

dum eſt; quod attrahit. Antec. etiam patet; quia licitum eſt benevolentiâ attrahere infidelem ad fidem, non verò timore; item contractus precibus impetratus, etiam matrimonij, validus eſt, neque aliquâ ratione irritandus, prout irritandus eſt, ſi ex metu fiat. Atqui talia non forent licita, aut valida, ſi ea, quæ fiunt ex benevolentiâ, precibus &c. forent involuntaria. Ergò &c.

29. Verùm licet doctrina hæc communiter ab omnibus acceptetur, nihilominùs plerique laborant in aſſignando diſcrimine inter metum, & concupiſcentiam, quando ex utroque eligimus medium aliàs exoſum, vg. cùm navigans metu compulſus eligat projicere merces cum difficultate undè eſt involuntarius; & cùm avarus ex concupiſcentiâ eligit dare pecunias amicæ, quod ſimpliciter avaro eſt medium acerbum, & exoſum, ut proinde ei videatur eſſe involuntarium. Qua in re, ut mentem quoque aperiamus noſtram

℟. Quando Ariſtoteles, S Gregorius Niſſænus, S. Damas. S. Th. & reliqui tam Philoſophi, quàm Theologi unanimiter docent, concupiſcentiam non cauſare involuntarium, hoc eſt, non admittere in actu ſuo mixtionem involuntarij, id non ita univerſaliter, & abſolutè intelligi debet, quin aliquando actus concupiſcentiæ involuntarij aliquid admittat. Ita enim Cajet. Suarez. Lorca. & Martinez.

Probatur reſpons. Reverà enim ea, quæ fiunt ex concupiſcentia, aliquando ſunt mixta ex voluntario, & involuntario, veſut multis patet experientijs. Cùm ergò à ratione alienum ſit, Ariſtotelem, & præfatos Patres

Patres hanc rem ignoráſse, conſequens eſt, quòd eorundem dicta juxtà hujus veritatis intelligentiam ſint intelligenda, & exponenda; maximè quia contextus, & eorum modus loquendi non repugnat, cùm ipſi utantur propoſitione indefinitâ; de cujus ratione non eſt, ut univerſaliter verificetur, ut patet in hoc: *homo eſt albus*: quæ vera eſt, Æthiopibus nigris exiſtentibus Sed.

30. *Dices*; unde igitur ſcire poſſumus, quando concupiſcentia excludat omnem rationem involuntarii, & admittat involuntarium *ſecundùm quid*?

℞. Etſi per ſe loquendo, & quantùm eſt ex concupiſcentiâ, hæc ſemper excludat omnem rationem involuntarii (& ſic intelligenda eſt doctrina Ariſtot. & Patrum) *per accidens* tamen etiam contrarium contingere poteſt, vg. quando in medio electo concupiſcentia ex alio affectu tantam invenit acerbitatem & repugnantiam, ut eam totaliter vincere nequeat. Tali enim caſu, quamvis concupiſcentiâ *ſimpliciter* vincat (operatur enim, ut ſupponimus, ex concupiſcentiâ, ſicq; actus eſt ſimpliciter voluntarius) remanet tamen aliqua inefficax renitentia, quâ appetitus id nollet; & ſic manet ratio involuntarii *ſecundùm quid*.

Probatur, & explicatur reſpons. Quemadmodum enim ardor ex propriâ ratione calefacit, & quidem expellit omnem frigiditatem, *per accidens* tamen ſæpè contingit aut ex debilitate caloris, aut quòd frigiditas ſit in propriò ſubjecto, ut in aquâ, ut calore non omninò expellatur frigiditas, ſed remaneat aliquo modo mixtum ex calore & frigiditate, velut patet in omni tepido; & tamen rectè dicimus, quod calor faciat calidum, & *ex ſe*

 omnem

Digitized by Google

ceptum, quando obligat; ergò nullo metu licet transgredi præceptum, dum hoc *formaliter* obligat. m. probatur. Quia malum culpæ eſt majus malo pænæ; transgredi autem præceptum caſu quo obligat, eſt malum culpæ. Ergò caſu quo obligat præceptum, id transgredi. eſt majus malum.

Probatur 2. p. reſpon. nempè quòd ex metu ſemper minuatur culpa; quia eatènus aliquid eſt peccatum; quatenus eſt voluntarium; ſed quod fit ex metu, eſt minus voluntarium; quia quæ fiunt ex metu, ſunt mixta ex voluntario, & involuntario. Ergò quod fit ex metu, eſt minus peccatum; quod tamen non ita eſt intelligendum, quaſi ex culpâ mortali fiat venialis; ſed quòd intrà idem genus culpæ, ſive mortalis ſit, ſive venialis, minus graviter peccet, qui id facit ex metu, quàm ſi faceret ſine illo.

20. ℞. 2. Præceptum naturale negativum ita obligat, ut nullâ circumſtantiâ deſinat obligare, adeóque nullus metus etiam mortis excuſat, ut ſine peccato contrà illud faciamus. Eſt de fide ex conſenſu Eccleſiæ.

Probatur reſpons. quia præceptum naturale negativum ex propriâ ratione probibet id, quod *intrinſecè* eſt malum; & ex aliâ parte præceptum negativum obligat *ſemper pro ſemper*. Ergò ex nullâ occaſione, vel circumſtantiâ erit licitum facere contrà illud; quare in nullo caſu ex quocunque metu ſine peccato occides, fornicaberis, adorabis Deum alienum; quare non datur transgreſſio *materialis* talium peccatorum.

21. ℞ 3. Præcepta naturalia pura affirmativa non ita obligant, quia aliquando ex circumſtantiis, & maximè

ximè ex metu, in virum conſtantem cadente, poſſint præteriri ſine peccato. Ita Martinez, Navarus, Sotus, & alij.

hic dub. 2. conclus. 3. Navarus. l. 6. præludio 7. n. 12. in 4. diſt. 22. q. 1. a. 4.

Probatur. Quia quæ præcepta non obligant *ſemper*, & *pro ſemper*, ſed tempore determinato juxtà dictamen rectæ rationis & prudentiæ, reſpectu illorum datur tempus, in quo ex circumſtantiâ, & cæteris penſandis, non teneatur homo talia præcepta adimplere; ſed præcepta naturalia pura affirmativa non obligant *ſemper pro ſemper &c.* Ergò &c. Et ex conſequenti iſta aliquando (& maximè verò inſtante metu mortis) non adimplere, vacabit culpâ, & peccato.

Confirmatur reſponſio. Cuſtodire diem Sabbathi, eſt tertium præceptum affirmativum primæ tabulæ; ſed hoc non obſtante, cùm die Sabbathi Gentiles bellum inferrent, Judæi metu mortis bellaverunt, & ſe defenderunt non cuſtodientes Sabbathum, in quo non peccaverunt, quia id fecerunt in cuſtodiam propriæ vitæ, ut docet S. Th. Ergò ex metu mortis licet præceptum naturale affirmativum non cuſtodire; quia tunc non obligat, nec *formaliter* fit contrà præceptum. At

1. Machabæor. 2.

1. 2. q. 100. a. 8.

Dices; Operationes, quæ ideo ſunt prohibitæ, quia *ex ſe* & *intrinſecè* ſunt malæ, ſemper, & ubique & quibuscunque circumſtantiis, vel quocunque metu urgente obligant, ſed operationes, quæ jure & lege naturali ſunt prohibitæ, ideo ſunt prohibitæ, quia ex ſe, & intrinſecè ſunt malæ; Ergò obligant *ſemper pro ſemper*, quia ſemper ſunt malæ, & illicitæ.

℞. Hoc argumentum convincere de præceptis negativis, quæ mala prohibent, atque adeo confirmare re-

Digitized by Google

ſponſionem noſtram ſecundam; non verò convincere de præceptis affirmativis, utpote quæ præcipiunt ea, quæ ſunt intrinſecè bona, quæ tamen non ſemper tenemur operari, nec cum qualicunq; diſcrimine. Ex dictis

22. *Colliges 1.* Neminem cum periculo infamiæ, & vitæ teneri adimplere præceptum naturale, de ſolvendo debito, de reddendo depoſitum, de ſubveniendo proximo in extremâ neceſſitate corporali &c. Tum quia cum majori, vel æquali damno non teneor ſubvenire proximo. Tum quia præcepta hæc legis naturalis ſunt merè affirmativa. Econtrà

Colliges. 2. Puellam, quæ etiam metu mortis, vel gravis infamiæ, permittit ſe deflorari, peccare, ſi ſit in periculo conſentiendi. Cujus alia ratio non eſt; niſi quia præceptum non fornicandi eſt negativum, à cujus obſervantiâ nullo caſu, & occaſione quis excuſatur. Dixi autem *ſi puella ſit in periculo conſentiendi*; quia ſi non ſit in hoc periculo, non peccabit, ſi metu mortis, gravis infamiæ, aut alterius grandis mali permittat ſe deflorari; eo quòd præceptum de defenſione propriâ ſit naturale affirmativum, quod non obligat cum tanto diſcrimine, ut patet ex dictis. Ergò ex metu gravi excuſatur quis ab impletione præcepti naturalis *affirmativi*, non verò *negativi*.

℟. 4. Præcepta Divina poſitiva, ſivè affirmativa, ſivè negativa, non ita obligant, quia aliquando ex circumſtantijs, & maximè ex metu gravi deſinant obligare. Sic Martinez. *cit dub. 2. concluſ. 4.*

23. Probatur reſpons. 1. ex SS. Litteris, & quidem quantùm ad præcepta affirmativa. Nam præceptum *Geneſ. 17. 10.*

Divinum

Digitized by Google

Divinum erat, ut octavâ die circumcideretur infantulus, & tamen cùm erant in itinere terræ, ne ex labore itineris periclitaretur vita *circumciſi*, non ſunt circumciſi filij Iſrael per 40. annos itineris. Quantùm ad præcepta negativa; præcipitur, ut ſolus Aaron, & filij ejus in loco S. comedant panes propoſitionis; & tamen David cum ſuis comêdit eos urgente neceſſitate famis. *Ioſue. 5.* *Levit. 24. 8.* *1. Reg. 21.*

In præceptis ergò Divinis poſitivis quibuscunque, ſemper attendendum eſt ad majus bonum; atqui vita hominis majus bonum eſt, quàm obſervantia Sabbathi, quàm abſtinentia à panibus propoſitionis. Ubi ergò vita periclitatur, tunc Sabbathi obſervantia, vel alia quæcunque lex poſitiva Divina non obligat

Probatur reſpons. ratione; quia ubi duo præcepta occurrunt contraria, ibi majus obligat, & ceſſat obligatio minoris; ſed ubi eſt gravis metus, vel gravis occaſio non adimplendi præceptum Divinum poſitivum, occurrit in contrarium aliud præceptum gravius. Ergò non debet tunc adimpleri præceptum Divinum poſitivum, neque *pro tunc* obligat. m. in quâ eſt difficultas, Probatur. Quia caſu quo eſt gravis metus mortis, infamiæ magnæ &c. datur præceptum naturale de cuſtodiendâ vitâ, famâ &c. præceptum verò naturale majus eſt præcepto quocunque poſitivo. Ergò &c. Hinc

Colliges; Si quis ex eo, quòd confiteatur, exponatur periculo vitæ, vg. ſi Confeſſor peſte laboret, vel alio morbo contagioſo, non teneri ad confitendum. Similiter, ſi ex eo, quòd quis confiteatur, exponatur periculo mortis; vel quia maximè defatigatur, & confeſſio eſt longa; vel quia inſtat hoſtis, non tenetur facere

Digitized by Google

cere confeſſionem integram. Cujus alia ratio non eſt, niſi quia præceptum de confitendo, & dè integritate confeſſionis, eſt præceptum Divinùm poſitivum: ergò metus gravis, cujusmodi eſt metus mortis, excuſat ab impletione præcepti Divini poſitivi.

24. ℞. Ultimò; præcepta poſitiva humana ſive Eccleſiaſtica ſint, ſivè ſæcularia non ita obligant, quia quandoque ex circumſtantijs, præcipuè ex metu gravi, deſinant obligare; atque adeo tunc facere oppoſitum, non eſt facere contrà præceptum *formaliter*, ſed *materialiter*, & per conſequens non eſt peccatum. Ita quo ad hanc & præcedentes reſponſiones ferè communis DD. contrà Cajetanum, & quosdam alios aſſerentes nunquam licitum eſſe, agere contrà id, quod prohibetur lege aliquâ poſitivâ Divinâ, vel humanâ.

hic 4. 4. Probatur reſpons. ex duabus præcedentibus. Quòd ſi enim præceptum naturale affirmativum, & præceptum Divinum poſitivum quodcunque, non ita obligent; quia accedente gravi circumſtantiâ, vel periculo deſinunt obligare, ergò multò minus ita obligabit lex humana, quæ utique minoris Authoritatis eſt, quàm naturale affirmativum, & poſitivum Divinum quodcunque.

Confirmatur. Lex humana ordinatur ad bonum communitatis, & particularium; ſed ſi lex humana vellet obligare etiam cum periculo vitæ, caſu quo non penderet bonum commune (de quo eſt alia ratio) tunc ea non eſſet in bonum, ſed in perniciem omnium; ergò ea non ſic obligat. m. Probatur. Quia reſpubl: non eſt Domina vitæ civium, ut pòſſit eam pro libitu exponere

pro

pro quolibet mandato, ſed ſolùm tunc, cùm jus naturale id dictat; vg. quando bonum commune periclitatur, tunc enim ex lege naturali bonum coṁune anteponendum eſt privato; atqui ex hoc ſequitur, quòd non poſſit imponere pænam mortis, niſi ubi defecit homo ab obligatione naturali. Sed tamen

25. *Notandum eſt* circa hanc, & præcedentes concluſiones, quod ſi metus ad transgrediendam legem incutiatur in contemptum fidei, vel Eccleſiæ imponentis talem legem, vel cenſuram, aut ad perſuadendum, quòd nulla ſit lex Eccleſiaſtica, vel ſimilis, quæ obligat in conſcientiâ, tunc non licet agere contrà legem abſque graviſſimo peccato; non quia lex poſitiva ſe ſolâ obliget tunc cum periculo vitæ, ſed quia tunc currit præceptum naturale Divinum de colendâ, & non contemnendâ Chriſtianâ Religione, & præceptum confirmationis fidei, cùm in ejus detrimentum intendatur violatio legis in caſu poſito. ſic ferme omnes. Hinc quoque non obſcurè

Colliges; quòd metus juſtè incuſſus nunquam excuſet à peccato. Cujus ratio eſt; quia metus non excuſat à peccato, niſi quando tollitur, vel ſuſpenditur obligatio legis; ſed quandò metus juſtè incutitur, non tollitur, nec ſuſpenditur legis obligatio; undè ſi Judex, vel ſuperior te legitimè interroget de crimine, etſi ex ejus confeſſione mortem metuas, non excuſaris, ſi id reticeas. Ergò &c.

Dubium 3.

Utrum, quod cauſatur ex concupiſcentiâ, ſit involuntarium?

Reſpondeo.

Quod cauſatur ex concupiſcentiâ, quâ tali, *nullo modo eſt*

hic q. 6. a. 7. *involuntarium.* Ita cum S: D. communis DD. Eſt contrâ illos, qui exiſtimârunt, concupiſcentiam cauſare involuntarium non *ſimpliciter* & abſolutè, ſed *ſecundùm quid*, in quantùm actus ex concupiſcentiâ proveniens, licet *ſimpliciter*, & abſolutè ſit voluntarius, tamen ſecundùm aliquam rationem, atque adeo *ſecundùm quid*, eſt involuntarius, proindeq; mixtus ex voluntario, & involuntario, eo ferè modo, quo in præcedentibus dicimus, ea quæ fiũt ex metu, mixta eſſe ex volũtario & involuntario. Ita cum quibusdam aliis habet Angeſtus in ſuis moralibus *c. 3. in annotat circa textum 5.*

26. Explico. Concupiſcentia eſt paſſio; ſeu vehemens affectus, vel motus appetitûs ſenſitivi, mouens & inclinans voluntatem ad aliquid amplectendum. Quamvis autem concupiſcentia propriè loquendo tantùm importet actum partis, ſeu appetitûs *concupiſcibilis*, cujuſmodi ſunt Vg. amor, deſiderium, ſpes, voluptas &c. in præſenti tamen eam ſumimus pro quocunque motu appetitûs, etiam *iraſcibilis*, velut ſunt audacia, ira, indignatio &c. cujus ratio eſt, quia uterq; appetitus habet eundem modum movendi voluntatem, & conſequenter cauſandi voluntarium, exceptâ paſſione metûs, cui adjungi ſolent odium, deſperatio, triſtitia, quæ quo ad rationem diminuendi voluntarium conveniunt cum metu, qui in hoc diſtinquitur ab omni aliâ paſſione, proveniente à concupiſcentiâ, quòd juxta dicta metus ordinariè cauſet actum mixtum, cæterarum autem paſſionum actus non cauſent talem actum ex voluntario, & involuntario compoſitum Quare in propoſito nomine concupiſcentiæ veniunt omnes paſſionum actus, excepto timore, & illis, quæ metui adjunguntur.

27. Cæ-

27. Cæterùm ſub hác acceptione, ut obſervat S. Th. concupiſcentia, ſeu quælibet paſſio appetitûs ſenſitivi triplex eſt, *antecedens* una, *conſequens* alia, & alia *concomitans* voluntatem. *Antecedens* eſt, quæ eſt cauſa vel occaſio effectûs voluntarij, atq; adeo, quæ præcedit actũ voluntatis; vg. cùm viſo pulchro & per intellectum voluntati repræſentato objecto, accenditur libido, vel delectatio circà illud. Concupiſcentia *conſequens* eſt, quæ ſubſequitur actum voluntatis & ab illo, ut causâ morali procedit; vg. quando ex objecti pulchri viſione appetitus accenditur in ejus libidinem, aut delectationẽ; non enim poteſt voluntas intensè in aliquid moveri, quin excutiatur aliqua paſſio in appetitu ſenſitivo; propterea quòd motus ſuperiorum viriũ, ſi vehementes ſint, redundent in inferiores. Dixi. Concupiſcentiam *conſequentem* procedere à voluntate, ut à cauſa *morali*; quia non ſufficit, quòd ab eâ, vel actu illius proveniat, tanquam à causâ phyſicâ; ut ſit *conſequens*; vg. ſi quis diſputans de venereis, vel confeſſiones audiens ex tali materiâ, nolens in ſe excitet paſſionem appetitûs, talis paſſio, etſi quidem phyſicè proveniat ab actu voluntario, & libero tractandi tales materias, non tamen reputatur *moralis*, ſed omninò accidentaria; quia actus ille, cùm non ordinetur ad libidinem, ſed potiùs ſit pius & honeſtus, idcircò *moraliter* non cenſetur cauſa turpis motûs in appetitu, velut eſſet, ſi voluntas materias ejusmodi admitteret ex libidine. His nòn obſtantibus fieri poteſt, ut licet concupiſcentia hæc *conſequenter* ſe habeat ad unum actum voluntatis, adeoque in eum non influat, neque cauſet voluntarium, poſſit tamen antece- hic q. 77. a. 6.

antecedere alium actum, & eſſe illius cauſa; immò verò etiam poſſit eſſe cauſa perſeverantiæ ejusdem actûs vel operis, quamvis non fuerit cauſa primæ illius productionis. Concupiſcentia *concomitans* eſt illa, quæ neque cauſa eſt, neque effectus reſpectu actûs voluntatis, ſed *per accidens* conjungitur cum illo; vg. ſi in audiente confeſſionem fæminæ inſurgat paſſio libidinis; talis paſſio non eſt cauſa voluntatis audiendi confeſſionem; alioquin enim ſi ob hanc cauſam audiret, foret *antecedens*; neque eſt effectus ejus; aliàs ſi procederet ut effectus à voluntate audiendi confeſſionem, eſſet *conſequens*.

In præſenti igitur S. Do: ſolùm loquitur de concupiſcentiâ *antecedente*, hæc enim ſola poteſt eſſe cauſa voluntarij, vel involuntarij; *conſequens* namque cùm ſupponat actum, nequit in eo cauſare rationem voluntarij, aut involuntarij, nihilominus ea ſignum eſſe ſolet actûs voluntarij, caſu quo ſcilicet, eſt *moralis* ejus effectus. Concupiſcentia autem nullum ordinem dicit ad actum, cùm *per accidens* duntaxat conjungatur cum illo. Jam

28. Probatur Concluſ. 1. Authorit. nam Concluſionem noſtram habet Ariſtoteles, Gregorius Niſſenus, S. Damaſc, S. Thom. Buridanus. Azor &c.

3. Ethicor. c. 1. lib. 5. Philoſoph. c. 1. & 3. lib. 2. de fide cap. 24. hic, & 22. q. 142. a. 1. lib. 3. Ethic. c. 1. lib. 1. ſumma c. 17. dub. 1.

Probatur 2. ratione S. Thomæ ⊙ hujus artic. quæ talis eſt; id, per quod voluntas magis fertur in obiectum, non cauſat involuntarium, ſed voluntarium; ſed per concupiſcentiam voluntas magis fertur in id, quod concupiſcit. Ergò concupiſcentia non cauſat involuntarium ſed voluntarium. m. patet. M. autem probatur; quia voluntarium inde dicitur, quod voluntas in id

id feratur, involuntarium verò ex eo, quòd voluntas in id, vel non feratur, ſed fugiat, vel ab illo retardetur. Ergò&c. Confirmatur concluſio ex doctrinâ S. Th. Id quod eligitur ut malum, eſt aliquo ſaltem modo involuntarium, & quod eligitur ut bonum, eſt voluntarium. Sed hæc eſt differentia inter metum, & concupiſcentiam, quòd metûs objectum ſit malum, ut malum, concupiſcentiæ verò objectum ſit bonum, utbonum; ergò quod eligitur ex metu, eſt involuntarium aliquo modo, non verò quod eligitur ex concupiſcentiâ. Major. ponitur â S. Th. & per ſe nota eſt; Conſeq. verò probatur ex doctrinâ ejuſdem S. D. nam cùm quis operatur ex metu, eligit aliquid, quod priùs nolebat, manente tali nolitione, ſi non *formaliter*, certè *virtualiter*, eſto maneat inefficax; atq; in hoc apertè involuitur ratio involuntarii; Econtrà cùm quis operatur ex concupiſcentiâ, poteſt quidem aliquid eligere, quod priùs nolebat, ita tamen ut mox ceſſet nolleitas illa, quin vel *formaliter*, vel *virtualiter* remaneat; ergò non manet ratio involuntarii. Minor verò in quâ eſt difficultas, probatur ex diverſitate obiecti jucundi concupiſcentiæ, quod tollit acerbitatem, & nolitionem medii; & odioſi timoris, quod non tollit ômnino acerbitatem, & nolitionem medii. Confirmatur amplius præcedens argumentum. Quæ fiunt ex amicitiâ, ex benevolentiâ, ex precibus, illa non cenſentur involuntaria, ſicut cenſentur ea, quæ fiunt ex metu; ergò nec ea, quæ fiunt ex concupiſcentiâ. Conſeq. patet; quia ſicut in prædictis bonum eſt, quod mouet, & non imminens malum, ſicut in metu, ſic in concupiſcentiâ bonum eſt, jucun-

hic in ſolut. ad 1. & 2.

hic ſolut. ad 1.

Digitized by Google

Patres hanc rem ignoráſse, conſequens eſt, quòd eorundem dicta juxtà hujus veritatis intelligentiam ſint intelligenda, & exponenda; maximè quia contextus, & eorum modus loquendi non repugnat, cùm ipſi utantur propoſitione indefinitâ; de cujus ratione non eſt, ut univerſaliter verificetur, ut patet in hoc: *homo eſt albus*: quæ vera eſt, Æthiopibus nigris exiſtentibus Sed.

30. *Dices*; unde igitur ſcire poſſumus, quando concupiſcentia excludat omnem rationem involuntarii, & admittat involuntarium *ſecundùm quid?*

℟. Etſi per ſe loquendo, & quantùm eſt ex concupiſcentiâ, hæc ſemper excludat omnem rationem involuntarii (& ſic intelligenda eſt doctrina Ariſtot. & Patrum) *per accidens* tamen etiam contrarium contingere poteſt, vg. quando in medio electo. concupiſcentia ex alio affectu tantam invenit acerbitatem & repugnantiam, ut eam totaliter vincere nequeat. Tali enim caſu, quamvis concupiſcentiâ *ſimpliciter* vincat (operatur enim, ut ſupponimus, ex concupiſcentiâ, ſicq; actus eſt ſimpliciter voluntarius) remanet tamen aliqua inefficax renitentia, quâ appetitus id nollet; & ſic manet ratio involuntarii *ſecundùm quid.*

Probatur, & explicatur reſpons. Quemadmòdum enim ardor ex propriâ ratione calefacit, & quidem expellit omnem frigiditatem, *per accidens* tamen ſæpè contingit aut ex debilitate caloris, aut quòd frigiditas ſit in propriò ſubjecto, ut in aquâ, ut calore non omninò expellatur frigiditas, ſed remaneat aliquo modo mixtum ex calore & frigiditate, velut patet in omni tepido; & tamen rectè dicimus, quod calor faciat calidum, & *ex ſe*

Digitized by Google

omnem expellat frigiditatem. Pari ſane ratione rectè dicunt Ariſtot. & citt. Patres, quòd licet concupiſcentia, quantùm eſt *ex ſe*, expellat omnem quidem nolleitatem, & rationem involuntarij, quia hoc expoſcit natura, & ſuavitas ejus objecti; *per accidens* tamen fieri poſſit quandóque, vel ex debilitate ipſius concupiſcentiæ, vel ex nimio affectu appetitûs ad contrarium illius medij, quod concupiſcentia aſſumit, ut remaneat contraria aliqua nolleitas, & ratio involuntarij. Ergò. Et hoc, non verò plus demonſtrant argumenta, quæ huc in contrarium adferri poſſent. Unde facilè patet, nunquam abſque diſtinctione concedendum eſſe, quòd actus voluntatis per concupiſcentiam aliquo modo fiat involuntarius, niſi modo jam explicato. Sed contrà hæc.

31. *Dices*; qui operatur cum triſtitiâ, & dolore, operatur ſicut ille, qui operatur cum metu; ſed qui operatur ex concupiſcentiâ, & amore, operatur cum triſtitiâ & dolore; qui enim vg. operatur ex turpi amore, cogitur noctes ducere inſomnes; ſimiliter, qui ex deſiderio litterarũ incumbit ſtudio; vel lucri gratiâ inſtituit iter periculoſum &c. dolet ſub gravi jugo periculorum, & laborum; ergò qui operatur ex concupiſcentiâ, operatur ſimiliter, ſicut qui operatur ex metu; ſed qui operatur ex metu, operatur *ſecundùm quid* involuntariè, ergò & iſte.

℞. Nos, ut jam patet, non negare, eum qui operatur ex concupiſcentiâ, poſſe quandóque etiam habere renitentiam aliquam, & dolorem ob jacturam boni oppoſiti; ſed dicimus, illam eſſe triſtitiam non *abſolutè* & *ſimpliciter*, ſed ſolùm *ſecundùm quid*; econtrà verò eum, qui operatur ex metu majoris mali, ſemper operari cum reni-

tentiâ

tentiâ, & dolore *ſimplici* & abſoluto, licet *inefficaci.* Patet res hoc exemplo: parentes vg. filium quem mittunt ad exteras provincias, ut his luſtratis, fiat tantò gratior Principi ſuo, mittunt illum ex concupiſcentiâ, & deſiderio illius, id eſt, majoris promotionis, ſed tamen mittunt cum triſtitiâ aliquâ, & dolore ob abſentiam filii, cujus doloris indices ſunt lacrymæ, quas fundunt in diſceſſu filij; ſed dolor iſte, & triſtitia hæc non eſt *abſoluta*, ſed *ſecundùm quid;* dolor enim *abſolutus eſt*, quo ita dolemus, ut ſi eſſet in noſtrâ poteſtate, vellemus aufferre cauſam doloris, & manere ſicut anteà; at verò parentes illi datâ etiam optione, nollent aufferre cauſam ſui doloris & luctûs; ergo non habent dolorem, & triſtitiam *abſolutam*, ſed per modũ duntaxat ſimplicis nolleitatis. At verò qui ex metu mortis projicit merces, habet triſtitiam & dolorem *abſolutum*, quia ſi poſſet, vellet omninò aufferre cauſam ſui doloris, puta, projectionem mercium, & manère ut anteà. Unde abſolutè dolet, qui cogitur ad jacturã aliquam ſubeundam, quam vitare non poteſt. Similiter, qui comparat artem laborioſam; qui ex amore turpi vigilat, ſentit quidem dolorem aliquem; non tamen *abſolutum*, cùm nolit carere bono illo doctrinæ, delectationis, &c. & manere ſicut anteà; atque adeo magis gaudet de obtento lucro, delectatione, doctrinâ &c. quàm doleat de jacturâ pretij, difficultate laboris &c.

Quæres; utrum amor, odium, audacia, ira &c, quatenus actum voluntatis antecedunt, in tantùm voluntatem excitent, ut voluntas non cum tantâ, vel majori perfectione, ad voluntarium pertinente ſuum actum eliciat. Sive ut alij

Digitized by Google

quærunt; *utrum concupiſcentia augeat, vel minuat voluntarium?* Pro hujus reſolutione

32. *Notandum eſt*; Non idem eſt dicere, *tollere voluntarium*, & *minuere voluntarium*; tollere enim voluntarium eſt facere, quòd eſſentia voluntarij non maneat, quod non verificatur in eo, quod eſt *minuere voluntarium*; quia minuere voluntarium eſt facere, quòd manente eſſentiâ voluntarii, aliquid de ejus perfectione dematur; quemadmodum etiam â contrario augere eſt facere, quòd ejus perfectio augeatur.

Notandum 2. de quo jam ſuprà, voluntarium dividi in *perfectum & imperfectum*: *perfectum* convenit ſoli naturæ intellectuali, agenti modo ſibi proprio; id eſt, cum cognitione finis; & circumſtantiarum. *Imperfectum* verò convenit cuivis naturæ cognoſcitivæ, agenti cum cognitione, ſed non perfectâ. Voluntarium perfectum ſubdividitur in *liberum & neceſſarium*. *Liberum* importat, quòd ſit â principio intrinſeco cum cognitione finis, & circumſtantiarum, ita ut illud principium intrinſecum, ſcilicet voluntas, ex vi talis cognitionis maneat indifferens in ordine ad ſuum actum. Voluntarium autem perfectum *neceſſarium* importat, quod ſit à principio intrinſeco, ſcil. voluntate cum perfectâ cognitione finis, & circumſtantiarum, ita tamen, ut voluntas ex vi talis cognitionis maneat determinata ad ſuum actum. Ad voluntarium porrò *imperfectum*, quod convenit homini, & de quo agimus in præſenti, ſufficit, quòd ſit à principio intrinſeco (voluntate) cum cognitione objecti ſeu finis, *materialiter* conſiderati. Nunc ad quæſtionem.

hoc c. §. 1 concl. 2. & 3.

33. R.

33. ℞. Concupiſcentia *antecedens*, non minuit tantùm, ſed & tollit aliquandò voluntarium perfectum, quatenùs comprehendit voluntariũ, tam *liberum*, quàm *neceſſarium*; econtrà verò in tantùm non minuit, aut tollit voluntarium imperfectum, ut potiùs illud augeat quantùm *ad intenſionem*. Ita communiter Thomiſtæ cum S. D. Angel. maximè verò Martinez, Cornejo, Curiel, & plures alii. *hoc articulo. hic dub. 1. concl. 1. & 2. diſput. 4. dub. 2. concl. 1. & 2. dub. 15. & 3. concl. 1. & 2.*

Probatur 1. p. reſpons. de ratione *perfecti* voluntarii eſt, ut ſit â principio intrinſeco cum perfectâ cognitione finis & circumſtantiarum; atqui concupiſcentia poteſt minuere, imò & tollere hanc perfectam cognitionem finis & circumſtantiarum, velut quotidiè experimur; experimur enim paſſione obſcurari intellectum in tantùm, ut ad plures ſæpè operis circunſtantias non advertat, ad quas tamen advertit, transactâ paſſione; quo ſimul fit, ut eorũ poſtmodùm, quæ durante paſſione egimus, ſeriò nos pœniteat; imò conſtat ex vehementiori paulò paſſione aliquorum rationis uſum eatenùs abſorberi, ut quóque amentes reddantur, itáque careant omni cognitione finis, & circumſtantiarum, requiſitâ ad voluntariũ *perfectum*, prout comprehendit tam *liberum*, quàm *neceſſarium*. Ergò concupiſcentia *antecedens*, in tantùm minuit voluntarium perfectum, ut illud inſuper aliquando tollat.

Probatur 2. p. ad rationem voluntarij imperfecti requiritur, & ſufficit, quòd ſit â principio intrinſeco cum cognitione præviâ objecti, velut conſtat ex ſuprà dictis; ſed concupiſcentia *antecedens* non poteſt tollere ab actu voluntatis, quin is ſit à principio intrinſeco, voluntate; immò concupiſcentia potiùs movet voluntatem ad operandum; nec poteſt tollere, quin talem actum voluntatis

præ-

Digitized by Google

præcedat obiecti cognitio, cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum; Ergò concupiſcentia *antecedens* non tollit voluntarium imperfectum.

Probatur etiam 3. p. quia quod ex unâ parte non minuit cognitionem, ad voluntarium *imperfectum* requiſitam; & ex alia parte non retardat voluntatem à ſuo actu, ſed potiùs movet illam ad actum, & incitat, ut cum majori conatu, & fervore tendat ad objectum concupitum, id eatenùs non minuit voluntarium *imperfectum*, ut iſtud potiùs augeat, quantùm ad intenſionem; atqui concupiſcentia *antecedens* hæc præſtat reſpectu intellectûs, & voluntatis. Ergò &c.

Dubium 4.

Utrum ignorantia cauſet involuntarium?

Reſpondeo.

Ignorantia antecedens *facit actum ſimpliciter involuntarium*; conſequens *verò cauſat involuntarium* ſecundùm quid; & concomitans *tandem nec voluntarium, nec involuntarium, ſed non voluntarium.* Ita expreſsè S. Th. & cum eo communiter ejus diſcipuli, & alij. *1.2.q.6.a.8.*

34. Explico. Ignorantia quoad præſens nihil eſt aliud, quàm carentia ſcientiæ debitæ in ſubjecto ad eam habendam apto. Dico: *debita*; vel debito *naturali* ratione aptitudinis naturalis; vel *morali* ratione præcepti ad habendam ſcientiam: Quòd ſi verò ignorantia nullum etiam debitum in ſubjecto ſupponat, vocatur *puræ negationis*, ſeu neſcientia; ſi porrò ſit poſitiva quædam deceptio, & contrarius veritati error, dicitur *pravæ diſpoſitionis*, cujusmodi error, ſeu ignorantia eſt, quam habent hæretici in Myſteriis fidei. Dividitur inſuper ignorantia in eam,

quæ

quæ removet ſcientiam habitualem; & in eam, quæ privat actuali advertentiâ ad rem, quæ jam ſciebatur; illa vocatur ignorantia *habitualis*, hæc *actualis*. Rurſum ignorantia alia eſt *juris*, & alia *facti*. Prior eſt, quando ignoratur ſtatutum, Lex, aut præceptum, tum humanum, tum etiam divinum, ſive *naturale*, ſive *poſitivum*; ut ſi neſciam, percuſſionem Clerici ab Eccleſiâ eſſe ſpecialiter prohibitam. Poſterior, ſeu ignorantia *facti* eſt, quando quis quidem habet notitiam, & ſcientiam legis, ſeu præcepti, ignorat tamen ipſam rem, vel aliquam illius circumſtantiam; ut ſi quis ſciat equidem, die Veneris non eſſe comedendas carnes, attamen neſciat, diem illum, quo veſcitur carnibus, eſſe diem Veneris.

35. Tres hæ ignorantiæ diviſiones, etſi ad hunc locum propriè non ſpectent, nihilominùs ad pleniorem materiæ hujus cognitionem hîc eas placuit adijcere. ſpectat verò propriè huc ea ignorantiæ diviſio, quâ dividitur in *antecedentem*, *conſequentem*, & *concomitantem*. Ignorantia *antecedens* eſt, quæ antecedit actum voluntatis, ſeu operis, tanquam ſuo modo cauſa illius (inquantum ſcil. tale opus non fieret, ſi ignorantia abeſſet) ita ut nullum alium voluntatis actum præſupponat, per quem ſit volita, aut inducta *implicitè*, vel *explicitè*, *directè*, vel *indirectè*; cùm alioquin *antecedens* non eſſet. Claret res exemplo: ignorat quiſpiam circumſtantiam aliquam, quam nec poterat, nec tenebatur ſcire, & ex hâc ignorantiâ prorumpit ad aliquid agendum, v.g. ad emittendam ſagittam, aliàs non emiſſurus, ſi ſciviſſet, hominem hinc tranſiturum, quia verò adhibitâ omni debitâ diligentiâ neſciens hominem tranſire, ſagittam

Digitized by Google

emittit, ipsáque emiſſione ſuâ interficit transeuntem; talem ſagittarium dicimus, interfeciſſe transeuntem ex ignorantiâ antecedente. Dixi autem in deſcriptione ignorantiæ hujus, quòd ſit ſuo modo cauſa voluntatis operis; quia ut benè obſervat *Martinus de Esparza*, *hic q. 10. a. 5.* cùm dicimus, ignorantiam eſſe cauſam actûs, non debet intelligi, quod cauſet *poſitivè* (hoc enim, cùm formaliter ſit quoddam non ens, non poteſt) ſed quaſi *negativè*, tanquam removens prohibens, quatenus *formaliter* removet cognitionem illam, quæ ſi adeſſet, excluderet *operationem* voluntatis, quæ de facto datur. Ignorantia *conſequens* eſt, quæ ſic dicitur, non quòd ſequatur rem jam factam, ſed quia ex aliquâ aliâ volitione oritur, per quam ſcil non vult inquirere; quòd ſi magna in hoc ſit negligentia; vocatur ignorantia *craſſa*, vel *ſupina*; utpote ad quam vincendam, nulla vel modica cura adhibetur; ut cùm quis non interrogans, cùm facilè poſſet, ac deberet, de quibusdam circumſtantijs actionem malam facit, violat vg. jejunium, non interrogans de diebus jejunij, cùm tamen ſuſpicetur, dies illos appropinquare. Quòd ſi porrò ad vincendam hanc ignorantiam aliqua quidem diligentia adhibita eſt, non tamen ſufficiens, puta, talis, qualem vir prudens in tali caſu conſideratâ rei gravitate, vel periculi magnitudine adhiberet, dicetur ignorantia non *craſſa*. Quòd ſi tandem eo animo inquiſitionem omittit, ne ſciat tempus jejunii, vocatur ignorantia *affectata*. Ignorantia *concomitans* eſt, quæ opus, ſeu volitionem concomitatur, ita tamen, ut etſi abeſſet, opus tamen fieret; ut cùm quis, inquit S. Tho., exiſtimans, tali loco latere

latere feram, emittit ſagittam, & occidit inimicum, quam tamen actionem non minùs exerceret, ſi ſciret, illic eſſe inimicum; hæc proinde ignorantia vocatur *concomitans*, quia nullo modo influit in actionem.

36. Ad has ignorantiæ diviſiones reducuntur aliæ, ut ignorantia *voluntaria*, & *involuntaria*, *culpabilis*, & *inculpabilis*, *vincibilis*, & *invincibilis*, & ſimiles Hæ, inquam, omnes ignorantiæ ſub aliquâ ex præcedentibus, *antecedente* ſcil. *conſequente*, vel *concomitante*, *ſupinâ*, vel *affectatâ* continentur. *Vincibilis* eſt, quæ adhibitâ debitâ diligentiâ debuit, ac potuit ſuperari, & idcirco culpata, improbabilis, & injuſta dicitur. *Invincibilis*, quæ & *juſta*, *inculpata*, & *probabilis* vocatur, eſt, quando vel nulla prorsùs cogitatio, vel dubium de oppoſito in mentem venit, vel licet venerit, adhibitâ tamen debitâ diligentiâ morali nec tolli potuit, nec ſuperari. Jam.

Probatur 1. p. Concl. quod procedit à voluntate contrà ejus inclinationem, & absque cognitione, eſt *ſimpliciter* involuntarium; ſed id, quod fit ex ignorantiâ antecedente, procedit ſine cognitione, fitque contrà inclinationem virtualem ipſius voluntatis, quia adveniente cognitione, pænitet feciſſe nos, quod fecimus; ergo quod fit ex ignorantiâ antecedente, eſt ſimpliciter involuntarium.

37. *Dices*; poſitâ ignorantiâ antecedente, quicunque actus voluntatis (ſive *elicitus*, ſive *imperatus*) ſemper procedit ab intrinſeco, ſcil. à voluntate, & à præviâ cognitione, quia nihil volitum, quin præcognitum; talis autem actus non eſt *ſimpliciter* involuntarius; actus ergò qui procedit ex ignorantiâ antecedente, non fit *ſimpliciter*

Digitized by Google

involuntarius. ℟. in actu voluntatis quocunque, qui fit cum ignorantiâ antecedente, debere diſtingui id, *quod fit cum cognitione*, & id, *quod fit cum ignorantiâ* antecedente; nam ex unâ parte nihil fit à voluntate, quin adſit aliqua cognitio; quia nihil volitum, quin præcognitum; ex aliâ verò parte certum eſt, quòd actibus voluntatis ſæpè admiſceatur ignorantia *antecedens*; ut cùm quis furatur rem alienam, invincibiliter ignorans, eſſe rem ſacram, cum hac animi diſpoſitione, quod nullo pacto vellet furari rem ſacram; hic cognoſcit ſuam operationem eſſe furtum, ſed ignorat, eſſe ſacrilegium. Dicimus ergò in præſenti, quòd *operatio* hæc, quatenus eſt ſacrilegium, ut procedit ex ignorantiâ antecedente, ſit *ſimpliciter* involuntaria, quia fit ſine cognitione talis circumſtantiæ, & contrà affectum ſeu inclinationem voluntatis; etſi ſit voluntaria, ſecundùm quod ea eſt furtum, & procedit ex cognitione præviâ. Quare in formâ

℟. diſt. M. etiam poſitâ ignorantiâ *antecedente*, quicunque actus voluntatis procedit ab intrinſeco, & præviâ cognitione, quatenus actus hic conſideratur *quò ad ſubſtantiam* & aliunde eſt, concedo M; quatenus eſt ex ignorantiâ *antecedente*, nego M. & conceſsâ m. eodem modo diſtincto conſequente, negatur conſequentia; licet enim omnis actus voluntatis procedat ab intrinſeco, & cum præviâ aliquâ cognitione, tamen etiam in eodem actu eſt aliquando ratio aliqua conſequens ignorantiam *antecedentem*, ut oſtendi in furto ſacrilego; & hæc ratio eſt ſimpliciter involuntaria in actu, quamvis actus furti quo ad ſubſtantiam ſit voluntarius.

38. Proba-

38. Probatur 2. p. concl. Ignorantia *conſequens* eſt voluntaria vel *directè*, vel *indirectè*; *directè* quidem, quando actus voluntatis per ſe fertur in ignorantiam, ut cùm quis vult ignorare, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut à peccando non retrahatur; juxta id; *ſcientiam viarum tuarum nolumus*; *indirectè* verò, quando quis ignorantiam poſſet, ac deberet deponere; ergò actus voluntatis, qui ad eam ſequitur eſt voluntarius, & per conſequens non involuntarius; quia tamen ignorantia *conſequens* excludit actualem cognitionem, ſeu conſiderationem alicujus circumſtantiæ actûs, ratione cujus talis actus fit, qui fortè aliàs non fieret, ut cùm quis culpabiliter ignorans eſſe diem jejunij, comedit carnes, non comeſturus, ſi ſciret eſſe diem jejunii, inde fit, ut actus voluntatis, qui ab eo procedit, ſit involuntarius, quatenus ſcil. id, quod fit, eſt contrà inclinationem voluntatis, vel ſaltem præter illam, & abſque actuali cognitione. Jam ſic; actus, qui eſt voluntarius, nequit eſſe *ſimpliciter* involũtarius; atqui actus, qui ſequitur ad ignorantiam *conſequentem*, ut viſum eſt, ex unâ parte eſt voluntarius; ergò is nequit eſſe *ſimpliciter* involuntarius. Et rurſus; actus, qui fit defectu actualis conſiderationis ad aliquam circumſtantiam actûs, & fortè non fieret, ſi actualis conſideratio adforet, & ignorantia abeſſet, eſt involuntarius *ſecundùm quid*; atqui actus, qui ſequitur ad ignorantiam *conſequentem*, eſt hujuſmodi; ergò &c. Iob. 21.

Dices. Illud eſt *ſimpliciter* involuntarium, quod fit *ſimpliciter* repugnante voluntate; ſed quod fit cum ignorantiâ *conſequente*, fit repugnante *ſimpliciter* volun-

 tate

Digitized by Google

tate (quia videmus, quod ſi quis ex ignorantiâ craſsâ occidit inimicum, credens eſſe feram, doleat ſe occidiſſe, quod indicat, talem occiſionem eſſe contrà inclinationem voluntatis) ergò actus; qui ſequitur ad ignorantiam *conſequentem*, fit *ſimpliciter* involuntarius.

℟. Conceſsâ M. negando m. quia quod fit ex ignorantiâ *conſequente*, non fit *ſimpliciter* repugnante voluntate, ſed tantùm repugnante *ſecundùm quid*, quia ſi ſimpliciter repugnaret, adhiberet diligentiam ſufficientem ad excludendam ignorantiam, & ad impediendum, ne fieret, quam tamen non adhibet. Quòd verò operans poſtea doleat, hoc provenit ex novo aliquo motivo, & tantùm indicat, quòd non ſit factum omninò voluntariè, non verò indicat, quòd ſit factum *ſimpliciter* involuntariè. Pro 3. p. concl.

39. *Notandum* eſt, quòd involuntarium, & non voluntarium opponantur ad invicem, ſicut *privativum*, & *negativum*; unde involuntarium propriè dicitur de actu, qui debet eſſe voluntarius, nam privatio eſt carentia formæ, quæ deberet ineſſe ſubjecto; non voluntarium autem dici poteſt de quocùnque, etſi non debeat eſſe voluntarius; atque ideo involuntarium importat, quòd ſit repugnans voluntati, non voluntarium autem non dicit hanc repugnantiam, ſed puram negationem voluntarij. Jam

Probatur 3. p. concl. actus, qui nec eſt voluntarius, nec involuntarius, eſt non voluntarius, ut de ſe patet; atqui actus qui fit cum ignorantiâ *concomitante*, nec eſt voluntarius, nec involuntarius; ergò &c. m. probo, ignorantia *concomitans* eſt, quando eſt ignorantia de eo quod

quod quis agit, ita tamen, ut etiamſi ſciret, nihilominus ageret; veluti dum quis occidit hoſtem, putans eſſe cervum, ita tamen ut licet ſciret eum eſſe hoſtem, nihilominùs vellet occidere; ſed actus, qui hanc ignorantiam ſequitur, nec eſt voluntarius, quia voluntarium non eſt niſi ex cognitione; ſed neque eſt involuntarius, quià occiſor eſt ejus diſpoſitionis & animi, ut tamen occideret hoſtem, ſi eundem cognoſceret, & per conſequens actus non eſt contrà occiſoris inclinationem, quod tamen requiritur ad involuntarium. Ergò actus, qui ſequitur ad ignorantiam *concomitantem*, nec eſt voluntarius, nec involuntarius; ergò eſt non voluntarius.

Dices. Ignorantia, quæ nec *directè*, nec *indirectè* influit in homicidium, non eſt illius cauſa; ſed ignorantia *concomitans* nullo modo influit in illud homicidium, quia eodem modo poneretur actio occiſionis, etiamſi ignorantia abeſſet; ergò nequit eſſe cauſa illius homicidij. Jam ſic; ignorantia, quæ nullo modo cauſat homicidium, non rectè dicitur cauſare non voluntarium, ſed potiùs dici deberet, non cauſare voluntarium; atqui ex dictis patet, ignorantiam *concomitantem* nullo modo cauſare homicidium; ergò dici nequit, quòd ea cauſet non voluntarium, ſed quòd non cauſet voluntarium.

℞ Permiſſo in ſenſu mox inſinuando toto priori diſcurſu, negando poſterioris argumenti majorem; quia quando dicimus, ignorantiam *concomitantem* cauſare non voluntarium, non eſt ſenſus; quaſi cauſet entitatem illius actionis; ſed ſolùm, quòd cauſet illam in ratione

ratione non voluntariæ, volo dicere; ignorantia *concomitans* non eſt cauſa emiſſionis ſagittæ, ſed eſt cauſa, ut emiſſio illa, quæ aliunde fit, non ſit voluntaria in ratione homicidii, cùm ſine cognitione, & aliis requiſitis nullum dari poſſit voluntarium. Sed ad pleniorem de ignorantiâ, ejusque diviſione in *antecedentem, conſequentem, & concomitantem*, elucidationem,

40. Quæres (1.) In *quonam conſiſtat dicta ignorantia concomitantia, ſubſequentia, & antecedentia?*

Notandum, poſſe rem unam antecedere aliam, vel illam ſubſequi, aut comitari dupliciter; primò *duratione*, veluti dies præteritus anteceſſit hodiernum, & craſtinus ſubſequetur; quæ verò hodie fiunt, concomitantur cum die hodierno; ſecundò *cauſalitate* & *naturâ*; quâ ratione licet aliqua ſint ſimul in eodem inſtanti, tamen cauſa prior eſt ſuo effectu, & effectus eſt poſterior causâ; ſed quod neque cauſa eſt, neque effectus, dicitur concomitari; vg. priùs naturâ eſt, quòd Petrus ſit cytharædus, & poſterius, quòd cytharizet; quia cytharædus eſt cauſa, cytharizatio autem effectus; quòd verò cytharœdus ſit albus, vel Philoſophus, neque eſt prius, neque poſterius, ſed reperitur ſimul concomitanter cùm cytharœdo. Cùm ergò ignorantia à S. Thomâ ponitur una *concomitans*, alia *antecedens*, & alia *ſubſequens* quæſtio modò eſt, de quâ antecedentiâ, conſequentiâ, & concomitantiâ loquatur S. D. Igitur

Reſpondeo. Prioritas, poſterioritas, ſicut & concomitantia dictæ diviſionis, non eſt ſecundùm durationem temporis, ſed ſecundùm *cauſalitatem*, & *prioritatem* naturæ. Ita S. Th. & communiter ejus expoſitores, videatur Curiel, & Martinez. *hoc artic.*

Pro

Probatur reſponſio quantùm ad hoc, quòd prædicta diviſio intelligi debeat ſecundùm prioritatem *cauſalitatis*, & *naturæ*, licet *per accidens* aliquando eſſe poſſit præcedentia durationis. Igitur omnis cauſa naturâ, & cauſalitate antecedit ſuum effectum; ſed ut ſuprà jam meminimus, ignorantia *antecedens*, ſuo modo & tanquam *removens prohibens* eſt cauſa actûs voluntatis (ideo enim aliquis facit opus, quia aliquid ignorat, quod ſi ſciret, non faceret) Ergò ignorantia *antecedens* antecedit opus, vel actum voluntatis, tanquam cauſa ſuum effectum; hæc autem antecedentia, ut patet, eſt ſecundùm *cauſalitatem*, & prioritatem *naturæ*. Ergò

§. 1. *verſic.* reſpondet *dub.* 1. §. vera tamen

Probatur reſponſio quo ad ignorantiam *conſequentem*, omnis effectus eſt poſterior *naturâ* ad ſuam cauſam; atqui ignorantia *conſequens*, reſpectu voluntatis eſt effectus (habet enim juxtà dicta *directè*, vel *indirectè* ortum à voluntate; ut cum quis vult ignorare, fortè ut liberiùs peccet; vel quatenus non conſiderat, cùm poſſet ac deberet conſiderare) ergò ignorantia conſequens naturâ & ſecundùm cauſalitatem poſterior eſt voluntate.

Probatur reſponſio quo ad ignorantiam *concomitantem*. Id rectè dicitur concomitans (adeoque ſecundùm durationem temporis nec prius, nec poſterius) quod neque eſt cauſa, nec effectus, & tamen ſimul cum actu reperitur; ſed ignorantia *concomitans* neq; eſt cauſa, neq; effectus operis, ſeu actus voluntatis, & tamē ſimul reperitur cum actu, ſeu opere volūtatis; ergò ignorantia hæc rectè dicitur *concomitans*. m. probo. illa ignorantia non eſt cauſa, vg. occiſionis, quâ ablatâ &

cognito inimico, nihilominus, imò multò magis occideretur inimicus; atqui etiam ablatâ ignorantiâ *concomitante*, & cognito inimico, multò magis occideretur inimicus, ut jam patet per dicta. Ergo hæc ignorantia non eſt cauſa volitionis. Deinde illa ignorantia neque eſt volitionis effectus, quæ nec *directè*, nec *indirectè* eſt volita; ſed ignorantia *concomitans* nec *directè* eſt volita, quia *operans* non habuit voluntatem ignorandi, neque *indirectè*, quia adhibuit ſufficientem diligentiam, ne occideret hominem. Ergò ignorantia hæc neque eſt effectus volitionis. Si hoc? Ergò ea neque eſt *antecedens*, neque *conſequens* ratione *cauſalitatis*; rectè ergò dicitur *concomitans*, id eſt, reperta cum actu voluntatis ſine anteceſſione, vel conſecutione cauſalitatis.

41. *Quæres (2.) Reſpectu cujus dicatur ignorantia* concomitans, ſubſequens, *&* antecedens?

℟. 1. Dictæ ignorantiæ non dicuntur tales per ordinem ad effectum, qui ignoranter fit, ſed per ordinem ad aliquem actum voluntatis. Ita S. Thom. cum ſuis expoſitoribus Curiel, & Martinez, Cornejo, & Caraſtâ. Et

hoc artic. ubi ſupra. tract. 4. diſp. ult. in principio §. nota primò, diſp. 2. n. 22.

Probatur. In ordine ad quod prædictæ ignorantiæ convenienter exponuntur, & verificantur, in ordine ad illud ritè dicuntur, *concomitans*, *antecedens*, & *conſequens*; ſed velut ex dicendis patebit, convenienter exponuntur, & verificantur per ordinem ad actum voluntatis, non autem per ordinem ad effectum, ab ignorante procedentem. Ergò &c.

℟. 2. Membra prædictæ viſionis non verificantur per

per ordinem ad unum numero actum, ſed per ordinem ad diverſos numero actus.

Probatur. Membra oppoſita nequeunt eidem numero actui ſimul convenire, ut de ſe patet; atqui membra dictæ diviſionis ſunt oppoſita. Ergò. m. probo quia *antecedere*, *ſubſequi*, & *concomitari*, ſeu *ſimul eſſe*, ſunt rationes naturâ ſuâ oppoſitæ, quæ eidem rei reſpectu ejusdem nequeunt convenire. Ergo &c. Accedit, quòd ignorantia ideo dicatur *antecedens*, quia eſt cauſa; & *ſubſequens*, quia eſt effectus, ſed implicat ut idem reſpectu ejusdem ſit cauſa, & effectus. Ergò implicat, ut ignorantia *antecedens*, *conſequens*, & *concomitans* conveniant eidem numero actui, ſed quando una reperitur in actu, non reperitur in actu illo alia, ſed in aliis.

42. Quæres (3) *Utrum ignorantia convenienter dividatur* in concomitantem, conſequentem, & antecedentem?

℟. Affirmativè. Ita enim Ariſtot. & S. Th. ſuper Ariſtotelem pluribus locis; quam diviſionem etiam communiter amplectuntur Expoſitores S. Th. Conradus, & Medina, Vaſq. Candidus, Lorca. &c. & *lib. 3. Ethic. c. 1. lib. 3. Ethic. lect. 3. in commentario artic. diſp. 39. c. 1. poſt initium. diſquiſt. 22. a. 3. dub. 4. in expoſitione artic.*

Probatur. quia, quatenus ignorantia conducere poteſt ad rationem voluntarij, ea tripliciter ſe habere poteſt ad actum voluntatis, quæ continet actum externum, ex ignorantiâ faciendum 1. ut cauſa; 2. ut effectus; & 3. neque ut cauſa, neque ut effectus, ſed ut accidentaliter concomitans talem actum. Ergò talis ignorantia convenienter dividitur in *antecedentem*, *conſequentem*, & *concomitantem*. Conſequentia eſt clara; antecedens verò, in quo poſſet eſſe difficultas, jam ſatis patet ex dictis.

Caput IV.

De actibus humanis in particulari.

Agentes hactenus cum S. D. Angel. de actibus humanis in Communi, deinceps diſſeremus de ijs ipſis in particulari, qui in genere ſunt octo; duo ſcil. pertinentes ad intellectum, qui ſunt conſilium & Imperium; & ſex pertinentes ad voluntatem, qui ſunt ſimplex volitio, intentio & fruitio, conſenſus, electio, & uſus. de quibus ſigillatim agendum erit eô ordine, quo de ijs agit D. Th. non autem eo ordine, quo concurrunt ad operationem. Igitur de primo actu voluntatis, qui eſt ſimplex volitio, ſit

§. 1.

De primo voluntatis actu, qui eſt ſimplex volitio.

Voluntatis vocabulum ambiguum eſt; quandoque enim ſignificat potentiam, quandoque verò actum. Sumitur hic voluntas pro actu, eóque non quolibet (nam ſicut *velle* ita & *nolle* eſt actus voluntatis) ſed pro ipſo *velle*, ſeu volitione, quâ quidpiam volumus, & proſequimur. Igitur ſit

Concluſio 1.

1. *Bonum (ſive verum, ſive apparens) ita eſt objectum ſimplicis volitionis, ut impoſſibile ſit quòd voluntas poſſit, nolle, ſeu odio habere objectum, cognitum ſub ratione boni, aut amare malum, cognitum ſub ratione mali.* Ita comuniter Theol. cum S. D. contra Nominales, ut Occam, Majorem, Almainum & alios, qui tenent, voluntatem poſſe ferri in malum

hic in corp.

malum ſub ratione mali, itáque adæquatá ejus rationem non eſſe bonum, ſed indifferens ad bonum & malum. Sed

Probatur 1. p. concl. omnis appetitus tantùm eſt boni; ſed voluntas rationalis eſt appetitus; ergò non eſt niſi boni. M. probo quia appetitus (hoc eſt, actualis apprehenſio, & volitio) eſt quædam inclinatio appetentis in aliquid; ſed nihil inclinatur in aliquid, niſi in bonum; quia ſemper inclinatur in aliquid ſibi ſimile, vel aliquo modo conveniens; id autem, quod eſt conveniens, hoc ipſo eſt bonum; ergò omnis appetitus eſt tantùm boni. Dixi autem *ſivè bonum hoc verùm ſit bonum, ſivè apparens tantùm*: quia voluntas non ſemper eſt illius, quod verè bonum eſt, ſed aliquandò etiam ejus, quod eſt tantum apparens bonum. pro quo

Notanda eſt differentia inter appetitum naturalem, ſenſitivum, & intellectualem, qui eſt voluntas; appetitus enim ut jam diximus, eſt quædam inclinatio appetentis in aliquid; omnis autem inclinatio ſequitur formam aliquam; formæ verò ad quas inclinatio conſequitur, ſunt in duplici differentiâ; quædam enim ſunt in rerũ naturâ exiſtentes, quædam verò ſunt formæ apprehenſæ ab intellectu, vel ſenſu. Inclinatio ergò; quæ ſequitur formas in rerum naturâ exiſtentes, dicitur appetitus naturalis; inclinatio verò quæ conſequitur formam apprehenſam, dicitur appetitus animalis. Jam

Probatur quod diximus; licet forma in rerum naturâ exiſtens ſemper ſit verũbonum, adeoq; appetitus naturalis ſemper ſit ejus, quod eſt verum bonum, forma tamen apprehenſa non ſemper eſt verum bonum, ſed quandoque apprehenditur aliquid ſub ratione boni, quod tamen

non eſt verè bonum;adeoq; inclinatio,quæ talem appræhenſioné ſequitur,qualis eſt voluntas,non ſemper eſt veri boni,ſed quandoq; etiam ejus,quod appræhéditur ſub ratione boni,quamvis non ſemper ſit veré bonũ.Ergò.Jam

2. Probatur 2. p. concl nimirum impoſſibile eſſe, ut voluntas poſſit nolle, ſeu odio habere objectum cognitum ſub ratione boni hoc modo; objectum voluntatis eſt bonum ſecundùm generalem rationem boni ut tamen eſt cognitum; ergò impoſſibile eſt, quod voluntas poſſit nolle, ſeu odio habere bonum cognitum ſub ratione boni; quia quælibet potentia naturaliter determinata eſt ad tendendum in ſuum objectum, ut cum ipſo uniatur, tanquam *perfectibile* cum ſuo *perfectivo*; per actum autem nolitionis, ſeu odij non ſic tendit voluntas in bonum ut ipſi uniatur, quin potiùs ab illo recedit, & à ſe reijcit. Ergò. Confirmatur hæc pars, quia ſicut ſe habet malum reſpectu actûs appetitûs, qui eſt *velle*, ſeu *proſequi*, ita ſe habet bonum reſpectu actûs ejusdem appetitûs, qui eſt *odiſſe*, ſeu *fugere*; ſed actus appetitûs, qui eſt volitio, ſeu proſecutiò non poteſt terminari ad malum *formaliter*; ergò nec actus ejusdem appetitûs, ſeu voluntatis, qui eſt odium, ſeu fuga, poteſt terminari ad bonum *formaliter*. m. conſtabit ex probatione 3. p. M. verò probatur; quia volitio & nolitio ſe habent ut acceſſus & receſſus inter hos terminos *Bonum* & *Malum*; ergò ſicuti impoſſibile eſt, quod motus acceſsûs ſeu proſecutionis terminatur ad malum, ita impoſſibile eſt, quod actus, ſeu motus fugæ & nolitionis terminetur ad bonum; aliàs non eſſent motus contrarij. Jam in ordine ad 3. p. concl.

3. Explico, quando quæritur, an voluntas poſſit ferri in

in malum, ſeu amare malum ſub ratione mali, quæſtio ſit, non ſolùm, an voluntas poſſit ferri in malum, ſeu amare malum, ſed etiam, an id amare poſſit ſub ratione mali, quia de ratione formali tendendi eſt difficultas, non autem de ſolo objecto *materiali*, quod etſi *in ſe*, & *materialiter* malum ſit, aliquâ tamen apparentiâ boni veſtiri poteſt & amari; ſicut enim in omnibus potentijs & habitibus datur formalis ratio tendendi in ſua objecta, quæ quidem ex parte objecti eſt illa ratio motiva, ſub quâ *omnia objecta* veſtiuntur, ut moveant potentiam; ſicut enim omnia objecta viſus movent potentiam viſivam ſub ratione lucidi; ex parte verò potentiæ eſt ipſa virtus, quâ poteſt elicere tales actus; ſic etiam opportet in voluntate aſſignare aliquam rationem motivam univerſalem & adæquatam, ſub quâ omnia objecta appetibilia conveniant ipſi voluntati; & de hac inquiritur, an ea ſit formalis ratio boni, an verò ratio aliqua abſtrahens à bono & malo; vel denique ratio mali reſpectu actûs proſecutionis (nam reſpectu actûs fugæ, ſeu nolitionis non eſt dubium, quin ſit malum, ſub ratione mali) hoc præmiſſo

Probatur 3. p. concluſionis ex Ariſt. qui tanquam fundamentum totius moralitatis poſuit illud principium: *bonum eſt, quod omnia appetunt.* 2. ex S. Dionyſ. quem citat S Thom. dum dicit: *bonum omnia concupiſcunt*, & malũ eſt præter voluntatem. Probatur hæc p. tertiò ratione pro 1. p. concl. adductâ, quæ hîc magis confirmatur. 1. quælibet potentia ſolùm fertur in ſuũ objectum; ſed objectum voluntatis eſt bonum (ſicuti enim objectum appetitûs ſenſitivi eſt bonũ ſenſu appræhenſum, ita etiam objectum appetitûs intellectivi, ſeu rationalis eſt bonũ intellectu

1. Ethicor. c. 1. *In lib. de Divin. Nominib. hic in argumt.* ſed contrà

Digitized by Google

tellectu cognitum) ergò voluntas ſolùm fertur in bonum (loquendo de actu volitionis, & proſecutionis.

4. Neque dici poteſt, quòd objectum voluntatis ſit Ens, ut Ens. Contrà enim eſt; quia experientiâ conſtat, unumquemque magis appetere id, quod ſibi convenientius eſt, quàm id, quod in naturâ & entitate *ſecundum ſe eſt* præſtantius; quemadmodùm aliquis nummum aureum plus appetit, quàm vg muſcam, licèt muſca in genere entis ſit excellentior; conſequens igitur eſt, objectum voluntatis non eſſe Ens, ut Ens, ſed bonum, id eſt conveniens. Confirmatur 2. Unusquisque quando conſequitur id, quod appetebat, delectatur, & quieſcit, ergò appetebat id, quod vel eſt bonum, vel ſaltem appræhenſum ut bonum, quia quies & delectatio non eſt niſi de bono vero, vel pro tali æſtimato. Voluntas igitur, quatenus nominat primum potentiæ voluntatis actum (qui nomine potentiæ voluntas, ſeu ſimplex volitio appellatur) non poteſt velle malum ſub ratione mali. Et idem dicendum eſt de quolibet actu voluntatis proſecutivo, ut ſunt *deſiderium, intentio, fruitio, electio, conſenſus,* & *uſus*. Ita S. Thom. in pluribus locis, & ejus expoſitores, atque diſcipuli, ut Conradus, Cajet. Ferrerienſis, Medina, Vaſq. Valentia, Alvarez, Salas, & alij adhuc innumeri.

hoc artic. §- Doctor. 1. p. q. 19. a. 9 lib. 3. contrà Gent. c. 3. hoc artic. dub. 1. diſp. 31. n. 2. hic diſp. 2. q. 3. punc. 1. hic diſp. 40. tract. 1. diſp. 6. ſect. 1.

Concluſio 2.

Voluntas, quatenus ſumitur pro ipsâ potentiâ, fertur in finem, & in ea, quæ ſunt ad finem; quatenus verò voluntas nominat actum voluntatis, ſcilicet velle ſic propriè loquendo *eſt tantùm finis.* Eſt D. Th. & communis Thomiſtarum.

5. Probatur 1. p. Unaquæque potentia extendit ſe ad omnia, in quibus aliquo modo reperitur ratio ſui objecti, quem-

quemadmodùm viſus extendit ſe ad omnia, quæ quovis modo participant rationem coloris; ſed ratio objecti potentiæ voluntatis, quæ eſt ratio boni, non ſolùm reperitur in fine, ſed etiam in his, quæ ſunt ad finem. Ergò. Confirmatur. In naturalibus per eandem potentiam aliquid pertranſit media, & pertingit ad terminum; ſed ea quæ ſunt ad finem, ſunt quædam media, finis autem eſt terminus. Ergò per eandem potentiam, voluntatem ſcil. poſſumus velle finem, & ea quæ ſunt ad finem.

Probatur etiam 2. p. quia ſimplex actus potentiæ ſolùm fertur in id, quod eſt *per ſe* objectum illius, hoc eſt, primariò, & abſque dependentiâ ab alio; ſed primus actus voluntatis eſt actus ſimplex voluntatis (ſiquidem nullum alium præſupponit) Ergò hic ſolùm fertur in id, quod eſt *per ſe* objectum voluntatis; *per ſe* autem primariò objectum voluntatis eſt finis ipſe; cùm ratio boni in ſolo fine reperiatur abſolutè, & *per ſe*, in mediis verò non niſi per reſpectum ad finem. Ergò. Confirmatur. Quamvis enim intellectus non ſolùm cognoſcat principia, ſed etiam concluſiones, ſola tamen cognitio principiorum vocari ſolet intellectus, ſeu intelligentia, tanquam ſimplex, & principalis actus potentiæ intellectivæ. Ergò ſimiliter quamvis potentia voluntatis extendat ſe ad finem & media, ſolus tamen ille actus, qui eſt in fine, propriè dicitur voluntas. At

6. Quæres; *uterum in voluntate dari poſſit actus neuter, qui neque verſetur circà finem, neque circa media?*

Notandum; quòd actus circà finem poſſit intelligi dupliciter; uno modo ita, ut feratur in finem *abſolutè*

ſine aliquo ordine ad media; alio modo *reſpectivè* ad media, quatenus finis diligitur, ut aſſequendus per media. Quando igitur negabimus, dari actum neutrū, ſed omnem eſſe debere vel circà finem, vel circà media, tunc ſumimus finem in totâ ſuâ latitudine tam *abſolutè*, quàm *relativè*; aliàs enim de ſe conſtat, quòd non omnis actus, qui eſt circà finem, ſit ſemper circà illum, prout relativè ſe habet ad media, cùm poſſit diligi finis bonitas *ſecundùm ſe* ſine ordine ad media. Jam

℟. Nequit dari in voluntate actus *ſimpliciter* neuter, id eſt, talis, cujus objectum ita abſolutè ametur, ut nec habeat rationem finis, nec medij. Ita S. D. hîc, quem ſequitur communis Thomiſtarum contrà Scotum, & Vaſq.

1. ſentent. diſtinct. 2. q. 3. diſput. 32. q. 3. n. 1.

Probatur reſpons. quia quidquid voluntas vult, vel vult *propter ſe*, ſcil. propter propriam ſuam bonitatem, vel propter aliud, ſcil propter bonitatem alterius; ſed quod eſt volitum propter ſe, eſt volitum ut finis; & quidquid eſt volitum propter aliud, eſt volitum tanquam medium. Ergò quidquid voluntas vult, vult vel ut finem, vel ut medium; ſicque non datur actus voluntatis neuter, qui non ſit vel circà finem, vel circà medium. m. patet; quia quod eſt volitum propter ſe, debet eſſe bonum *abſolutè*, ut eſt bonum honeſtum: quod autem eſt *volitum* propter aliud, tantum eſt bonum *relativè*, velut eſt utile, pertinens ad media. M. verò probatur. *nam amari propter ſe, & amari propter aliud*, opponitur contradictoriè; ergò quid quid voluntas vult, vel amat, vult vel propter ſe, vel propter aliud; quia inter duo contradictoriè oppoſita

ſita non datur medium. Antec. probatur; *amari propter ſe, eſt non amari propter aliud; & amari propter aliud, eſt non amari propter ſe* (ſicut eſſe ens per ſe, eſt non eſſe ens in alio; & eſſe ens in alio, eſt non eſſe ens per ſe) *ſed amari propter ſe, & non amari propter ſe; amari propter aliud, & non amari propter aliud,* ſunt contradictoria. Ergò

Concluſio 3.

Poteſt voluntas uno, eodemque actu ſimul formaliter tendere in finem, & media. Ita S. D. quem ſequuntur communiter Thomiſtæ, quos refert Cæſar Auguſtanus. *hic diſp. 109. dub. 3.*

7. Explico. Etſi quidem actus, quo voluntas fertur in finem abſolutè & *ſecundùm ſe*, ſit alius ab actu, quo fertur in ea, quæ ſunt ad finem; quia quod eſt per ſe volitum, & non in ordine ad aliud, volitum eſſe poteſt actu proprio, & diſtincto ab actu volendi quodcunque aliud; finis autem eſt per ſe volitus, & non in ordine ad aliud; ergò finis *ſecundùm ſe* poteſt appeti actu proprio, eóq; diſtincto ab actu volendi aliud quodcunque. Nihilominùs quando media appetuntur, ut media, ſcil. propter finem, tunc aliquando eodem formaliter actu appeti poſſunt & finis, & media. Et hæc eſt concluſio, quæ

Probatur; quia potentia eâdem actione *formaliter & actualiter* ferri poteſt in objectum, & rationem formalem objecti; ſed reſpectu potentiæ volitivæ medium ſe habet ut objectum, finis autem tanquam ratio formalis; ergò potentia voluntatis poteſt *formaliter & actualiter* eodem actu ferri in finem, & media. M. patet experientiâ; eâdem enim viſione *formaliter & actualiter* videmus coloratum, & lucidum, quia lux eſt ratio vi-

Digitized by Google

dendi colorem, m. verò probatur; quia ſicut lux eſt ratio formalis videndi colorem, & color eſt ratio videndi quantitatem; ita finis eſt ratio volendi media, ſine quâ media, ut talia non manent appetibilia. Ergò &c. Dixi tamen: *eodem formaliter actu voluntatis aliquando & finem, & media appeti poſſe*: quia non ſemper eodem actu *formaliter*, & *actualiter* appetuntur, licet ſemper appetantur eodem actu *virtualiter*. Ratio primi eſt, quia actus *intentionis* realiter diſtinquitur ab actu *electionis*; ſed finis ſæpè eſt volitus *actualiter*, & *formaliter* per actum *intentionis*, media verò per actum *electionis*; ergò non ſemper eodem actu &c. Ratio ſecundi eſt; quia media, ut talia non ſunt volita niſi propter finem; quia ut talia non habent aliam bonitatem, niſi quam participant à fine; unde ratio, ob quam ſint volita, eſt finis; ergò media ut media ſemper appetuntur eodem *virtualiter* actu, quo finis. Cæterùm voluntas *actu* & *formaliter* in aliquid fertur, dum fertur in objectum aliquod, actualiter ſibi ab intellectu propoſitum ſecundùm proprium ejus *eſſe*, quod in ſe habet, ut quando habet hunc actum: *volo diligere Deum*; *volo medicinam propter ſanitatem &c. Virtualiter* verò voluntas fertur in aliquid, quando ex aliquo priùs volito, *actualiter* vult aliquid; ſicut ille, qui habuit voluntatem omnia faciendi propter Deum, dum de Deo nihil cogitans dat eleemoſynam, vel jejunat &c, non addendo malam aliquam circumſtantiam, *virtualiter* hæc facit propter Deum.

§. 2.

De ſecundo actu voluntatis, qui eſt fruitio.

1. Poſt-

1. Poſtquam Angel. D. præcedenti §. tractavit de his, quæ ad primum voluntatis actum pertinent, pergit nunc ad conſiderationem reliquorum actuum à voluntate elicitorum, fruitionis ſcil. & intentionis. Agit autem primò de *fruitione*; tum quia illa eſt actus voluntatis, quæ abſolutè verſatur circa finem; intentio verò reſpicit finem *comparativè* ad media; tum etiam quia agit hîc de fruitione non ſolum perfectâ, & conſumatâ, ſed etiam de imperfectâ, quæ ſequitur ad primum amorem, & complacentiam finis, quandò ſcil. ſolùm habetur intentionaliter, & incipit movere, tanquam primum in *intentione*; ut proinde non immeritò agat immediatè de fruitione. Cæterùm

Notandum hîc venit, quòd nomen fruitionis à fructibus ſenſibilibus, tanquam notioribus videatur derivatum, habeatque duas ſignificationes, *generalem* unam, *ſpecialem* alteram; juxtà generalem *frui* eſt, fructum, ſeu delectationem ex re aliquâ capere, ſive rem ipſam cum lætitiâ percipere, ſive poſtmodum res illa ſit finis ultimus, ſive ad ulteriorem aliquem finem ordinetur. Ita ſumitur in S. Script. *affluam divitijs, & fruar bonis.* Item *fruar bonis, quæ ſunt.* Et; *qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum,* id eſt, ad percipiendum cum lætitiâ. Juxtà ſpecialem verò, eámque magis propriam ſignificationem *frui* eſt re aliquâ delectari propter ſe ipſam, ita ut voluntas amantis, ſeu fruentis in eo, tanquam in ſummo bono, & fine ultimo conquieſcat. Et hoc modo loquitur de eâ S. Aug. *frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam.* Item; res, *quibus fruendum eſt, Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt, eadémque Trinitas, una quædam Summa rei.* Hinc DD. communiter

Eccles. 2.
Sap. 2.
1. ad Timoth. 6.

Lib. 1. de doctr. Chriſt. cap 4. & 5.

Digitized by Google

2. *Inferunt* 1. Fruitionem eſſe veram actionem vitalem; licet enim & lapis ſuo centro, velut fini inhæreat, inque illo quieſcat, non tamen facit id ex amore, qui ſupponit vitalem perceptionem dulcedinis illius finis; unde inanimata non fruuntur.

Inferunt 2. Fruitionem *elicitivè* ſpectare ad appetitum, non ad intellectum; nequit enim hic amore vel affectu, ſed nudo intuitu ſuis objectis inhærere.

Inferunt 3. Fruitionem non conſiſtere in amore, ſecundùm præciſam rationē amoris; hinc S. D. hîc in corp. conſultò dicit, quòd fruitio videatur pertinere ad amorem; non verò dicit, quòd ſit amor; quia fruitio non eſt idem actus, qui eſt amor, ſed cauſatur ex amore. Unde etiam S. Aug. Authoritas ſuprà allegata non eſt *formaliter*, ſed *cauſaliter* intelligenda. Similiter neque fruitio, & delectatio omninò coincidunt; licet enim omnis fruitio ſit aliqua delectatio, non tamen econtrà omnis delectatio eſt fruitio; quia fruitio eſt delectatio appetitûs ſatiativa, ideóque propriè non eſt niſi ultimi finis, qui ita ſatiat appetitum, ut poſt illum non reſtet aliquid amplius appetendum, quæ tamen ratio *ſatiativi* non eſt de ratione delectationis, ut ſic. Quare fruitio potiùs conſiſtit in voluntariâ illâ intenſione, & quiete, ac delectatione circà bonum obtentum. Unde definiri poteſt, quòd ſit *gaudium ultimum, & quies in bono adepto.* Jam ſit

Concluſio I.

Fruitio non eſt actus potentiæ intellectivæ, ſed appetivæ, ſeu voluntatis. Eſt D. Thom. & communis Thomiſtarum contrà M. Sotum. Sed *in 4. diſt. 49. q. 1. a. 3.*

Digitized by Google

3. Probatur concl. Quia amor & delectatio, quam habet aliquis de ultimo fine, eſt actus potentiæ appetitivæ; cùm ultimum bonum, ſeu ultimus finis ſit objectum voluntatis: ſed frui pertinet ad amorem, & delectationem, quam quis habet de ultimo fine exſpectato, ſicut fructus ſenſibilis eſt ultimum, quod ex arbore exſpectatur, & cum quâdam ſuavitate percipitur. Ergò frui eſt actus potentiæ appetitivæ. Dixi: *hoc eſſe contrà M. Sotum*; quia hic exiſtimat, fruitionem eſſe actum intellectûs, ipſam ſcil. Dei viſionem, ob quam cauſam idcircò beatitudinem noſtram conſtituit in fruitione. Ejus ratio eſt; quia *frui cibo* vg. nihil aliud eſt, inquit, *quàm cibum capere, vel ſumere*; *frui Muſicâ* eſt *Muſicam audire*; quia *frui eſt fructum capere*, fructus autem capiuntur per hoc, quòd poſſideantur, & habeantur; ergò & *frui Deo, eſt illum poſſidere*; poſſidemus autem & fruimur Deo per viſionem. Ergò. At verò ſententia contraria communior eſt inter omnes Theologos, hæc verò. M. Soti ſententia adverſatur expreſsè doctrinæ S. D. in præſenti, ubi docet, fruitionem eſſe actum potentiæ appetitivæ, & conſiſtere *formaliter* in delectatione quietativâ appetitûs, & conſtat; quia *dicimur frui cantu, cibo*, vel *amore* non quòd idem ſit *audire cantum, guſtare cibum*, vel *multùm amare*; cùm etiam audire *cantum, ſumere cibum &c.* verificetur de auditione, vel ſumptione ingratâ, quam conſtat, non eſſe fruitionem; ſed frui cibo, cantu, vel amore, eſt in cantu audito, in cibi ſumptione, & in amore delectari; delectatio autem pertinet ad voluntatem. Et in hoc ſenſu Scriptores communiter utuntur nomine fruitionis.

Conclu-

Concluſio 2.

Fruitio ex parte principij *perfecta convenit appetitui rationali; brutali verò ſolùm imperfecta; appetitui denique naturali inanimatorum penitùs nulla.* Ita D. Th. hîc, & communis DD.

4. Explico. Fruitio ex parte *principij, termini,* itémq; *modi* habendi finem dividitur *in perfectam,* & *imperfectam.* Ex parte *principij* ea fruitio dicitur *perfecta*, quæ perfectè attingit finem ſub ratione finis: *imperfecta* eſt, quæ finem attingit ſolùm imperfectè, ac materialiter. Ex parte *termini* fruibilis ea fruitio dicitur *perfecta*, quâ quieſcimus delectabiliter in termino ſimpliciter tali, id eſt, in fine *ſimpliciter* ultimo; cujuſmodi eſt fruitio Beatorum in Patriâ. *Imperfecta* autem dicitur illa, quando id, quo quis delectatur, non apprehenditur, ut ſimpliciter ultimum, ſed ordinatur in terminum ulteriorem; cujuſmodi erat illa fruitio, de quâ Paulus: *ego te fruor in Domino.* (*in Epiſt. ad Philemonem.*) Ex modo *habendi finem*, ſeu objectum fruibile illa fruitio dicitur *perfecta*, quâ inhæretur bono delectabili, non *imaginariè* tantùm, & *intentionaliter*, ſed verè, realiterque habito ac poſſeſſo: quâ ratione Beati fruuntur Deo. *Imperfecta* autem dicitur ea fruitio, quæ oriri poteſt ex ſolâ delectatione boni, quaſi præſentis, quo ſenſu ajebat Paulus: *ſpe gaudentes.* (*ad Rom. 10.*) Jam

Probatur tota concluſio. Fruitio ſequitur, & commenſuratur perfectioni ipſiuſmet cognitionis, quâ bonum delectabile percipitur, ac cognoſcitur ſub ratione ultimi, & quietantis; ſed *perfecta* cognitio boni delectabilis ſub ratione ultimi & quietantis tantùm convenit naturæ rationali, *imperfecta* verò brutali; inanimata verò

rò de hoc nullam penitus cognitionem habent. Ergò &c. Undè facile infertur, quòd nomen fruitionis ipſis brutis abſolutè non ſit concedendum, ſed ipſius loco nomen delectationis ſubſtituendum; eo ferè modo, quo aliqui in brutis loco voluntarij ſubſtituunt ſpotaneum.

Concluſio 3.

5. *Fruitio propriè non eſt niſi de fine ultimo.* Ita rurſus S. D. hîc.

Probatur. Quia fruitio *ſimpliciter* importat quietem voluntatis in bono delectabili obtento; atqui voluntas in nullo bono *abſolutè*, & totaliter quieſcit, niſi in ultimo, poſt quod non ſperat aliud. Ergò &c. Hoc non obſtante, impropriè, atque imperfectè fruitio etiam eſt de fine *intermedio*, ſeu *non ultimo.* Ratio eſt; quia finis hic non quietat *ſimpliciter* appetitu; hic enim quietus non eſt, donec id, quod judicatur ultimum, ſeu perfectiſſimum, obtinuerit; ergò appetitus eo ſaltem modo fruetur fine *non ultimo*, quo modo hic ſatiat eum; ſatiat autem imperfectè ſaltem. Ergò &c.

Advertendum tamen 1. per finem ultimum non ſolùm intelligi finem ultimum *verum*, qui eſt Deus; ſed etiam finem ultimum ſecundùm apprehenſionem; quamvis enim fruitio ordinata non ſit, niſi finis ultimi veri; poteſt tamen dari fruitio perverſa creaturæ, quæ non eſt finis ultimus; quemadmodùm avarus, qui in pecunijs tanquam in fine ultimo quieſcit, propriè illis fruitur; etiamſi ipſæ non ſint finis ultimus *ſecundùm rem.*

Concluſio 4.

6. *Fruitio* perfecta *non eſt niſi de ultimo fine re ipſâ jam habito*; imperfectè *tamen etiam poteſt eſſe de fine ultimo, habito* in ſpe, & intentione *tantùm* Ita S. D. hîc

Probatur; Quia fruitio *perfecta* dicit conſecutionem ultimi finis; ſed finis ultimus habetur perfectè quando habetur *in re;* imperfectè verò quando habetur *in ſpe.* Ergò.

§. 3

De tertio actu voluntatis, qui eſt intentio.

Præſenti §. agit S. D. de tertio actu voluntatis circà finem, qui jam non eſt *abſolutus*, ſed *reſpectivus.* Poſtquam enim voluntas aliquid vult, ita ut inhæreat, & quieſcat in illo, incipit adſpirare ad aſſecutionem talis rei, & ſic non ſolùm amat, ſed etiam intendit aſſequi rem illam, & movetur ab imperfectâ & intentionali fruitione rei, ad perfectam, & conſumatam.

Concluſio 1.

1. *Etſi intentio præſupponat actum intellectûs, ordinantis aliquid in finem; ea tamen propriè eſt actus voluntatis.* Ita rurſus S. D. hîc; & communis DD.

deſumptâ ex reſpons. ad 3. Probatur 1. p. concl. ratione S. D. ad quemcunque actum voluntatis præſupponitur cognitio intellectûs; ſed ut mox dicetur, intentio eſt actus voluntatis; ergò neceſſe eſt, eam præcedere actum intellectûs, & ille non quicunque; ſed proportionatus intentioni; unde quia intentio verſatur circà finem, non *abſolutè* conſideratum, ut in ſe bonus eſt; neque ſecundùm quod voluntas in ipſo quieſcit, ſed quatenus eſt terminus alicujus rei, quæ ad ipſum ordinatur; ideo etiam cognitio intellectûs quem intentio præſupponit, non debet eſſe cognitio finis ſecundùm ſe, ſed debet eſſe cognitio ordinativa alicujus in finem; cùm autem ordinare ſit proprium rationis, hinc ſi quæ ordinatio reperitur in actibus volun-

voluntatis, ea provenire debet ab intellectu ordinante unum ad aliud.

Probatur etiam 2. p. Quia illius potentiæ actus eſt intentio, cui per ſe primò convenit tendere in finem; ſed hæc potentia in agente rationali eſt ſola voluntas; quia hæc ſola per ſe primò movet omnes vires animæ in finem. Ergò intentio eſt actus voluntatis. Neque refert, quòd intentio dicatur oculus animæ, anima autem & mens accipiatur aliquando pro intellectu. Quia intentio impropriè duntaxat oculus dicitur, non quaſi ad cognitionem pertineat; ſed quia cognitionem dicto modo præſupponit. Ex dictis. *Matth. 6.*

2. *Colliges. 1.* Quomodo intentio differat à reliquis voluntatis affectibus; aliqui enim illorum *immediatè*, ac per ſe primò tantùm occupantur circà media, ut *electio*, & *conſenſus*; alij quidem finem reſpiciunt, ſed non neceſſariò ſub ratione reſpectivâ ad media, velut *deſiderium*, & *ſpes*; ſperari enim & deſiderari etiam poſſunt ea bona, quæ nullo modo ſunt in noſtrâ poteſtate, ac proindè non movent nos ad perquirenda media, per quæ illa obtineamus; quâ ratione ſperamus, & deſideramus, cras fore ſerenam auram. At verò intentio non eſt talis affectus ſimplex, ſed tendit in bonum per modum efficacis propoſiti, ac proindè ſaltem in *confuſo* tractat ſimul de medijs, per quæ ſibi tale bonum efficaciter conciliare poſſit.

Colliges 2. Non eſſe admittendam ſententiam S. Bonavent. volentis, intentionem eſſe ſimul actum intellectûs, & voluntatis; hoc enim omninò ſtare nequit, quia unus idemque actus nequit *formaliter*, & *eſſenti-* *in 2. diſt. 38. q. 2, a. 2.*

aliter eſſe actus diverſarum potentiarū, vel includere diverſos tendendi modos oppoſitos potentiarum diverſi ordinis, & lineæ, cujusmodi ſunt actus intellectûs, & voluntatis; quippe actus intellectûs tendat in ſuum objectum trahendo illud ad ſe; actus verò voluntatis eſt quidam exitus voluntatis extrà ſe, tenditque in objectum, tractus ab ipſo; item actus intellectûs eſt actus potentiæ apprehenſivæ; actus verò voluntatis eſt actus potentiæ appetitivæ; quæ potentiæ ſunt diverſi ordinis, & lineæ. Ergò.

4. *Colliges 3* Intentionem alio modò accipi à Dialecticis, & alio modo à Theologis moralibus. Apud illos ſiquidem intentio & attentio ſunt idem, & ſignificant attentionem intellectûs ad aliquam rem; quâ ratione dici ſolet (*pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*) Unde etiam attentionem intellectûs, quæ in rebus conſiderat prædicata realia; *primam intentionem* appellant; quæ verò prædicata rationis, *ſecundam intentionem* nominant. Apud hos verò intentiò ſumitur pro actu voluntatis, & deſcribi poteſt, quòd *ſit motus voluntatis in finem*, velut per aliqua media aquiſibilem.

Concluſio 2.

Etſi intentio ſemper ſit finis, non tamen oportet, ut ſemper ſit ultimi finis. Eſt iterum S. D. hîc.

5. Probatur. Intentio reſpicit finem, ſecundùm quod hic eſt terminus motûs voluntatis; ſed terminus motûs voluntatis non tantùm dicitur terminus ultimus, qui eſt terminus totius motûs, ſed etiam terminus non ultimus, qui eſt principium unius partis motûs, & finis alterius; ſicut in motu locali, quo itur de

A: in C.

A. in C. per B. C. eſt terminus ultimus, B. autem etiam eſt terminus, ſed non ultimus. Ergò intentio non eſt tantùm finis ultimi, ſed etiam non ultimi; ita tamen ut iſte finis non ultimus *formaliter* conſideretur in ratione finis, ſecundùm quod ſcil. alia ad ipſum ordinantur; non autem ut eſt medium ad ultimum finem ordinatum.

Concluſio 3.

Poteſt homo ſimul intendere plura, non tantùm inter ſe ſubordinata, ſed etiam non ſubordinata. Ita S. D. hîc.

6. Probatur 1. p. ex dictis præcedentis conclus. Quia intentio non ſolùm eſt finis ultimi; ſed etiam intermedij; poteſt autem aliquis ſimul intendere finem intermedium, & ultimum, velut confectionem medicinæ, & ſanitatem. Ergò &c.

Probatur etiam 2. p. Quia homo unum eligit præ altero, quia melius eſt altero; ſed inter alias conditiones, quibus unum eſt melius altero, unum eſt, quòd ad plura valeat; ergò poteſt aliquid eligi præ altero, ex hoc, quòd ad plura valeat, & ſic homo manifeſtè plura eligit. Cæterùm S. D. explicat, quomodo unius motûs voluntatis poſſint eſſe plures termini; ait enim quòd hoc contingat vel ideo, quia illa, quæ non ſunt unum *ſecundùm rem*, poſſint accipi ut unum *ſecundùm rationem*; adeóque cùm intentio ſit motus voluntatis in aliquid præordinatum in ratione; hinc ea quæ ſunt plura ſecundùm rem, poſſint accipi, ut unus terminus intentionis, prout ſunt unum ſecundùm rationem; vel quòd hoc contingat ideo; quia aliqua duo concurrunt ad integrandum aliquod unum, ſicut ad ſanitatem concurrunt calor & frigus comenſurata; ad *in Reſpons. ad 2.*

 com-

Digitized by Google

commodius ſtudium plures libri; ad ſuſtendandam vitam veſtis & cibus; vel denique quòd hoc contingat ideo, quia aliqua duo continentur ſub uno communi, quod poteſt eſſe intentum, ſicut aquiſitio vini & veſtis continetur ſub lucro, tanquam ſub aliquo communi; & ſic ille, qui intendit lucrum, poteſt etiam hæc duo ſimul intendere. Atque adeo mens S. D. eſt, quòd voluntas poſſit ſimul intendere plura, non tamen ut plura, ſed ut dicto modo ſunt unum.

Concluſio 4.

7. *Quando voluntas ſeorſim & ſecundùm ſe fertur in finem, & in media, tunc intentio finis, & electio mediorum, ſunt duo actus voluntatis; quando verò voluntas vult media propter finem, tunc eodem actu fertur in medium, & in finem.* Ita S. D. hîc.

Prima pars concl. per ſe patet, & probatur à ſimili; quia ſi intellectus abſolutê ſeorſim, & *ſecundùm ſe* conſideret principium, & concluſionem, tunc eſt diverſa conſideratio utriusque; ergò etiam quando voluntas fertur in finem ſeorſim, & in id quod eſt ad finem, erunt duo motus voluntatis in utrûmque.

Probatur etiam, 2. p. nam quandocunque ea quæ ſunt ad finem, appetuntur propter finem, tunc finis eſt ratio, cur illa appetantur; ſed eſt idem motus in objectum, & in id, quod eſt ratio formalis objecti; ſicuti eadem viſio eſt lucidi, & albi. Ergò Confirmatur à ſimili; quando intellectus concluſioni aſſentitur propter principia, eſt tantùm unus actus intellectûs; ergò etiam in propoſito unus actus voluntatis.

Con-

Digitized by Google

Concluſio 5.

8. *Intentio propriè dicta non convenit brutis.* Ita S. D. hîc. Probatur. Quia intentio propriè dicta etſi actio moventis ad finem ſub ratione finis, & *formaliter*, quatenus ſcil. is comparabilis eſt per media convenientia; atqui talis motio neceſſariò præſupponit in movente notitiam finis, non tantùm ſub ratione boni, ſeu convenientis, ſed ſub ratione finis ſimul cognitione proportionis mediorum ad illum, quatenus per hæc, vel illa media poteſt aquiri, cujusmodi cognitio non reperitur in brutis. Ergò &c.

§. 4.

De quarto actu voluntatis, qui eſt electio.

Concluſio 1.

Quamvis electio importet aliquid ſpectans ad rationem, & aliquid pertinens ad voluntatem, tamen quo ad ſuam ſubſtantiam & entitatem eſt actus voluntatis, non verò rationis. S. D. hîc

1. Explico. Nomen electionis eſt verbum compoſitum ex præpoſitione *Ex*, & verbo, *Lego*: eo modo quo flores aut roſas legere dicimur; unde ſicut qui ex floribus relictis minùs olentibus, vividos & odoriferos decerpit, flores non tantùm legere, ſed & eligere dicitur, quia poſtquam ſenſit ſuavitatem iſtorum præ aliis, præ alijs iſtos acceptat; ita in moralibus eligere dicimur, non ex eo tantùm, quòd bonum aliquod amemus; neque ex eo ſolummodò, quòd unum bonum præ alijs judicemus conveniens, ſed quia poſtquam ex multis unum convenientius, & cæteris melius judicavimus, illud ipſum acceptamus

mus & proſequimur relictis alijs. Ex quo patet, quòd ad electionem requiratur actus voluntatis & intellectûs. Poteſt igitur electio definiri, quòd *ſit affectus rationalis, quo uni medio præ quovis alio efficaciter addicimur.* Ubi 1. Dicitur affectus per quod *electio* diſcernitur à *conſilio*, quod licet de multis unum etiam medium præferat cæteris, non tamen *affectivè* id facit, ſed *judicativè.*

Dicitur 2. *rationalis*; quo electio diſtinquitur à naturali inſtinctu brutorum, qui in brutis inclinat quidem ad unum medium præ alio affectandum, non tamen modo rationali, hoc eſt, ex præviâ collatione utriusque, & judicio illo comparativo, ad quod electio dicit eſſentialem ordinem. Dicitur 3. *quo uni medio*: quo electio differt ab ijs affectibus, qui ex propriâ ſuâ & formali ratione non occupantur principaliter circà media, ut ſunt *fruitio*, & *intentio*, quarum objectum eſt ſolus finis, media verò cadunt ſub intentione *oblique* tantùm ut correlativa finis, per ea aſſequendi. Dicitur 4. *præ quovis alio*: quæ particula diſcernit *electionem* à *conſenſu*, utpote qui ſimul ferri poteſt in omnia media à ratione propoſita, ſi fortè omnia placeant; electio verò unum duntaxat è multis reſpicit ut præferendum reliquis. Dicitur tandem: *efficaciter addicimur*: quo objectum electionis magis explicatur, quod eſt medium poſſibile, quodque aliquo modo in noſtrâ ſitum eſt poteſtate. Jam

in 6. Ethi. c. 2. lib. 5. c. 4. 2. Probatur 1. p. Concl. Authorit. Philoſophi, ubi dicit, quòd electio ſit appetitus intellectivus. Et S. Gregor. Niſſænus docet, quòd electio neque ſit appetitus ſecundùm ſe ipſam, neque conſilium tantùm, ſed ex his aliquid compoſitum; ſicut enim dicimus, animal ex anima

& cor-

& corpore compoſitum eſſe, neque verò corpus eſſe ſecundùm ſe ipſum, neque animam ſolam: ſed utrumque, ita & electionem &c.

Probatur etiam 2. p. Quia quandocunque ad unum aliquem actum concurrunt duæ potentiæ, tunc actus productus quo ad ſuam entitatem eſt illius potentiæ, quæ ipſum producit ſecundùm ſuum eſſe *materiale*; ſed voluntas producit electionem quo ad ejus eſſe *materiale*. Ergò electio quo ad ſuam entitatem & ſubſtantiam eſt actus voluntatis. M declaratur; nam quando aliquis actus procedit ab unâ quantùm ad ſuum *materiale*, ab alterâ quantùm ad *formale*; quo ad *materiale* quidem â potentiâ inferiore, quo ad *formale* â ſuperiore, cujus eſt inferiora ordinare; velut patet in Martyrio; hoc enim *materialiter* producitur â fortitudine, *formaliter* verò quatenùs exercetur propter amorem Dei, eſt actus charitatis. Ex his ergò probatur iſta Major; nam. Martyrium quo ad ſuam entitatem & ſubſtantiam, eſt actus fortitudinis, quia procedit ab illâ quo ad *eſſè materiale*; ergò actus eſt illius potentiæ quo ad ſubſtantiam, & entitatem, quæ producit ipſum ſecundùm *eſſè materiale*. m verò etiam probatur. Quia electio perficitur in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur, qui motus, ut patet, eſt voluntatis; quia verò electio non eſt quicunque motus in bonum, ſed ordinatus, ordinatio autem eſt rationis; ideò electio quo ad *formale* pertinet ad intellectum, quo ad *materiale* verò ad voluntatem. Pro majori dictorum intelligentiâ

3. *Notandum eſt 1.* quando S. D. hîc dicit, electionem formaliter eſſè actum intellectûs, & materialiter actum

voluntatis, non intelligendum eſſe, quaſi electio habeat formam intrinſecam ab intellectu, tanquam â principio eliciente, cùm hoc modo electio ſit *formaliter* â voluntate, eò quòd feratur in ſuum objectum ſub ratione boni *utilis*; ſolùm igitur intelligendus eſt, quòd electio ſit *formaliter* ab intellectu, tanquàm à principio dirigente; quâ ratione etiam prudentia in moralibus dicitur omnium moralium virtutum forma. Unde licet id, quod *formale* eſt in re aliquâ, tanquam pars intrinſeca ſpectans ad rei ſubſtantiam, ſit principaliùs, quàm materiale; hoc tamen non eſt verum, quando formale eſt extrà ſubſtantiam rei, velut contingit in præſenti; adeóque electio principaliùs pertinet ad voluntatem, quàm ad intellectum.

4. *Notandum 2.* Quòd cùm intentio, electio, imperium, uſus, aut alij ſimiles actus mutuò requirantur, & cōcomitentur, aliquando unus pro alio accipiatur; velùti *credere* aliquando etiã applicatur voluntati, quia volẽdo creditur: *ſperare* applicatur judicio, quia res aliqua ſic judicatur futura. Attamen ad hoc ipſum diſcernendum, & videndum, quid unicuique propriè conveniat, quid *antecedenter* & *præſuppoſitivè*, jùxtà Angel. D. attendendum eſt ad id, in quo aliquis actus conſummatur, & perficitur, & in quo exercetur. Quòd ſi autem dubitetur, in quo perficiatur, recurrendum eſt vel ad experientiam, & communem uſum; vel ad id, quod ipſum nomen talis actûs ſignificat; quia in naturis & eſſentiis rerum indagandis, cùm definitio rei non poſſit demonſtrari, non poſſumus recurrere ad aliud principium, quàm vel ad experientiam, quia ab experien-

tiâ

cia omnis doctrina & ſcientia ortum habet, & per eam cœperunt homines philoſophari; vel à comuni hominum ſapientum conceptione, quod per nominis impoſitionem, vel communem modum ſignificandi habetur. Juxtà hanc itáque doctrinam & modum Angel. D. electionem dicit conſiſtere in actu voluntatis, quia ſcil. electio perficitur in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur. Quod etiam reducitur ad experientiam; quia quantumcunque aliquis judicet, & diſcernat aliquid præ alio, electio tamen non perficitur, quo uſque perficiatur à voluntate; adeóque in iſtâ acceptione unius præ alio cenſetur electio conſummata; quidquid verò ordinationis, & collocationis in electione invenitur, cùm proveniat ex directione rationis, & motione ipſiùs, licet *formale* ſit quantùm ad rationem movendi, ordinandi & actuandi, totum tamen hoc ſolùm ſe habet *antecedenter*, & *præſuppoſitivè*; quia ſcil. ſe habet ut movens, & diſponens, non verò ut eliciens, vel ut id, in quo conſummatur, & exercetur ultimum, quod electionem ſpéctat.

5. *Notandum* deniq;, quòd electio (quam Ariſt. definit, *eſſe appetitum præconſiliati*) peculiari quâdam ratione definiatur per ordinem ad intellectum; non quidem quaſi principaliùs ſpectet ad illum; ſed quia non ſolùm præſupponit ſimplicem propoſitionem objecti, vel etiam judicium de convenientiâ objecti, ſed etiam quia prærequirit vel *formaliter*, vel ſaltem *virtualiter* conſultationem, & deliberationem (ut fit quando proportio medij ad finem clara eſt, & evidens) quæ eſt proprius actus intellectûs noſtri, ut rationalis eſt. Unde etiam voluntas

non movetur ſolùm ab intellectu generali quâdam ratione, ſecundùm quam nihil poteſt eſſe volitum, quin præcognitum; ſed etiam ſpeciali quodam modo; quia nimirùm ex motione intellectûs, eiusque ordinatione participat ſpecialem modum operandi, quòd ſcilicet ordinatè procedat, & collativè acceptando unum præ alio, quod alioquin voluntati ex propriis meritis non competit.

Concluſio 2.

Electio non convenit brutis animalibus.

6. Probatur. Nam in brutis ſolùm invenitur appetitus ſenſitivus. Ergò iis non convenit electio: conſ. probatur. Quia cùm electio ſit præacceptatio unius præ altero, neceſſe eſt, ut electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt; ideoq; in his, quæ penitùs ſunt determinata ad unum, electio non habet locum. Sed appetitus ſenſitivus eſt determinatus ad unum (hæc enim eſt differentia inter appetitum ſenſitivum, & rationalem, quòd appetitus ſenſitivus ſit determinatus ad unum ſecundùm ordinem naturæ; rationalis verò, licet etiam determinatus ſit ſecundùm ordinem naturæ ad unum *commune*, quod eſt bonum, habeat tamen ſe indeterminatè reſpectu bonorum particularium) Ergo &c. Confirmatur etiam ex eo; quòd electio in eligente præſupponat cognitionem finis, & proportionis mediorum ad finem; licet autem bruta animantia aliquo modo cognoſcant finem, non tamen cognoſcunt proportionem mediorum ad finem; ut alibi dictum eſt. Ergo

Concluſio 3.

Electio non eſt de fine, in quantùm finis eſt, ſed tantùm de mediis ad finem. rurſus S. D. hîc.

Pro-

Digitized by Google

7. Probatur. Illud ſolùm cadit ſub electionem, quod in operabilibus ſe habet ut concluſio; ſed finis juxtà Philoſophum, in operabilibus non ſe habet ut concluſio, ſed ut principium; ergò finis, ut finis, non cadit ſub electionem, ſed ea duntaxat, quæ ſunt media ad finem. M patet. Quia electio ſequitur ſententiam, vel judicium, quæ eſt velut concluſio ſyllogiſmi operatiui. Dixi autem: *de fine, ut finis eſt*: quia de fine, ſub ratione medii conſiderato, benè poteſt eſſe electio; ſicut enim in ſpeculativis nihil prohibet, id, quod eſt unius demonſtrationis principium, eſſe concluſionem alterius (ſalvo tamen primo principio indemonſtrabili, quod nullius demonſtrationis concluſio eſſe poteſt) ita etiam in operatiuis nihil prohibet, id, quod in unâ operatione eſt finis, ordinari ad aliquem alium finem, atque ita eſſe medium alterius operationis, excepto, quòd finis omninò ultimus, cùm ad nullum alium finem ordinari poſſit, reſpectu nullius operationis medium eſſe queat. *2.Phys.text.89.*

8, *Notandum* autem eſt, finem ultimum tripliciter accipi poſſe. 1. pro fine ultimo, quem omnes appetunt, nempé pro beatitudine *ut ſic*, & in communi. 2. pro fine ultimo in particulari *ſecundùm veritatem*, qui eſt Deus O. M. & viſio beatifica. 3. pro illo fine ultimo, quem quilibet ſibi ſtatuit. De ultimo fine, quem omnes appetunt (ſicut & de fine illo ultimo, quem quilibet ſibi ſtatuit) nequit eſſe electio; quia talis finis nullam rationem medii habere poteſt; quantùm autem ad finem ultimum particularem *verum*, qui eſt Deus, certum eſt apud omnes, quòd poſſit ſubeſſe electioni peruerſæ, & inordinatæ; nam ſicut voluntas poteſt peruersè amare creaturam,

tanquàm finem ultimum, qui tamen finis ultimus non eſt; ita etiam poteſt Deum, qui finis ultimus eſt, peruerſè ordinare ad aliquem alium finem, tanquam medium, adeóque ſic eum eligere.

Concluſio 4.

Id, quod eſt impoſſibile, non cadit ſub electionem. Eſt. S.D. hic

3. Ethicor. in ſed contrà — Probatur 1. Authorit. Philoſophi, ubi ait, quòd electio non ſit impoſſibilium. Ergò &c.

Probatur 2. Quia electiones noſtræ ſemper referuntur ad actiones noſtras; ſed ea, quæ per nos aguntur, ſunt nobis poſſibilia. Ergò &c.

9. Probatur. 3. Quia ratio eligendi aliquid, eſt, ut ex hac poſſimus conſequi finem, vel hoc, quod ducit ad finem; ſed per id, quod eſt impoſſibile, non poteſt quis conſequi finem; cujus ſignum eſt, quòd cùm homines in conſiliando perveniunt ad id, quod eis eſt impoſſibile, diſcedant, quaſi nolentes ultrà procedere. Ergò &c. Sed

Notandum eſt. 1. Voluntatem aliam eſſe *efficacem*, aliam verò *inefficacem*, ſeu *conditionatam.* Quando ergò dicitur voluntatem non poſſe ferri in impoſſibilia, hoc intelligitur de voluntate abſolutâ, & efficaci; inefficaci enim & conditionatâ volũtate ſæpè ferimur in id, quod eſt impoſſibile, ut pàtet in pœnitente, qui vellet, peccatà ſua non eſſe, quod tamen conſtat eſſe impoſſibile: quia autem electio importat actum voluntatis abſolutum, hinc nullo modo poteſt eſſe impoſſibilium.

10. *Notandum 2.* Impoſſibile duobus modis ſumi poſſe. 1. quòd ſit tale in *eſſe rei.* 2. quòd ſit tale in *eſſe apprehenſo.* Impoſſibile in *eſſe rei* poteſt ſæpiùs ut medium

elig

eligi; nam ſicut licet voluntas non tendat niſi in bonum, quod tamen non ſemper debet eſſe bonum in rei veritate, ſed ſufficit, quòd ab intellectu ut bonum apprehendatur; ita etiam ſi impoſſibile *in eſſe rei* apprehendatur ab intellectu ut poſſibile, poteſt eligi ut medium; illud verò quod ab intellectu apprehenditur ut impoſſibile, non poteſt eligi ut medium. Inſuper impoſſibile aliud eſt *per ſe* tale, & aliud *per accidens* tale; impoſſibile *per ſe* illud eſt; quod ex propriâ ratione, & nullâ factâ ſuppoſitione repugnat, ut, Deum non eſſe; vel, hominem non eſſe rationalem. Impoſſibile verò per accidens eſt, quod ex propriâ ratione non repugnat, ſed tantùm ex factâ aliquâ ſuppoſitione, ut vg. *Petrum non peccâſſe*; potuiſſet enim fieri, Petrũ non peccâſſe; ſuppoſito tamẽ, quòd jam peccaverit, impoſſibile eſt, eũ non peccâſſe; quia ad præterita non datur potentia. Impoſſibile *per ſe* nequit appeti *per ſe* à volũtate; poteſt tamen ita appeti impoſſibile *per accidens*, ſed non niſi voluntate conditionatâ. Ratio primi eſt; quia illud dicitur *per ſe* appeti, quod ratione ſui poteſt terminare appetitum; impoſſibile autem *per ſe* cùm nullam habeat propriam bonitatem, nequit ratione ſui terminare appetitum. Ergò. Ratio ſecundi eſt; quia impoſſibile *per accidens* per ſe & ratione ſui habet aliquam bonitatem, atque adeò aliquam etiam appetibilitatem.

Concluſio 5.

Homo non ex neceſſitate, ſed liberè eligit. Ita rursùs S. D. hîc, 11. Probatur; Quia homo poteſt eligere, vel non eligere; item poteſt hoc, vel illud eligere. Ergò non ex neceſſitate, ſed liberè eligit tam *quo ad exercitium*, quàm

quo

quo ad ſpecificationem. Antecedens prob. Quia quidquid ratio poteſt apprehendere ut bonum, in id voluntas poteſt tendere; ſed ratio poteſt apprehendere ut bonum, non ſolùm hoc, quod eſt *velle*, aut *agere*; ſed etiam iſtud, quod eſt *non velle*, & *non agere*. Accedit, quòd intellectus in omnibus bonis particularibus poſſit conſiderare aliquam rationem boni, & aliquam rationem mali, qui eſt defectus. Ergò poteſt voluntas velle & non velle. Item poteſt velle, ſeu eligere hoc vel aliud, poſſe autem velle, & non velle, eſt libertatis *quo ad exercitium*; ſicut poſſe eligere hoc, aut illud, eſt libertatis *quo ad ſpecificationem*. Ergò &c.

§. 5.

De conſilio.

Poſtquàm S. D. egit de electione, agit nunc de conſilio, non obſtante, quòd electionem conſilium præcedat, ad illámque requiratur; quia priùs agendum eſt de ipsâ re, deindè verò de ejus cauſis; conſilium autem eſt cauſa electionis; quia ad hoc conſulimus, ut eligamus, & ex conſultatione mediorum naſcatur electio.

Concluſio I.

q. 14. a. 1. *Conſilium eſt inquiſitio rationis.* Ita S. D. hic.

1. Explico. Sicut electio ſubſtantialiter pertinet ad voluntatem, cùm ſit actio ejus elicita, connotando nihilominùs ordinem ad rationem conſultantem; ita conſilium ſubſtantialiter pertinet ad intellectum, quia eſt actio ab eo elicita, & conſiſtit in diſquiſitione, quæ pertinet ad rationem, connotando tamen ordinem ad voluntatem intendentem, à quâ ut ſic movetur intelle-

tellectus ad conſultandum; ex eo enim quòd quis vult finem, movetur ad conſultandum de medijs.

Cæterùm poteſt dupliciter quis diſquirere 1. præcisè diſquirendo, utrum hoc conducat ad finem, vel non. 2. formando judicium de hoc, vel illo. Juxtà primum modum diſquiſitio vocatur conſilium *inchoativè*; juxtà ſecundum verò modum habet completam rationem conſilij; imò hoc poſterius judicium quandóque ſine diſquiſitione obtinet rationem conſilij; ut patet in Deo, in quem diſquiſitio cadere nequit, cùm ſupponat ignorantiam; & nihilominùs Deo attribuitur conſilium; ut; *qui omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Jam *Ephes. 5.*

2. Probatur Concl. Electio conſequitur judicium rationis de rebus agendis; ſed antè judicium rationis neceſſaria eſt inquiſitio rationis, quæ dicitur conſilium, velut dicit Ariſt. quòd *electio ſit appetitus præconſiliati*; ergò conſilium eſt inquiſitio rationis. m. prob. in rebus agendis multa incertitudo invenitur; quia actiones ſunt circà ſingularia contingentia, quæ propter ſuam variabilitatem ſunt incerta, in rebus autem dubijs et incertis ratio non profert judicium abſque præcedente inquiſitione. Ergò neceſſaria eſt inquiſitio rationis antè judicium de rebus agendis. Ex his *3. Ethic.*

Colliges; quòd cùm S. D. hîc in præſenti dicit, conſilium eſſe diſquiſitionem rationis, non loquatur de conſilio ſecundùm rationē analogam cōmunem Deo, Angelis & hominibus, ſed de conſilio, ſecundùm quod invenitur in homine ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, ubi non habet certitudinem de rebus agendis, ac proindè mediante diſcurſu venit in notitiam agendorum.

Digitized by Google

Concluſio 2.

Conſilium propriè eſt circà ea, quæ ſunt ad finem. Iterùm S. D hic.

3. Probatur. Conſilium eſt inquiſitio rationis; ergò eorum eſt conſilium, ſuper quæ cadere poteſt inquiſitio; hæc autem nequit cadere ſuper finem, ut talis eſt; ergò &c. ſubſumptum prob. Quia finis in operabilibus habet rationem principij, eò quòd rationes eorum, quæ ſunt ad finem, ex fine ſumantur; ſicut ratio concluſionum ſumitur ex principijs, ſeu præmiſſis; principia autem non cadunt ſub inquiſitionem, ſed ſupponuntur in omni inquiſitione. Ergò &c.

Concluſio 3.

Conſilium eſt propriè circa ea, quæ à nobis aguntur S Th. hìc

4. Probatur. Conſilium propriè importat collationem inter plures habitam, prout ipſum nomen deſignat; dicitur autem conſilium, quaſi conſilium, eò quòd multi conſideant ad ſimul aliquid conſiderandum; ſed hujusmodi collatio neceſſariò eſt circà contingentia, ad hoc; ut de ipſis aliquid certi cognoſci poſſit (circà ſingularia enim contingentia plures conditiones, & circumſtantias conſiderare oportet, quæ non facilè ab uno adverti poſſunt, atque adeo quod non occurrit uni, occurrit alteri) ſed hujusmodi cognitio de ſingularibus contingentibus ordinatur ad aliquid operandum à nobis. Ergò &c.

Hic in Reſpons. ad 4.

Notandum autem eſt, quòd juxtà S. D. poſſit quidem eſſe conſilium de his etiam, quæ ab aliis aguntur, ſed tamen quatenus ille ubiq; eſt quaſi unus nobiſcum, vel per unionem affectus, quâ ratione amicus meus dicitur *alter ego*

ego; & ideò bonus amicus conſiliatur de bonis amici ſicut de ſuis; vel per modum inſtrumenti; ſicut Dominus conſiliatur de his, quæ agenda ſunt per ſervum; nam agens principale, & inſtrumentale ſunt quaſi una cauſa, cùm unum agat per alterum.

Concluſio 4.

Conſilium non eſt de omnibus, quæ à nobis aguntur.

5. Probatur. Ea, de quibus eſt conſilium, habent dubitationem; ſed quædam eorum, quæ à nobis aguntur, & ſunt ad finem, non habent dubitationem. Ergò &c. M. patet. Quia conſilium eſt inquiſitio quædam, de illis autem inquirere ſolemus, quæ dubitationem habent. m. verò probatur: Tum quia in quibusdam eſt determinata via perveniendi ad finem, ut patet in his, quæ per artem fiunt (ars enim per ſuas regulas determinat media, quibus venitur ad finem; unde ſcriptum non conſiliatur, quomodo debeat tradere literas; quia hoc jam eſt determinatum per artem.) Tum etiam, quia quædam ſunt, de quibus non multùm refert, ut ſic vel aliter fiant, & iſta ſunt minima, quæ parùm juvant, vel impediunt reſpectu finis conſequendi; & quia parum pro nihilo reputatur. Hinc ratio de illis non conſultat.

Concluſio 5.

Licet inquiſitio conſilii ſit finita in actu, *nihil tamen prohibet, illud eſſe infinitum.* in potentiâ.

6. Probatur. 1 p. Quod habet principium, & terminum, eſt actu finitum: ſed inquiſitio conſilij habet principium, & terminum. Ergò &c. m. pro 1. p. prob. nam in inquiſitione conſilii duplex accipitur principium; unum

proprium ex ipſo genere operabilium, & hoc eſt finis, de quo non eſt conſilium; aliud verò eſt quaſi ex alio genere aſſumptum; ſicut & in ſcientiis demonſtrativis una ſcientia ſupponit aliqua ab aliâ, de quibus non inquirit, & de his non eſt conſilium, ſed ſupponuntur in conſilio tanquàm principia. Ergò &c. Probatur eadem. m. quo ad 2. p. nam terminus inquiſitionis eſt id, quod eſt in poteſtate noſtrâ, ut ſtatim faciamus; ſicut enim finis habet rationem principii, ita quod agitur propter finem, habet rationem concluſionis, adeóque quod primum agendum occurrit, habet rationem ultimæ concluſionis, ad quam inquiſitio terminatur; ergò inquiſitio conſilii habet ultimum terminum. Probatur. 2. p. concl. nam cùm conſilium ſit circà ea, quæ à nobis aguntur, quæ ſunt infinita in potentiâ, poteſt unum conſilium ſequi alterum, & ſic deinceps &c. Et ſic poteſt eſſe infinitum *ſyncategorematicè*.

§. 6.

De Conſenſu.

Quia etiam conſenſus antecedit electionem, ut eius cauſam, ideò etiam poſt conſilium agit S. D. de illo. Sumitur autem conſenſus dupliciter; uno modò latè pro quacunque complacentiâ de objecto, & ſic etiam circà finem poteſt eſſe conſenſus, id eſt, complacentia, ſeu fruitio. Alio modo ſumitur ſtrictè pro complacentiâ collativâ, quia placet aliquid in ordine ad aliud; & ſic placent media cum ordine ad finem, & hoc propriè ſonat nomen conſenſus. Et quia offerri poſſunt plura media in ordine ad unum finem, & omnia placere, hoc tamen

omnia

omnia eligi (electio enim eſt determinatiua unius me-dij) idcircò conſenſus præcedit electionem.

Concluſio 1.

Conſenſus eſt actio ſolius facultatis appetitivæ, ſeu voluntatis. Eſt S. D. hîc.

1. Probatur. Conſentire importat applicationem ſensûs ad aliquid in ſe præſens, ſed actus facultatis appetitivæ eſt talis applicatio (eſt enim quædam inclinatio ad rem ipſam ſecundùm quandam connexionem, & conjunctionem cum illâ, adeóque ad rem ſe ipsâ præſentem) ergò applicatio facultatis appetitivæ ad rem, cui inhæret, accipit nomen conſensûs.

Concluſio 2.

Conſenſus propriè loquẽdo non eſt in brutis. Ita enim S. D. hîc.

2. Probatur. Quia ut dictum eſt, conſenſus importat applicationem motûs appetitivi ad aliquid agendum; ſed bruta non applicant motum appetitivum ad aliquid agendum. Ergò. m. prob. ille enim dicitur applicare motum appetitivum ad aliquid agendum, in cujus poteſtate eſt motus appetitivus; ſicuti tangere lapidem convenit equidem baculo, ſed applicare baculum ad tactum lapidis, eſt ejus, qui habet poteſtatem movendi baculum; atqui bruta animalia non habent in ſuâ poteſtate motum appetitivum, quia talis motus eſt in eis ex inſtinctu naturæ. Licet ergò brutum animal appetat, non tamen applicat motum appetitivum ad aliquid. Ergò.

Concluſio 3.

Conſenſus propriè loquendo *non eſt de fine, ſed tantùm de his, quæ ſunt ad finem.*

Digitized by Google

3. Explico. Licet tam conſenſus, quàm electio ſint actus voluntatis, & verſentur circà media appetendo illa, non tamen ſunt omninò idem actus, ſed quandòque inter ſe diſtinquuntur *realiter*, quandóque verò ſolâ *ratione*; quia tam electio, quàm conſenſus ſequitur conſilium rationis; contingit autem quòd per conſilium quandóque inveniantur plura media conducentia ad finem, aliquando verò unum duntaxat. Quando invenitur unum tantùm medium utile ad finem conſequendum; tunc conſenſus, & electio non differunt realiter, ſed ſolâ ratione; nam ſecundùm quod tale medium placet in ordine ad agendum, ſic actus voluntatis dicitur *conſenſus*; ſecundùm quod autem hoc medium præfertur alijs, quæ non placent, ſic idem actus voluntatis dicitur *electio*; quòd ſi verò inveniantur plura media conducentia ad finem, tunc conſenſus & electio realiter differunt; hoc enim modo conſenſus eſt prior electione; quatenùs enim voluntas complacet in omnibus illis medijs, ſic dicitur conſentire in quodlibet eorum; quatenùs verò ex multis, quæ placent, unum præacceptat præ alijs, ſic dicitur eligere: unde electio addit ſuprà conſenſum relationem ad id, cui aliud præfertur. Jam

4. Probatur Concl. Quia conſenſus dicit applicationem motûs appetitivi ad aliquid, quod eſt in poteſtate applicantis; ſed appetitus finis (maximè ultimi) non eſt in noſtrâ poteſtate, quia voluntas naturaliter in illum tendit. Ergò applicatio motûs appetitivi in finem apprehenſum non habet rationem conſenſûs, ſed ſimplicis voluntatis.

Con-

Confirmatur; Quia conſenſus ſequitur conſilium (eſt enim applicatio motûs appetitivi ad determinationem conſilij juxtà dicta) ſed conſilium non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem. Ergò nec conſenſus.

Concluſio 4.

Conſenſus in actum ſpectat ſolummodò ad rationem ſuperiorem. Ita S. D. hîc.

5. Explico. Dicimus, conſenſum in actum ſpectare ad intellectum non *elicitivè* (nam ut diximus, conſenſus eſt actus elicitus facultatis, ſeu potentiæ appetitivæ) ſed *directivè*; quia ſcil. conſenſus procedit à voluntate, ſecundùm quod dirigitur per rationem mediante conſilio. Et ideò S. Th. non dicit abſolutè, quòd conſenſus pertineat ad rationem ſuperiorem, ſed ſecundùm quod in ratione includitur voluntas, ut idcircò inſinuet totale principium conſensûs tam *directivũ*, quod eſt intellectus, quàm *elicitivum*, quod eſt voluntas.

Probatur Concl. Quia conſenſus in actum eſt finalis ſententia, approbans ea, quæ ſunt agenda; ſed finalis ſententia pertinet ad Judicem ſuperiorem. Ergò conſenſus in actum pertinet ad ſuperiorem animæ partem, quæ habet de omnibus judicare. m. prob. Quia quàmdiu exſpectatur ſuperioris alicujus ſententia, nondum fertur ultima ſententia. Quare

6. *Notandum eſt*, quòd potentia intellectiua dicatur ratio, quatenùs ex principiis per diſcurſum procedit ad concluſiones; hæc autem eadem ratio dicitur ſuperior, & inferior ſecundùm diverſam formalitatem, velut docet S. D. quatenùs enim procedit per cauſas ſuperiores, divinas, & æternas, dicitur ratio *ſuperior*; quatenùs verò *1 p. q. 79. a. 9. in corp.* pro-

procedit per rationes inferiores, temporales & humanas, vocatur ratio *inferior*; vg. ratio *ſuperior* dictat abſtinendum eſſe à peccato; quia per illud offenditur Deus tanquàm Summum Bonum; ratio autem *inferior* dictat idem, quia peccatum turpe eſt, quia cauſat infamiam &c. dicit itaq; S. D. ad rationem ſuperiorem ſpectare conſenſum in opus; quia conſenſus in opus eſt finalis ſententia; finalis autem ſententia ſpectat ad rationem ſuperiorem, ſicut & in aliis ad Judicem ſuperiorem.

§. 7.
De Uſu.
Concluſio 1.

Uſus primò, ac principaliter eſt actus voluntatis, *tanquàm primi moventis; eſt autem uſus actus* rationis, *tanquàm primi dirigentis; & aliarum denique potentiarum, tanquàm exequentium.*

1. Explico. Uſus communiter diſtinguitur in activum & paſſivum. Uſus *activus* competit voluntati, tanquàm activè applicantis alias potentias ad ſuas operationes; *paſſivus* verò convenit alijs potentijs motis, & applicatis à voluntate; & hic uſus paſſivus non diſtinguitur *realiter* ab ipſis operationibus aliarum potentiarum, ſed *formaliter* tantùm; nam eadem viſio vg. eſt *formaliter* viſio per ordinem ad ſuum objectum, ſcil. colorem: per ordinem verò ad voluntatem, cui viſio illa ſubijcitur, eſt uſus paſſivus. Et hinc ſatis fit difficultati illi, quæ à quibuſdam moveri ſolet; an ſcil. uſus ſit actus voluntatis *elicitus*, an verò *imperatus*? Dicitur enim uſum *activè* ſumptum eſſe actum voluntatis elicitum, *paſſivum* verò eſſe actum duntaxat imperatum.

Ratio

Ratio prioris eſt; quia uſus eſt voluntatis tanquàm movencis. Ratio autem poſterioris eſt; quia uſus *paſſivus* eſt ipſa executio potentiarum, voluntati inſervientium. Jam

2. Probatur Concl. Uſus alicujus rei importat applicationem illius rei ad aliquam operationem; ſicut vg. uſus calami dicit applicationem calami ad ſcribendum; ſed voluntas applicat alias animæ potentias ad ſuas operationes, vg. intellectum ad intelligendum, oculum ad videndum &c. Ergò uſus primò ac principaliter eſt voluntatis, tanquàm primi moventis; et quia ratio dirigit voluntatem, hinc etiam uſus ſpectat ad rationem, ut dirigentem; aliæ verò potentiæ comparantur ad voluntatem, à quâ applicantur ad agendum, ſicut inſtrumenta ad agens principale; actio autem propriè non tribuitur inſtrumento, ſed principaliter agenti; ergò *uti* non erit propriè aliarum potentiarum, ſed tantùm ut exequentium.

Concluſio 2.

Uti *propriè non convenit brutis, ſed tantùm rationalibus creaturis.* Ita D. Angel.

3. Probatur. Quia *Uti* eſt applicare aliquod principium actionis ad actum, ſicut conſentire eſt applicare motú appetitivum ad aliquid appetendum juxtà dicta; ſed applicare aliquid ad alterum non eſt niſi ejus, quod habet ſuper aliud arbitrium, ſeu poteſtatem, adeóque quod ſcit referre aliquid ad alterum, quod ad rationem pertinet. Ergò &c.

Concluſio 3.

Uſus *propriè dictus* ſimpliciter *verſatur circà media.* Ita S. Th.

Digitized by Google

4. Probatur. Uti propriè ſumptum dicit applicationem alicujus rei ad quid aliud, quod ſcil. ſe habet, ut finis illius, quod applicatur; ſed quod ſic applicatur ad aliud, eſt medium. Ergò uſus propriè talis verſatur circà media. Attamen

Notandum eſt, quòd etſi licitum ſit amare Deum amore *concupiſcentiæ*, adeóque amare propter aliud, quâ ratione etiam per ſpem amamus Deum, quia illum nobis ſperamus; ex hoc tamen non ſequatur, quòd Deus ſit objectum recti uſûs. Ratio diſparitatis in hoc eſt; quia id, quod amatur amore *concupiſcentiæ* amatur aliud, non tanquàm propter finem *cujus*, ſed tanquàm propter finem *cui*, qui eſt ipſum ſubejectũ, cui bonum volumus; per hoc autem quod amatur Deus propter aliud, tanquàm propter finem *cui*, ſalvatur adhuc, quòd Deus ſit finis ultimus *cujus*, ſiquidem ipſe eſt principaliter intentus; at verò objectum uſûs, ſicut & electionis eſt medium, in quantùm hujusmodi; Deus autem nequit habere rationem medij, ut talis; ſic enim tolleretur ab eo ratio ultimi finis; ergò nequit eſſe objectum recti uſûs. Atque hoc eſt, quod dixit S. Auguſt. omnem perverſitatem voluntatis humanæ in eo ſitam eſſe, quòd utatur fruendis, & fruatur utendis. Item; bonos ad hoc uti mundo, ut fruantur Deo; malos autem econtrà, ut fruantur mundo, ſaltem quantùm ad affectum, & modum operandi; quia illum poſtponunt alteri rei, in quâ rationem ultimi finis collocant. Ex dictis univerſim.

lib. 19. de civit. c. 7.

Mutuus intellectûs, & voluntatis proceſſus in appetitione finis, & mediorum.

5. *Colliges*, quis & qualis ſit proceſſus voluntatis, dum tendit in finem, eúmque appetit. Inprimis enim intellectus cognoſcit bonum per modum finis præcisè, ſeu ob-

jecti

Digitized by Google

jecti voluntatis. Tum 2. eundem ita cognitum proponit voluntati, quem ita ſibi propoſitum efficaciter vult, & amat voluntas, ſicque ſequitur efficax volitio, & intentio finis per media accomoda. 3. Cùm finis, ut ſic, nequeat acquiri, niſi per media, idcircò ex efficaci intentione finis, voluntas applicat intellectum ad quærenda media apta; unde intellectus conſulit de medijs utilibus, & hinc ſequitur conſiliũ. 4. Intellectus ea, quæ invênit media utilia, proponit voluntati, cujus alius actus ſequitur, qui nominatur conſenſus, quo placent & approbantur media conſilio adinventa. 5. Intellectus judicat de ipſis medijs, quænam ſint aptiora, magiſque utilia in ordine ad aſſequendum finem; quod judicium rurſus ſequitur actus voluntatis, qui dicitur electio, quo voluntas ex medijs propoſitis eligit illa, quæ magis utilia fuerint judicata. Tandem verò, ut ex ordine *intentionũ*, qui terminatur in hac mediorum electione, fiat tranſitus ad ordinem *executionũ*, neceſſarius eſt actus intellectûs, qui dicitur imperium, quoque excitatur, & moraliter movetur voluntas ad operandum; licet enim per actus præcedentes voluntas ſit diſpoſita atque inclinata ad agendum, poteſt nihilominùs apparere nova difficultas, aut ſaltem inſtante exercitio, alio modo apparere, quàm prius apparuerat. Quare opus eſt, ut detur aliquis actus, quo voluntas efficaciter applicetur ad opus, qui dicitur imperium, & hic actus eſt, à quo ordo incipit *executionis*; quia tamen actus imperij debet efficaciter movere ipſam voluntatem ad opus ex vi præcedentis actûs ipſiùsmet voluntatis, quo *virtualiter* ſaltem vult hoc imperium, inde fit, quòd voluntas dicatur primum movens quoad *exercitium*. Ad hunc

Digitized by Google

porrò ultimum intellectûs actū ſequitur & ultimus actus voluntatis circa media, qui uſus vocatur, quoque voluntas applicat cæteras animæ potentias operativas ad agendum. Quibus omnibus ritè poſitis tandem ſequitur operatio, poſt hanc conſecutio finis, túmque ultimò perfecta fruitio vel delectatio de fine feliciter obtento. En mutuum in operando, intellectûs ac voluntatis proceſſum.

§. 8.
De Imperio.

Poſtquam de actibus à voluntate *elicitis* diſſeruit S. Th. conſequenter modò conſiderat de *imperatis*, ac primùm quidem de ipſo imperio, cujus hoc ſit potentiæ, poſtea verò etiam, quinam actus imperentur, examinat. Non eſt autem hîc ſermo de illo *imperio*, quo quiſpiam alteri imperat, quod ad tractatum de legibus ſpectat; ſed de illo, quo quiſpiam ſibimet ipſi.

Concluſio 1.

Imperare *eſt actus rationis, præſuppoſito tamen actu voluntatis.* Ita S. D. hîc, quem ſequitur communis Thomiſtarum. Sed

1. *Notandum eſt 1.* Ad imperium duo neceſſariò prærequiri. Primum eſt, quòd per imperium quiſpiam ordinetur ad aliquid agendum, intimando ipſi, quid agendum ſit. Secundum eſt, quòd imperio aliquis ad quidpiam agendum moveatur & applicetur; unde fit, ut licet ſuperior intrà ſe tacitè aliquid ordinet, alteri tamē ſuam ordinationem non intimet, nec dum ſit imperium; imò quantumvis ſuperior id intimaret ſubdito, ſed ſolùm quaſi narrando ſine juſſione, vel motione, dicendo vg. *hoc*

hoc tibi eſt faciendum; nec dum propriè foret imperium. Unde imperium propriè, formaliterque dictum, eſt *ordinatio quadam, intimata non modo* narrativo, *ſed* impulſivo, dicendo ſcilicet alicui; *fac hoc.*

2. *Notandum 2.* Ad hoc ut voluntas applicet potentias executivas ad exercitium operis, neceſſariò præ-requiri imperium. Licet quidem Vaſq. ſcholis contrarium inducere conatus ſit, hoc tamen contrà communem DD. ſententiam, & manifeſtam rationem. Quod probatur; nomine imperij hîc intelligimus actum efficacem intellectûs, quo voluntas ordinatur ad uſum potentiarum ſibi ſubditarum; ſivè, quo voluntati imperatur uſus & applicatio potentiarum, ad exercitium operis ſibi ſubjectarum; ſed talis actus eſt neceſſarius propter novam difficultatem, vel ſaltem novum difficultatis modum in ipſo operis exercitio occurrentem; unde multos ſæpiùs videmus, qui licet optima quandoque conſilia animo voluerint, prudenter judicarint, optimè elegerint &c. ipſum tamen opus, vel medium electum in executionem, uſumque nequeant deducere, impediente ſcilicet paſſione, aut novâ quâdam difficultate. Ut igitur opus, ſeu medium electum executioni mandetur, neceſſarium eſt, ponere imperij actum, quo non obſtante ejusmodi difficultate, aut paſſione voluntas moveatur, atque dirigatur ad efficaciter applicandum pro exercitio operis ipſas potentias executrices. *hîc diſp. 49. c. 4.*

3. *Notandum 3.* Judicium practicum in hoc ab imperio differre, quòd judicium practicum abſolutè dictet, aliquid eſſe faciendum, itáque eſſe poſſit inferioris ad

Digitized by Google

ſuperiorem; econtrà verò imperium inſuper dicat ordinationem quandam illius, cui imperatur, ad quidpiam faciendum, ſoleátque explicari per verbum modi imperativi dicendo; *fac hoc*; adeóq; propriè loquendo non fit, niſi ſuperioris ad inferiorem; ſicque imperium ex propriâ ſui ratione inducit obligationem in eo, cui imperatur. His ritè notatis

4. Probatur 1. p Concl. quia imperare nihil eſt aliud, quàm ordinare aliquem ad quidpiam agendum cum quadam intimativâ motione, ut docet S. Thom. ſed ordinare per modum cujusdam motionis intimativæ, eſt rationis, & intellectûs (ordinare enim eſt dirigere in finem præcognitum, includítque comparationem unius ad alterum, quod ad actum rationis ſpectat, & intellectûs) Ergò &c. — *hìc a. 1.*

Probatur etiam 2. p. Quia ſecundum movens non movet, niſi in virtute primi moventis, ſed quantùm *ad exercitium* primum movens eſt voluntas (ejus enim potentiæ eſt primò movere, *quo ad exercitium*, cujus eſt reſpicere finem) ergò *quo ad exercitium* nullum aliud movens poteſt movere potentiam aliquam, niſi in virtute voluntatis, ut primi moventis.

Concluſio 2.

Actus voluntatis ad imperium immediatè præſuppoſitus, eſt actus electionis, in cujus virtute intellectus imperat & movet; neq; requiritur aliquis alius voluntatis actus diſtinctus.

5. Probatur ex ſuprà dictis; quia ipſa electio ſicut eſt applicatio voluntatis ad agendum, ita etiam eſt applicatio intellectûs ad imperandum. Unde S. Thom. ſic dicit; *poſt determinationem concilij, quæ eſt judicium rationis,* — *in præſenti art. 3. ad 1.*

nis,

us, voluntas eligit, & poſt electionem ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod eligitur, ubi, ut patet, nullius alterius actûs voluntatis, præter electionem mentionem facit. Ergò &c. Ex dictis facilè

6. *Colliges.* 1. quod imperare non conveniat brutis. Et ratio eſt; quia imperare eſt actus rationis, quâ deſtituta ſunt bruta animantia.

Colliges. 2. Uſum illum, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem mediorum, ſubſequi ad imperium. cujus ratio eſt; quia ſemper prius eſt, quòd intellectus imperet, quid ſit faciendum; quàm quòd potentiæ applicentur ad operandum, & faciant id, quod eſt imperatum. Dixi autem *uſum illum, quo voluntas applicat alias potentias &c.* quia ſi uſus ſumitur pro actu voluntatis, quo hæc movet intellectum ad conſultandum de mediis, ſic præcedit Imperium; quia uſus, ſic ſumptus præcedit electionem; ergò multò magis Imperium; quia imperium ſequitur electionem. Ergò.

Concluſio 3.

Sub Imperium cadunt (1.) aliqui actus intellectûs, & (2.) voluntatis & (3.) aliquo modo actus appetitûs ſenſitivi; & etiam (4.) motus membrorum, quæ ſunt inſtrumenta potentiarum animæ ſenſitivæ; non tamen (5.) directè actus, & motus animæ vegativæ; ſicut neque (6.) motus membrorum, quæ ſunt inſtrumenta potentiarum, animæ vegetativæ.

Ita S. D. quem ſequitur communis D.D. Et *artic. cit.*

7. Probatur 1. 2. 3. & 4. pars Concl. ex eo, quia ut diximus., imperium nihil eſt aliud, quàm actus rationis cum quadam motione ad quidpiam agendum; ſed ratio poteſt in primis ordinare aliquid circa actum intellectûs,

Digitized by Google

lectûs, vg. ut conſentiat, vel diſſentiat objectò propoſito, quando non convincitur ipſius euidentiâ; item poteſt ordinare aliquid de actu voluntatis, ut ſcilicet applicet potentias executrices ad executionẽ mediorũ; ſimiliter poteſt etiã ratio ordinare aliquid de actib, appetitûs ſenſitivi, vg. ut continuentur vel terminentur, & conſequenter, etiam ordinare poteſt aliquid circà motus membrorum, qui procedunt à potentijs ſenſitiuis; quia, ut inquit S. D. *hic a. 9.* eo modo, quo potentiæ animæ ſe habent adhoc, ut obediant rationi, hoc modo etiam ſe habent corporis membra, cùm ſint velut organa potentiarum animæ.

Probatur etiam 5. & 6. pars; quia potentiæ inferiores eatenus ſubſunt imperio rationis, quatenus ſequuntur apprehenſionem: ſed actus animæ vegetativæ, & earum potentiarum, quæ ſunt illius inſtrumenta, non ſequuntur apprehenſionem, ſed potiùs appetitum naturalem. Ergò &c. Dixi tamen (1.) in concluſione; aliquos actus intellectûs & voluntatis ſubdi imperio rationis, quia non omnes ſubduntur; quia ſimplex rei apprehenſio, ſicut & aſſenſus eorũ, quibus intellectus velut primis principiis neceſſariò, naturalitérq; aſſentitur, aut quæ euidenter ex his deducuntnr ſub imperium rationis non cadunt; eo quòd intellectus illis neceſſitate quadam aſſentiatur. Similiter neq; omnes etiam voluntatis actus cadunt ſub imperium; ſiquidem primus voluntatis actus, cùm non ſupponat, alium ita cadere nequeat. Dixi (2.) actus appetitûs ſenſitivi aliquo modo ſubdi imperio rationis; quia non *totaliter* ſubduntur; neq; enim ſemper ſatis tolli, aut impediri poſſunt ab imperio rationis; propterea quòd non ſemper in noſtrâ ſit poteſtate, ſtatim tollere,

Digitized by Google

lere imaginationem, ex quâ motus illi oriuntur, ut patet, quando objectum doloris, aut voluntatis eſt præſens, & ſenſu percipitur; item quando imaginatio provenit ex alteratione humorum, quæ actum imaginationis ſibi convenientem excitat, eúmq; firmiorem facit; & deniq; quando imaginatio ab aliqua causâ extrinſecâ excitatur, ut à Deo, vel Angelo. In his enim & ſimilibus caſibus nequit voluntas omninò tollere motum appetitûs ſenſitiui, qui neceſſitate quadam ex imaginatione ſequitur; ſicut enim voluntas non movet appetitum inferiorem, niſi excitando imaginationem, ita nec eius motum tollit, niſi ſubtrahendo. Dixi (3.) quòd actus & motus animæ vegetatiuæ *directè*, & *ſecundùm ſe* non cadant ſub imperium; quia eidem *indirectè* ſaltem, & aliquo modo ſubſunt, quatenus ſcilicet per ſubtractionem, vel miniſtrationem alimenti, potentiæ vegetatiuæ applicari poſſunt ad ſuas operationes, vel etiam ab ijs impediri; ſed hæc ſubtractio *directè* ſubjacet imperio rationis; ergò etiam (*indirectè* ſaltem) motus, & actus animæ vegetativæ.

CAPUT V.

De circumſtantijs actuum humanorum.

RECto ordine Divus Thomas paulò poſt tractatum de voluntario inſtituit tractatum de circumſtantijs; tum quia prius agendum eſt de his, quæ pertinent ad eſſentiam, deinde de accidentibus; voluntarium verò eſt de ratione eſſentiali actûs humani, circumſtantia autem ejus accidens.

Tum quia cùm S. D. in fine tractatûs de voluntario egerit de hoſtibus voluntarij, qui ſunt violentia, metus, concupiſcentia, & ignorantia, neceſſe fuit, eum mox agere de circumſtantijs, eò quòd circumſtantiæ quoq; aliquando ſint cauſæ involuntarij, quatenus non ſolùm ſubſtantiæ, ſed aliquarum etiam circumſtantiarum ignorantia cauſat involuntarium. Sit igitur

§. 1.

De quidditate, & numero circumſtantiarum.

Non loquitur S. Thom. hîc de circumſtantijs in genere *naturæ*, quæ impertinenter ſe habent ad actum moralem, neque ab actione, ejusque regulis dependent, vel menſurantur, quales ſunt vg. quòd occidens ſit indutus veſte albâ, vel nigrâ; quòd occiderit ſtans aut ſedens, antè vel poſt prandium &c. loquitur ergò de circumſtantijs, quæ conducunt ad hoc, ut ipſa moralitas hoc, illóve modo ſe habeat, augeatur, aut diminuatur; cujusmodi ſunt vg. occidere perſonam ſacram; furari in loco ſacro &c.

Concluſio 1.

Circumſtantia eſt accidens humani actûs, ad ejus bonitatem vel malitiam pertinens. Ita S. D. hîc. Vel quod in idem recidit; *circumſtantia eſt quædam particularis conditio, extra eſſentiam actûs exiſtens, ad ipſum autem aliquo modo pertinens.* Sic enim eam definit Buridanus, & eam admittit Cornejo.

lib. 3. Ethic. q. 12. hîc art. 6. diſp. 4. in principio.

1. Explico. Circumſtantiæ vocabulum à *circumſtando* dicitur; quemadmodùm enim circumſtare locum dicitur id, quod equidem in loco ipſo non eſt, ſed tamen à loco

à loco procul non eſt; ita quædam actûs humani accidentia dicuntur circumſtantiæ, quia non ſunt quid intrinſecum ſubſtantiæ actûs, & tamen ad illam aliquo modo ſpectant; ſicut námque res naturales corporales habent aliqua accidentia convenientia, quæ non ſint de eſſentia, ſeu quidditate ipſarum, ſint tamen de earum perfectione; ſic actus humani præter perfectionem eſſentialem, quam ſumunt ex objecto, requirunt accidentia aliqua convenientia, quæ dicuntur circumſtantiæ humanorum actuum. Et per hæc in præſenti intelligitur ſecunda circumſtantiæ definitio. In primâ porrò

2. Dicitur (1.) quòd ea ſit *accidens actûs humani*: quæ particula eſt loco generis; quia agere de circumſtantijs non ſolùm pertinet ad Theologum, ſed & ad Juris prudentem, ac Rhetorē, non tamen eodem fine; Rhetor enim de ijs agit, in quantùm ſunt ſedes, unde petantur argumenta, & rationes ad amplificandam orationem. Juriſperiti verò de ijs diſputant, in quantùm aggravare, vel alleviare poſſunt pœnam; ut ſi occidit animo occidendi, ſi dolosè &c. ſi furtum fuit magnū, vel parvum &c. Et denique Theologus varijs titulis, ideóque varijs in locis de illis agit; ſecundùm quod enim circumſtantia ignorata poteſt eſſe cauſa involuntarij actûs, & ſecundùm quod eſt ejus accidens, conſiderat circumſtantias in hoc loco. Deinde ſecundùm quod circumſtantia conducit ad hoc, ut opus humanum ſit bonum, vel malum, agit de illis infrà. porrò ſecundùm quod aggravat peccatum &c. tractat de illis infrà. Et rurſùs quatenus pertinent ad in-

Cicero lib. 1. de inventione

ex leg. aut facta. *ff.* de pœnis.

q. 18. a. 1. & 1. 2. q. 73. a. 7. & q. 88. a. 5. q. 9. a. 2, & in 4. diſtinct. 16. 17. & 18.

Digitized by Google

tegritàtem confeſſionis, diſputat de illis in additionibus ad 3. partem. Dicitur (2.) in primâ definitione: *pertinens ad ejus bonitatem, vel malitiam &c.* quâ particulâ differt, & diſtinguitur circumſtantia ab alijs accidentibus actûs humani, quæ nihil conducunt ad bonitatem, vel malitiam actûs, ut quòd quis occiderit manu dextrâ, vel ſiniſtrâ, horâ quartâ, vel quintâ &c. Et verò licet particulam hanc expreſsè hoc articulo S. D. non ponat, ſatis tamen indicat eam, dum ait: *dicitur autem in localibus aliquid circumſtare, quod eſt quidem extrinſecum à re, tamen attingit ipſam; & ideò quæcunque conditiones ſunt extrà ſubſtantiam actûs, & tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumſtantiæ dicuntur.* Ponderentur hæc ultima: *& tamen attingunt aliquo modo actum humanum*: denotatur enim per hæc, circumſtantias debere attingere actum humanum, ut humanum, quod non faciunt, niſi quatenus augent bonitatem, vel malitiam ejus; ſed hoc ipſum expreſsè docet artic. ſeq. Ex his

3. *Colliges 1.* Omnem circumſtantiam, quatenus talem, attentâ ejus naturâ, & ratione, eſſe accidens actûs humani. Neque enim vel Ariſtoteles, vel Niſſænus, vel Damaſcenus aliter circumſtantias acceperunt. Et probatur; quia id, quod eſt extrà ſubſtantiam rei, aliquo tamen modo pertinens ad ipſam rem, dicitur eſſe accidens illius; ſed ut jam patet, circumſtantiæ ſunt extrà ſubſtantiam actûs humani, & tamen pertinent ad ipſum, ſive, aliquo modo attingunt ipſum. Ergò circumſtantiæ ſunt accidentia actuum humanorum. Dixi autem *circumſtantiam quatenus talem, & attentâ ejus*

jus naturâ: quia hic loquimur de circumſtantijs, quando manent intrà limites circumſtantiæ; quando ſcilicet vel ſuperaddunt quandam novam ſpeciem moralem, ſed tamen *accidentalem* tantummodò (ut dum quis furatur propter mœchiam, accidit quidē furto malitia illa ordinandi ſe ad mœchiam; *eſſentialiter* tamen in ſe eſt furtum, & *accidentaliter* ſolùm mœchia) vel quando ſuperaddunt ſolùm aliquem modum quaſi aggravationis, vel alleviationis vel aliquid ſimile intrà eandē ſpeciē (uti furtum centum ducatorum addit aggravationē ad furtum decem, ſed non ad novam ſpeciem) hoc loco non eſt ſermo de circūſtantijs, quando tranſeunt in cōditionem objecti, ut dum quis dat eleemoſynam propter vanam gloriam; tunc enim circumſtantia *propter quid* deſtruit bonitatem *objectivam*, locóque ejus præbet malitiam; & quia malitia, quam præbet, eſt prima in illo actu, nec ſupponit priorem, ideò præbet malitiam *eſſentialem*, & non tantùm *accidentalem*.

4. *Colliges* 2. Conſiderationem circumſtantiarum maximè ad Theologum pertinere. Probatur tripliciter (1.) quia Theologus conſiderat actus humanos, ſecundùm quod homo per eas ordinatur in finem, puta, beatitudinem; quidquid autem ordinatur in finem, debet eſſe proportionatum fini; actus verò humani non poſſunt eſſe proportionati fini, qui eſt beatitudo, niſi fiant cum debitis circumſtantijs. Ergò. (2.) quia Theologus conſiderat actus humanos, ſecundùm quod in illis invenitur bonum & malum; ſed hoc diverſificatur ſecundùm circumſtantias, ut infrà patebit. Ergò. (3.) Theologus conſiderat actus humanos, ſe-

cundùm quod ſunt meritorij, vel demeritorij, & conſequenter quatenus ſunt voluntarij; ſed actus humanus dicitur voluntarius, vel involuntarius juxtà cognitionem, vel ignorantiam circumſtantiarum. Ergò.

Concluſio 2.

Numerus Circumſtantiarum in humanis actibus convenienter exprimitur hoc verſu;

Quis? Quid? Ubi? Quibus auxilijs? Cur? Quomodo? Quando?

Ita S. D. hìc ex Tullio, & Ariſtotele, cui concordant S. Gregor. Niſſænus, Damaſc. & Baſilius, quos ſequuntur Cajet. Conradus Soto, Medina, Suarez, Martinez, Corneio, & Caraſa.

loc. ſuprà cit. lib. 2. fidei 1. c. 24. lib. 4. different. Topic. comment. ſuper hanc q. 5. hoc artic. Diſp. 5. ſect. 2. n. 3. diſp. 16. in fine hos art.

5. Probatur Concluſio efficaciter. Tot ſunt genera circumſtantiarum, quot ſunt modi afficiendi extrinſecè actum humanum; ſed hi ſunt Septem, nec plures, nec pauciores. Ergò. M patet ex dictis; quia circumſtantia dicitur quaſi actus extrà ſubſtantiam exiſtens, ita tamen, ut eum aliquo modo afficiat. m probatur; quia circumſtantiæ poſſunt tripliciter actum voluntatis afficere (1.) *ſecundùm ſe.* (2.) *cauſam*; & (3) eius *effectum*; ſi circumſtantia attingit actum ipſum tunc hoc fit, vel per modum menſuræ, & ſic habentur duæ circumſtantiæ, ſcilicet *Quando*, & *Ubi*; vel hoc fit per modum qualitatis actûs, & ſic rursùs habetur una circumſtantia, quæ eſt modus agendi, denotatus per ly *Quomodo*. Quòd ſi verò circumſtantia attingat effectum actûs, tunc conſideratur, quòd aliquis fecerit, & habetur circumſtantia *Quid*. Et deniq; circumſtantia tenens ſe ex parte cauſæ ipſius actûs, eſt triplex juxtà tria cauſarum genera, *efficientis* ſcilicet vel agentis *principalis*, cui correſpondet circum-

circumſtantia *Quis*; *finalis*, cui reſpondet circumſtantia *Cur?* & cauſa *inſtrumentalis*, ratione cujus ponitur circumſtantia *Quibus auxilijs*; rectè ergò aſſignantur à S. Doctore ſeptem circumſtantiæ actuum humanorum.

6. Confirmatur *Concluſio.* Nam Luc. 1. Dum narratur annuntiatio ad B Virginem, in narratione illâ omnes ferè circumſtantiæ ponuntur. Et quidem *Quis?* dum dicitur; *Miſſus eſt Angelus Gabriel. Quid?* dum ait; *ad Virginem deſponſatam*; non enim ſine Myſterio eſt *ad Virginem*, & Virginem deſponſatam. *Circa quid*, quam tanquam octavam poſuit Ariſtoteles, & quæ à Tullio comprehenditur ſub circumſtantiâ *Quid?* ponit dicens: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabit nomen ejus Jeſum. Ubi?* dum dicitur: *in Civitatem Galileæ, Quo, ſeu quibus auxilijs?* dicens; *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Cur?* ut ſic conſenſum Virginis ſollicitet, quem illa præbet dicens; *Ecce ancila Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Quomodo?* non modò inquirens ait; *quomodo fiet iſtud?* Et tandem, *Quando?* cùm ſcribitur; *in menſe ſexto.* Ergò &c. 3 Ethic.

Concluſio 3.

7. *Principaliſſima omnium circumſtantiarum eſt propter Quid; ſecundaria verò Quid, aliæ porrò circumſtantiæ ſunt magis vel minùs principales, ſecundùm quod magis vel minùs ad has appropinquant.*

Probatur 1. p. Concl. actus propriè dicuntur humani, ſecundùm quod ſunt voluntarij: ſed objectum voluntatis eſt finis; ergò illa eſt principaliſſima omnium circumſtantiarum, quæ attingit actum ex parte finis, ſcilicet *unius gratiâ*, quæ eſt *propter quid?*

Proba-

Probatur. 2. p. quia circumſtantia *Quid fecit?* attingit ipſam ſubſtantiam actûs, quâ ratione aliæ circumſtantiæ eum non attingunt. Ergò &c.

§. 2.
De conſideratione Circumſtantiarum in particulari.

Numero circumſtantiarum determinato, conſequens eſt, ut ipſarum ſignificationes & naturam enodemus. Nam poſtquam de re aliquâ conſtat, quòd ſit, videndum reſtat, quid ſit.

Concluſio 1.

Circumſtantia Quis *non ſignificat ipſam ſubſtantiam perſonæ operantis, ſed conditionem, tenentem ſe ex parte illius; quæque conducat ad majorem bonitatem, vel malitiam actûs;* puta, quòd operans ſit conjugatus, Judex, Sacerdos &c. Pro quo

1. Explico, circumſtantiæ iſtæ ſunt in duplici differentiâ; quædam enim ſunt, quæ ita pertinent ad bonitatem vel malitiam actûs, ut illum trahant ad novam ſpeciem, reſpectu cujus ſpeciei, quam de novo cauſant, non ſunt circumſtantiæ, & accidentia, quia ſic pertinent ad ſubſtantiam & eſſentiam actûs; quo tamen non obſtante, reſpectu actûs præſuppoſiti, & ſpeciei illius, ſunt accidentia, & circumſtantiæ, utpote ejus ſubſtantiam, & eſſentiam; vg. furatur quis rem alienam, peccatum furti eſt, de cujus eſſentiali ratione eſt operans ſurripiens rem alienam; ſed accidit, ut furans ſit Religioſus, tunc ultrà rationem furti, peccatum eſt contrà paupertatem. Quòd ergò operans ſit Religioſus, hoc accidens eſt,

&

& circumſtantia reſpectu furti, & perſonæ furantis; quòd verò operans ſit Religioſus, eſt de eſſentiâ peccati proprietatis contrà paupertatem. Aliæ circumſtantiæ pertinent ad bonitatem, & malitiam actûs, quæ non conſtituunt novam ſpeciem, neq; actum trahunt ad novam ſpeciem, ſed intrà eandē ſpeciem aggrauant actum. Confert v.g. aliquis in alterum verba criminoſa, peccat; quòd ſi injurians ſit Religioſus, ex circumſtantiâ *Quis* graviùs peccat, quàm Laicus, ſed intrà eandem ſpeciem peccati. Quatenus igitur additur ad actum nova bonitas, aut malitia accidentariò ſuperveniens (ſive novam conſtituat ſpeciem, ſive ſolùm aggrauet præcedentem) conditio illa, quæ ex parte operantis pertinet ad conditionem perſonæ, eſt circumſtantia *Quis*.

Concluſio 2.

2. *Circumſtantia* Quid *ſignificat* actûs *obiectum, non quidem ſecundùm eam rationē, ſecundùm quā eſt de ſubſtantiâ* actûs; *ſed ſecundùm conditiones aliquas, accidentariò illi convenientes, quæ tamen conducant ad augmentum, ſeu diminutionem bonitatis, vel malitiæ talis actûs.* Itaq; ſicut circumſtantia *Quis* ſignat conditionem accidentalem, ex parte operantis; ita circumſtantia *Quid* conditionem accidentalem ex parte illius, quod quis operatur; ſiue ſit ex parte actûs, ſeu ex parte materiæ; ut quòd furtū ſit magnū, vel parvum; quæ circumſtantia pertinet ad *quantitatem*; ſive ex parte obiecti; ut quòd perſona, quam occidis, ſit pater, Clericus &c. quæ circumſtantia pertinet ad qualitatem. Unde patet, quòd eædem circumſtantiæ, quæ comprehenduntur ſub circumſtantiâ *Quis*, diverſo reſpectu etiam comprehendantur ſub circumſtantiâ *Quid*:

Digitized by Google

pertinent enim ad *Quid*, ut ſunt perſonæ, in quam, vel cum quâ peccas: pertinent autem ad *Quis*, quatenus talis perſona eſt peccans tecum, & tu cum illâ. Et ſic etiam hanc circumſtantiam explicat S. D.

hoc artic. & in ſolut. ad 3.

Jam Probatur Conclus. ratione ſæpè jam factâ; circumſtantiæ ſunt accidentia actûs humani, quæ illi ſuperveniunt, illúmq; circumſtant. Ergò non ſignant aliquid, ſpectans ad ſubſtantiam actûs, ſed conditionem adjunctam. Conſeq. eſt bona; antec. jam patet ex dictis.

Concluſio 3.

Ubi *denotat circumſtantiam loci, ex quâ actioni accreſcit aliqua bonitas, vel malitia.*

3. Explico. Circumſtantia hæc tripiciter aggrauare poteſt peccatum. 1. ratione indecentiæ, ut ſi quis in loco immundo celebret. 2. ratione excellentiæ loci, ut ſi occidat hominem in aulâ regiâ; vel ludat in Eccleſiâ &c. 3. quia ſpecialiter opponuntur ſanctitati, & conſecrationi loci ſacri, ut ſi quis fundat ſanguinem, aut ſemen in Eccleſiâ. Ratione huius tertij modi poteſt quis in Eccleſiâ peccare dupliciter; ſemel contrà ſpecialem ejus ſanctitatem, quod juxtà leges Canonicas contingit in tribus caſibus. 1. ſi contrà immunitatem Eccleſiaſticam extrahas eum, qui ad illam confugit. 2. ſi effundas ibi ſemen humanum, aut ſanguinem. 3. ſi ipſa bona Eccleſiæ ibidem fureris. Et tribus hiſce modis circumſtantia hæc non ſolùm aggrauat peccatum, ſed & ſpeciem immutat, conſtituens Sacrilegium. Alio modo poteſt quis peccare in Eccleſiâ contrà ejus Sanctitatem communi ratione; ut ſi in eâ murmures, dicas approbrium &c.

at

at hoc modo circumſtantia hæc non mutat ſpeciem, ſed eandem ſolùm aggrauat.

Concluſio 4.

Circumſtantia Quo, *ſeu* Quibus auxilijs, *ſignificat ex parte medij, ſeu cauſæ* inſtrumentalis *conditionem ejus accidentariam, ex quâ tamen actus ſumit majorem bonitatem, vel malitiam*; vg. quòd quis ad occidendum utatur armis prohibitis; vel ad percutiendum arundine, majoris ignominiæ causâ.

4. Probatur Conclus. Quia ſic intelligunt, & explicant hanc circumſtantiam omnes Sapientes, inprimis verò Ariſtoteles, S. Thomas & reliqui Theol. Sed tamen *lib. 3. Ethic. c. 1.*

Notandum eſt, quòd licet circumſtantia hæc plerumq; ſolùm aggrauet peccatum intrà eandem ſpeciem, tamen etiam ſpeciem alterius peccati involuat in duplici caſu. Primò; quando quis utitur medio de ſe prohibito, tunc non peccat quis contrà talem prohibitionem eo modo, quo illa obligat, ut ſi quis ad hoc, ut mulierẽ conſequatur, utitur pacto dæmonis, incantatione, vel maleficio. Secundò; quando quis ad malum finem utitur perſonis, quæ ad hoc non erant paratæ, ſed ſuaſione datis alijsué medijs inducuntur ad hoc. His caſibus ultrà peccatum principalis intentionis, uti tali medio, novum peccatum erit, vel mortale, vel veniale, juxtà modum, quo lex illa prohibens obligat. Sed prohibet tale medium.

Concluſio 5.

Circumſtantia Cur, ſeu finis *non ſignificat finem, quatenus eſt objectum ſpecificans actum* (hac enim ratione non

Digitized by Google

eſt circumſtantia, ſed pertinet ad eſſentiam actûs.) *ſed ſignificat finem* accidentariò *ſupervenientem actui*; v.g. vult aliquis furari, & accidit furto, ut illud ordinet ad mœchandum, tunc finis ille mœchiæ eſt circumſtantia reſpectu furti.

5. Explico. Ille qui furatur propter mœchîam poteſt ſe dupliciter habere; primò ita, ut utrumque velit tanquam finem, ſcilicet furari, & mœchari, ſed ordinando primum finem, tanquam medium ad mœchandum quâ ratione apparet, quomodo fini furti, qui eſt objectum ejus ſpecificativum, accidat finis mœchiæ, eo quòd fortè ad mœchiam ordinetur, & ſic ſit circumſtantia, & accidens actûs humani; licet reſpectu ſpeciei mœchiæ ſit objectum, eiúſq; conſtitutivum. Secundò, qui furatur propter mœchiam ita ſe habere poteſt, ut *furari* aſſumat præcisè ut medium ad fornicandum; & ſic difficile eſt explicare, quâ ratione finis ſit circumſtantia. Sed *Dicendum eſt*, quòd cùm in hoc caſu unicus tantùm ſit finis, & furtum duntaxat aſſumatur ut medium, non detur circumſtantia finis, ſeu *Cur*; quia cùm tantùm ſit unicus finis, & unicum objectum, illúdq; ſpecificet, non datur finis, qui ſit circumſtantia. Concluſio ſic explicata eſt S. Thomæ, circà quam videatur & Martinez. Jam

hoc artic. ad 3. hic §. pro cujus,

Probatur Conclus. circumſtantia eſt accidens actûs humani; ſed finis, quatenus ſpecificat, non eſt accidens; ergò debet conſiderari, non quatenus ſpecificat, ſed quatenus accidit alteri rationi, ut ſit circumſtantia.

Con-

Digitized by Google

Concluſio 6.

Circumſtantia Quomodo *ſignificat modum accidentalē actionis, vel ejus effectus pertinēs ad illius bonitatē, vel malitiam.*

6. Probatur Conclus. Tum ex Ariſtotele, ubi ſic refert hanc circumſtantiam: *& quomodo, ut ſenſim, vel vehementer*; quòd autem operatio, aut ejus effectus fiat ſenſim, aut vehementer, accidit illi, & ejus effectui. Tum ex S. Thomâ ubi explicat, quâ ratione omnes circumſtantiæ ſunt modi accidentales; quem communiter ſequuntur Theologi. 3. Ethic. c. 1. a. 1. & hic in corp. & ad 3.

Concluſio 7.

Circumſtantia Quando *ſignat accidens temporis, in quo actio humana eſt exercita;* vg. in die feſto, vel jejunij; longâ vel brevi temporis duratione. Sed

Difficultas eſt.

Vtrum ipſum tempus, quod actio humana neceſſariò requirit, ſit circumſtantia, an verò aliqua ejus qualitas, vel quantitas; ut quòd ſit dies colendus; quòd talis actus longo vel brevi tempore continuetur?

Reſpondeo.

7. *Subſtantia temporis requiſiti ad actionem non eſt circumſtantia, ſed communis modus ipſius actûs, neceſſariò illi debitus.* Licet itaque ipſum tempus ſit accidens humani actûs, non tamen eſt ejus circumſtantia, ut modò de illis loquimur; propterea namque dixi in Concl. circumſtantiam *Quando* denotare accidens temporis, id eſt non ipſum tempus, ſed aliquod ejus accidens, ut quòd ſit dies jejunij, dies feſtivus, tempus longum, vel breve. At meritò hic

Digitized by Google

Quæres; *an circumſtantia S. temporis ita aggravet peccatum, ut mutet ſpeciem, & de neceſſitate ſit confitenda?*

Comment. ſuper benc. q. 3. p. tom. 2. q. 9. a. 2. dub. 3. §. oppoſita ſententia.

Reſp. 1. Peccare in die feſto, vel jejunij, ſemper aggravat peccatum, at non ſemper mutat ſpeciem, ſed tunc ſolùm, quandò peccatur in contemptum illius. Sic Cajet. Nunno, & alij.

Probatur Reſpons. Nam ſicut omne peccatum in templo commiſſum, gravius eſt intrà eandem ſpeciem ratione loci, ſed non fit ſacrilegium, niſi ſpecialiter ſit contrà ſanctitatem & immunitatem loci; ſic etiam per hoc, quòd peccatum commiſſum ſit in die vigiliarum, vel die feſtivo, ſolùm aggravatur intrà eandem ſpeciem; neque fit tranſitus ad ſpeciem ſacrilegij, niſi ſpecialiter ſit contrà ſanctitatem talis diei.

hic §. reſtat autem *diſquis. 24. a. 24. dub. 49.*

Reſp. 2. Circumſtantia diei feſti vel jejunii *regulariter loquendo*, non ita aggravat, ut ea neceſſariò ſit exprimenda in confeſſione. Ita Martinez, Candidus & ſupra citati duo.

8. Probatur Reſp. *à priori*; quia nulla lex eſt vel Divina, vel Eccleſiaſtica; quæ prohibeat in prædictis diebus peccare; ergò peccare in die ſacro &c. non dicit deformitatem mutantem ſpeciem, vel talem, quæ neceſſariò ſit confitenda. Confirmatur *à poſteriori*; quia regulariter fideles non confitentur prædictas circumſtantias; neque circà has ſolliciti ſunt confeſſarij. Ergò tales circumſtantiæ non ſunt neceſſariò confitendæ. Conſeq. probatur. Quia uſus generalis Eccleſiæ in re morali evidens argumentum efficit.

CA-

Digitized by Google

Caput VI.

De moralitate actuum humanorum.

Quia *eſſe morale* conſequitur ad *eſſe phyſicum* a-ctuum humanorum; ideo poſtquam egimus de actibus humanis tam in communi, quàm in particulari quoad *eſſe phyſicum*, reſtàt modò, ut tractemus de iis quoad *eſſe morale*, & primò in communi.

§. 1.

De conditionibus ad *eſſe morale* actuum humanorum requiſitis.

1. Quamvis D. Thom. pro moralitate actûs humani in communi non inſtituerit ſpecialem quæſtionem, aut articulum, ſed ab eius ſpeciebus, quæ ſunt *bonitas*, & *malitia*, exordium ſumpſerit, eius tamen Interpretes communiter hanc præmittunt diſputationem, quæ viam aperit ad alias materias huius tractatûs, faciliùs penetrandas; iuvat quippe in qualibet materiâ notitia gradûs generici, ut ſpecies ſub illo contentæ perfectiùs cognoſcantur. Vocantur autem hîc actus *morales* illi actus humani, qui ſunt proprii hominis, in quantùm homo eſt, id eſt, prout agitur, & regulatur ratione; eſt enim proprium hominis, agere per voluntatem & rationem, eò quòd in quantùm homo eſt, & rationalis, duplici præditus ſit potentiâ, intellectu ſcil. & voluntate; adeoque, velut ſuprà D. Angel. dixit, actus dicuntur humani, quatenus procedunt ex voluntate deliberatâ, id eſt, ex voluntate per rationis advertentiam dire-

directâ, & diſpoſitâ. Et quia mores propriè conveniunt homini, atteſtante Ambroſio, idcircò communi Theologorum uſu receptum eſt, ſolos actus humanos vocari *morales*, hoc eſt, ad mores ſpectantes; licet autem in brutis quoque reperiantur aſſuetudines, quatenus poſſunt addiſcere, & diſciplinari, ut patet in canibus, aliiſque brutis animantibus, illæ tamen aſſuetudines propriè non dicuntur mores, quia non ſunt tales, ut inducant laudem, vel vituperium, meritum; vel demeritum, quod tamen moribus propriè debetur. Difficultas ergò modò eſt, quòd in actibus humanis ſit iſta moralitas, & in quo conſiſtat? Pro cuius declaratione ſit

præfat. in Lucam. circa finem.

Concluſio I.

Ad actus morales neceſſariò requiritur libertas, ſaltem contradictionis, *ſive quoad* exercitium, *non ſolùm* in potentiâ, *ſed etiam* in actu.

2. Explico. Libertas dividitur in libertatem *contrarietatis*, ſive quoad *ſpecificationem*, & in libertatem *contradictionis*, ſive quoad *exercitium*; libertas quoad *ſpecificationem* reſpicit terminos contrarios, ut amorem & odium, & conſiſtit in eo, quòd voluntas circa idem obiectum poſſit elicere actus contrarios amoris, vel odii, proſecutionis, vel fugæ. Libertas quoad *exercitium* reſpicit terminos contradictoriè oppoſitos, & conſiſtit in eo, quòd voluntas poſſit idem obiectum amare, vel non amare, proſequi, vel fugere, hoc vel illud facere, aut non facere. Huic duplici libertati directè opponitur neceſſitas illa itidem duplex quoad

ſpeci-

Digitized by Google

ſpecificationem, & quoad *exercitium*. Cæterum; quæ hîc dicimus de libertate, ea quoque intelligẽda ſunt de indifferẽtiâ, quæ nihil eſt âliud, niſi determinatio quædã ipſius potentiæ ad hoc, vel illud recipiendum, aut producendum, in quâ eſſentialiter conſiſtit libertas. Jam

3. Probatur 1. p. Authoritate S. Thom. ubi dicit, quòd actus moralis pendeat à ratione & voluntate. Item; quòd actus moralis pendeat à ratione *deliberante*, actus autem qui non eſt liber, licet dependeat â ratione *cognoſcente*, non verò à ratione *deliberante*; hoc enim ad indifferentiam & libertatem actûs pertinet. Et adhuc clariùs; actus moralis eſt à ratione voluntarius, & liber. Cum S. Thomâ concordant communiter Theologi in hâc concluſione, ut Durandus, Scotus, Henricus, Bellarminus, Soto, Valentia, Vaſq., Salas, Lorca, Puteanus, Navarrus &c.

hic a. 5. & 9. & in 3. diſtinct. 23. q. 1. a. 4. q 2. de malo a. 6.

Probatur 2 ratione, quia quandocunque actus caret libertate, non eſt capax legis & præcepti, reſpectu ejus qui ſine libertate operatur; ergò neque actus talis eſt capax culpæ, aut malitiæ, nec meriti, vel demeriti; ergò neque moralis; quia iſtæ ſunt proprietates moralitatis, & conſequenter ad actus morales requiritur libertas. Conſequentia patet; quia *ubi non eſt lex; nec eſt prævaricatio.* Antec. verò probatur; quia non eſt capax legis, quod non eſt capax ſupplicij, & pœnæ, ſi legem non obſervet, vel præmij ſi adimpleat; ſed qui non agit liberè, non eſt capax pœnæ, aut præmij; etſi aliàs habeat potentiam liberam, velut patet in amentibus, & in motibus ſubitaneis voluntatis, qui licet à potentiâ liberâ procedant, quia tamen actus illi *in ſe* non

Digitized by Google

ſunt liberi, etiam non ſunt peccata. Quare adhoc, ut aliquis actus verè ſit, & dicatur moralis, neceſſe omninò eſt, ut is procedat à voluntate hominis liberè operante; actus enim moralis eſt propriè humanus; actus autem non liber non eſt humanus. Ergò &c. Et

4. Confirmatur. Ex eo actiones puerorum, & amentium, etiamſi ſint hominis, non ſunt morales, quia non ſunt liberæ; ergò libertas omninò requiritur ad moralitatem. *Dices*; ideo ejusmodi actiones non eſſe morales, non quòd non ſint liberæ, ſed quòd non procedant ex judicio perfecto. Sed *contrà*; in tantùm judicium puerorum, & amentium non eſt perfectum, in quantùm eſt determinatum ad unum, non habens indifferentiam ad utrumq; ; ſed hoc ipſo excludit libertatem; ergò idem eſt dicere, quòd in ijs judicium non ſit perfectum, ac dicere, quòd non habeant libertatem.

Probatur etiam 2. p. Concl. quòd ſcil. non ſit neceſſe, ut actus moralis ſit liber utraq; libertate ſed ſufficiat, ſi liber ſit ſaltem libertate *contradictionis*, ſeu quo *ad exercitium*. Quia omnis ille actus moralis eſt, & dicitur, qui cadit ſub regulis morum, ſeu ſub directione legis; atqui non tantum actus quo *ad ſpecificationem*, ſed etiam quo *ad exercitium* tantùm liber cadit ſub directione legis (poteſt enim præcipi, vel prohiberi) Ergò non ſolùm actus liber libertate *ſpecificationis*, ſed etiam liber libertate *exercitij* ſortitur rationem actûs moralis. Licet ergò libertas *contrarietatis*, ſeu quo ad *ſpecificationem* dicat quandam extenſionem, & majorem manifeſtationem libertatis, quam non dicit libertas *contradictionis*, ſeu quo *ad exercitium*; actus tamen procedens ex libertate *con-*

tradictionis

Digitized by Google

tradictionis æque ſubeſt dominio agentis, quantùm adhoc, ut ſit, vel non ſit, ac actus procedens ex libertate *contrarietatis*; nam per utramq. poteſt abſolutè exercere, vel non exercere actum.

5. Probatur jam 3 p. Concluſionis quòd nimirum libertas, quæ neceſſariò requiritur ad actum moralem, debeat eſſe *actualis*, non *habitualis*, quia non ſufficit, potentiam, quæ actum elicit, eſſe liberam, ſed inſuper requiritur, ut actus liberè ab illa eliciatur (alioquin enim etiam ipſæ actiones indeliberatæ voluntatis, ut ſunt motus primo primi, forent morales, atq; adeo meritoriæ, vel demeritoriæ, quia procederent à voluntate, quæ eſt potentia libera.) Ergò adhoc, ut actus liber ſit moralis, debet eſſe liber in actu *exercito*, & non ſolùm in *potentiâ*. Conſeq. claret. Antec. verò probatur; quia actus quatenus ſolùm eſt liber in *potentiâ*, non eſt proximè capax ſubjectionis ad regulas morum; ſed in hac ſubjectione conſiſtit moralitas actûs, ergò adhoc, ut actus liber ſit moralis, non ſufficit eum eſſe liberum in *potentiâ* ſolùm, ſed ut liber ſit & in *exercitio*, hoc eſt, ut potentia hîc & nunc eundem liberè exerceat. Ad quam tamen moralitatem non neceſſariò requiritur libertas omninò plena, ſed ſufficit ſemiplena libera; unde etiam actus ſemiplenè liberi ſunt, & dicuntur morales; neq; enim proprietates actûs moralis, quales ſunt meritum, & demeritum &c, alteri, quàm actui morali poſſunt competere; atqui meritum, & demeritum competit actibus etiam ſemiplenè liberis; ſi namq; hi verſentur circà malum, ſunt peccata venialia, & digna aliquâ pænâ; quòd ſi verò verſentur circà bonum, ſunt boni, & præmio digni. Ergò.

Digitized by Google

Et concluſio hæc non ſolùm intelligitur de actibus *elicitis*, ſed etiam de *imperatis*, qui ſicut moralitatem, ita etiam libertatem à voluntate participent.

Concluſio 2.

Libertas prædicta non ſe habet ut genus ad moralitatem, ſed ut quid præſuppoſitum, & materialiter *requiſitum, ſeu ex* parte materiæ, *quæ ſuſcipit moralitatem, ab eâque denominatur.*

infra a. 5. 6. Probatur Concl. 1. Author. S. Th. ubi docet, *quòd bonum, & malum ſint per ſe differentiæ actûs moralis* in *eſſe* moris; *quia differentia boni & mali comparatur per ſe ad rationem*; quæ probatio nulla foret, ſi actus dicerentur morales, quatenus ſunt à libertate; deberet enim dicere, quòd bonum & malum morale per ſe comparentur ad rationem liberi, ſi haberent pro genere rationem liberi, differentiæ enim ſemper comparantur per ſe ad id quod eſt genus. Ergò cùm hoc non dicat S. Th. etiam non vult, quòd libertas ſe habeat, ut genus moralitatis. Quare actus non conſtituitur formaliter in *eſſe* moralis per libertatem; atque adeo licet libertas ad actum moralem juxtà dicta requiratur, tamen non eſt libertas, quæ *formaliter* actum moralem conſtituat tanquam genus, vel differentia, vel quomodocunque ad eſſentiam pertinens, ſed, ut diximus, ut quid præſuppoſitum, & *materialiter* requiſitum. Quod

7. Probatur 2. ratione; quia illud ſe habet, ut formale genus in aliquo, quod *formaliter* & *per ſe* contrahitur à differentijs illius generis; ſed liberum, ut liberum non contrahitur per ſe à bono & malo, quæ ſunt differen-

Digitized by Google

ferentiæ in genere moris; ergò liberum, ut liberum non habet ſe ut genus moralitatis, m prob. nam bonum in moralibus dicitur id, quod eſt plenum atque perfectum in tali genere, ſed non eſt aut redditur aliquod bonum in genere moris; quia eſt perfectum aut plenum in *eſſe liberi*; ergò liberum, ut liberum non contrahitur per ſe à bono & malo. m. declaratur; ſtat enim quòd aliquid ſit magis liberum,& tamen ſit minùs bonum, ut quando quis cum maximâ advertentiâ agit propter ſuam libertatem, ut eandem oſtendat, ſcil. quia vult, ubi tamen minùs temperatè, minùsq; modeſtè procedit, imò plerumq; pejus proceditur, quando ſtat pro ratione voluntas. Et

8. Confirmatur concluſio. Ratio moralitatis, ſeu *eſſe morale* in actibus dicit hoc, ut menſurabile,& ordinabile per legem, & prudentiam; quemadmodum in artefactis *eſſe artificiale* pertinet ad rationem menſurabilis, & ordinabilis per artem; undè ſicut àrs verſatur circà factibilia ordinando, & menſurando, ita prudentia circà agibilia; ſed menſura eorum, quæ more humano aguntur non eſt libertas, ſed ratio & lex, præſertim Divina, quia agere pro libitu, eſt potiùs agere ſine menſurâ, & ordine; ergò ſicut in artificialibus tota formalis ratio artefacti ſumitur penes ordinem ad regulas artis, & Idæam, quæ ſunt in mente artificis; ita in moralibus ratio formalis moralitatis debet ſumi per ordinem ad regulas rationis, quæ per ipſam prudentiam applicantur; quia tam moralitas, quàm artificium ad genus menſurationis ſpectant, ergò libertas, non poteſt ſe habere ut *formalis* ratio hujus comenſurationis;

ſed actus liber ſe habet ut materia regulabilis per rationem, ſicut eſt lignum, lapides &c. qui ſunt regulabiles per artem; ita & libertas eſt conditio, non quidem pura, ſed ut tenens ſe ex parte materiæ *moralis*; quatenus ſoli actus voluntarij, & liberi, ſunt per rationem, vel prudentiam regulabiles, & menſurabiles. Dixi: quòd libertas reſpectu actûs moralis non ſit pura conditio; quia pura conditio, ad aliquid neceſſaria, eſt extrinſeca, & poteſt ſaltem divinitùs ſuppleri; libertas verò eſt omninò & indiſpenſabiliter neceſſaria ad moralitatem, ut dictum eſt. Sed

9. *Objicies* contrà 1. p. concl. poſitâ libertate in aliquo actu, & ſecluſo quocunque alio reſpectu, actus ille moralis eſt; ergò moralitas in libertate conſiſtit, nihilque addit ſuprà libertatem, ſeu ſuprà rationem voluntarij. Conſeq. eſt clara; antec. verò probatur (1.) quia *ratione* libertatis actus eſt capax áſſuefactionis, & moris, cujus non eſt capax actus neceſſarius; ergò ratione libertatis actus jam eſt moralis, quia actus dicitur moralis ab ipſo more, ſeu aſſuefactione.

Probatur (2.) idem antec. quia hoc ipſo, quòd actus ſit liber, eſt imputabilis ad laudem, vel vituperium; ergò jam habet moralitatem. Conſeq. patet; quia imputabilitas iſta eſt paſſio actûs in eſſe *moris*. Antec. verò probatur, quia ex vi libertatis habet actus, quòd procedat ab aliquo cum dominio, & poteſtate faciendi, vel non faciendi; ergò poteſt puniri, vel præmiari, & conſequenter etiam imputari.

R. Neg. antec. ad 1. ejus probationem dico, quòd licet quidem actus voluntarius ratione voluntatis ſit

capax

capax aſſuefactionis *moralis*, per hoc tamen non ſequatur, quòd ipſa moralitas conſiſtat in libertate, & in ratione voluntarij; ſed ſolùm, quòd voluntarium, ſeu liberum ſit capax moralitatis; capacitas autem ex parte *materiæ* ſe tenet. Ad 2. probat. dico, imputabilitatem non ſequi ad actum voluntarium, quatenus præcisè *voluntarium*, ſeu quatenus præcisè à voluntate eſt, ſed quatenus eſt voluntarius regulatus à ratione & lege; nam lege deficiente, nec actus imputatur, nec punitur, quia ubi non eſt lex, nec prævaricatio eſt. Porrò ad hujus antec. probationem dico, quòd quidem ex vi libertatis actus procedat cum dominio, imputabilitas tamen ſolùm ſequatur ex eò, quòd procedat ab aliquo cum dominio ſubjecto, ſeu regulato per regulas rationis; nec enim punietur, aut præmiabitur actus dominij, ſi non ſit lex, conſilium, aut regula, juxtà vel contrà quam quis faciat.

§. 2.

In quonam conſiſtat ratio moralitatis, ut ſic?

In actu morali multa ſunt, ſcil. ſubſtantia actûs moralis (2.) libertas, de quâ jam conſtat; (3.) regulabilitas, ſeu aptitudo ad regulandum per rationem, & legem; & (4) denique ordo ipſius actûs ad potentiam, rationem, & legem regulantem, atque objectum ſuum. Difficultas ergò eſt, quodnam ex hiſce formaliter conſtituat actum in *eſſe moralis*, quod idem eſt, ac quærere, in quonam *formaliter* conſiſtat moralitas actûs humani, exceptâ libertate, de quâ jam conſtat, in eâ non conſiſtere *formaliter* moralitatem.

Con-

Concluſio 1.

Moralitas actûs, non eſt ipſa ejus entitas naturalis, & Phyſica, *neq; aliquid ad ipſum* eſſentialiter *pertinens, ſed eſt aliquid ipſi accidentaliter ſuperadditum.* Hæc concluſio tam certa eſt, ut nullus contrarium auſus ſit opinari, de quâ videatur Cornejus.

tract. 6. diſp. 1. dub. 1. §. quo poſt.

1. Explico. Etiamſi præſens concluſio intelligenda ſit indifferenter de omnibus voluntatis actibus, ſiue *elicitis*, ſiue *imperatis*; ea tamen multò eſt certior quoad actus *imperatos*; certum enim eſt, & manifeſtum, quòd in actibus â voluntate *imperatis*, qui eliciuntur ab alijs potentijs, moralitas ſit quid diſtinctum ab eorum entitate: idem quippe numero actus in *eſſe naturæ* tranſit de unâ ſpecie moralitatis in aliam, ſcil. de bono in malum *moraliter* (& econtrà) abſq; ullâ propriæ entitatis mutatione. Quia tamen non ita apparet hic tranſitus ad diverſas ſpecies moralitatis in actibus â voluntate *elicitis*, inde eſt, quòd præſens concluſio de his veniat intelligenda, & probanda. Itaq;

2. Probatur Concluſio: Poteſt fieri, imò ſæpè fit, ut idem numero actus abſq; ullâ ſui mutatione ſecundùm bonitatem *phyſicam*, tranſeat de non *eſſe morali*, ad *eſſe morale*; vel de *eſſe morali*, ad non *eſſe morale*; vel de unâ ſpecie entis moralis in aliam; ſed quando duo ita comparantur ad invicem, ut uno mutato, aliud non mutetur, verè ſunt diſtincta â parte rei; ergò moralitas actûs humani eſt, quid diſtinctum ab eius entitate *phyſicâ* & reali, ac conſequenter moralitas actûs non eſt ipſa eius entitas naturalis, neq; aliquid ad ipſum *eſſentialiter* pertinens, ſed aliquid ipſi *accidentaliter* ſuperadditum. M. probatur

quoad

ad primum; quia ſi actus incipiat absq; deliberatio-
& continuetur ex deliberatione, tunc in principio
eſt moralis, quia non eſt liber; poſteà verò eſt mo-
s, quia eſt liber. Probatur eadem M. quoad ſe-
dum; in actu Charitatis inchoato in viâ, & conti-
to in patriâ (poteſt quippe idem actus charitatis viæ
tinuari in patriâ; neq; videtur quoad hoc, ſaltem in
gelis, poſſe afferri repugnantia) ſed iſte actus in viâ
moralis, quia liber; in patriâ verò non eſt moralis,
a non eſt liber; & licet negaretur hæc continuitas
is charitatis, ſufficeret tamen ad intentum, quòd
ritas viæ; & charitas patriæ ſint eiuſdem ſpeciei
ſica, cùm tamen hîc in viâ pertineat ad ordinem mo-
em, & non in patriâ; ſemper enim habetur, quòd nul-
actâ mutatione entitatis *phyſica* ſecundùm rationem
phyſicam, mutetur tamen *moraliter*. Probatur eadem
M. quoad tertium; quia ſi quis comedens carnes tempo-
re licito cum debitis circumſtantijs perſeueret in come-
ſtione & voluntate comedendi, accedente tempore illi-
cito, tunc illa volitio, & comeſtio de bonâ moraliter,
fit mala. Ergò.

Concluſio 2.

Moralitas, ſeu eſſe morale *in actibus humanis non eſt Ens rationis, aut pura denominatio extrinſeca* Pro concluſione hâc ſunt Zumel, Puteanus, Arauio, & alij plures. q. 71. a. 6. diſp. 1. Concl. 3. dub. 1. concil. 1. dub. 1. n. 12.

3. Probatur 1. p. Concl. eſſe *morale*, & præſertim bonitas moralis eſt perfectio in actibus humanis â parte rei exiſtens, primò & *per ſe* cauſata â virtutibus, â volun-

Digitized by Google

tate, ut liberâ, & â Deo. Ergò *eſſe morale* in actibus humanis non eſt ens rationis. Et

Confirmatur. In actibus ſupernaturalibus charitas eſt bonitas *moralis*, quia eſt fundamentũ meriti; ſed hæc eſt realis, cùm ſit ſupernaturalis; ergò moralitas in actu charitatis ſupernaturalis eſt realis, & conſequenter moralitas non conſtituitur ente rationis, ſed ſolùm ente aliquo reali; quod maximè procedit de actibus â voluntate *elicitis*, qui abſque dubio ſunt intrinſecè voluntarij, morales, boni vel mali; licet etiam verum ſit de actibus *extrinſecis*, & *imperatis*, ut Eleemoſinâ, deambulatione &c.

4. Probatur 2. p. Concl. quæ licet vera ſit univerſaliter in omni omninò actu morali, multò tamen certior eſt, loquendo de actibus *elicitis*, tales enim ſicut intrinſecè ſunt voluntarij, ita & morales, quod non ita certò conſtat de actibus *imperatis*; ſed tamen probatur ea *â priori* de omni actu *morali* hoc modo; quia actus *moralis*, ut ſtatim dicetur, conſtituitur, & ſpecificatur per ordinem ad ſuum objectum; ſed talis ordo non poteſt eſſe denominatio extrinſeca, Ergò nec moralitas actûs humani eſſentialiter conſtitui poteſt per denominationem extrinſecam. m. probatur. quia ordo hic ad objectum nihil eſt aliud, niſi via, ſeu ratio tendentiæ in ipſum; ſed non poteſt intelligi, quâ ratione per denominationem extrinſecam, vel relationem rationis, actus verè & realiter tendat in ſuum objectum. Ergò &c.

Probatur hæc p. *A poſteriori*; omnis denominatio in uno extrinſeca, neceſſariò debet eſſe intrinſeca in alio; ſed denominatio moralitatis actûs in nullo alio eſt intrinſeca; ergò ea non eſt extrinſeca in actu morali. M. ut certam

ſuppono

ſuppono; m. verò probatur inductiuè; quia neque potentia, neque actus, neque objectum, vel aliquid aliud dicitur intrinſecè *morale* per ordinem, ad quod denominetur actus; imò omnia dicuntur moralia per ordinem ad actum; Ergo moralitas intrinſeca eſſe debet actui, illúmque denominare intrinſecè. Quare moralitas in actu morali debet eſſe aliquid reale intrinſecum, â quo actus in eſſe moris conſtituitur, ſicut aliquid in eſſe albi conſtituitur per albedinem.

Concluſio 3.

Moralitas actuum humanorum neq; conſiſtit in ordine, & habitudine illâ, quam actus habet ad ſuum principium efficiens ſcil. voluntatem, ut *ſubjectam regulis morum, loquendo de conſtitutiuo* formali, & eſſentiali.

5. Probatur Concl. quia actio, ut actio non reſpicit formaliter ſuum principium efficiens, ſed ſuum terminum, ſeu objectum; atqui actus moralis eſt aliqua actio; licet ergo in ratione *effectûs* reſpiciat ſuum principium, tanquam cauſam efficientem; *formaliter* tamen, & quà actio, ſolùm reſpicit objectum, â quo ſpecificatur. m. patet. M verò eſt communis doctrina, & inde probatur; quia omnis actio eſt via, & tendentia ad ſuum terminum, ſeu objectum, & ad potentiam. Sicuti ergò omnis motus ſpecificatur â termino; ita & omnis actus ab objecto, tanquam termino *ad quem*.

Concluſio 4.

Moralitas, ſeu eſſe morale actûs humani conſiſtit in ordine, & habitudine illa reali, quam actus habet ad ſuum objectum,

ctum, quatenus illud eſt regulabile à lege, & ratione. Ita cum Curiel, Martinez, Corneio, Cæſar Auguſtus. Et

hic diſp. 125. q. 18. dub. 2. concl. 7. 8. & 9. & 10. q. 2. de malo a. 6.

6 Probatur Concl. 1. Authoritate S. Thomæ, qui totâ hâc quæſtione ſparsim hoc inſinuat, præſertim verò a. 8. ubi ſic ait; *omnis actus habet ſpeciem ab objecto; & actus humanus, qui dicitur moralis, habet ſpeciem ab objecto, relato ad principium actuū humanorū. quod eſt ratio.* Item; *cùm actus moralis ſit actus, qui eſt à ratione procedens, & voluntarius, oportet, quòd actus moralis ſpeciem habeat ſecundùm aliquid in objecto conſideratum, quod ordinem habeat ad rationem.*

Probatur. 2, hâc ratione; Actus ſecundùm ſuum eſſe *phyſicum* ſpecificatur ab objecto *phyſico*, ſeu in eſſe naturæ conſiderato, hoc eſt, per ordinem & tendentiam ad illud; ergò & actus ſecundùm ſuum eſſe *morale* ſpecificatur ab objecto *morali*. Antec. eſt communis DD. & D Thomæ dicentis; *quòd, ſicut res naturalis habet ſpeciem ex ſuâ formâ, ita actio habeat ſpeciem ex objecto; ſicut & motus ex termino.* Conſequentia verò probatur. quia ſicut actus ſecundùm illud, quod importat in eſſe *phyſico*, ſeu naturæ, eſt via, & tendentia in objectū *phyſicum*; ſic actus ſecundùm illud, quod importat in eſſe morali, eſt via & tendentia ad objectum morale: Ergò eſt paritas. Ex dictis facilè

hic art. 2.

7. *Colliges*, quòd ſicuti in actione humanâ duplex reperitur eſſe; *phyſicum* ſcil. ſeu naturæ; & eſſe *moris*, ſeu morale; ita ſimiliter in objecto duplex *eſſe* conſiderari poſſit, ſcil. *eſſe phyſicum*, & *moris*, ſeu morale; objectum in *eſſe* naturæ conſideratur præcisè *ſecundùm ſe*; in eſſe *moris* verò conſideratur, ut lege aliquâ præſcriptum, vel prohibitum; hinc vg. comeſtio carnis ſecundùm *eſſe naturæ*

Digitized by Google

natura conſiderata, reſpicit ſolùm carnes edendas; conſiderata verò ſecundùm eſſe *moris*, reſpicit eaſdem, quatenus lege aliquâ ſunt permiſſæ, vel prohibitæ; & ſecundùm hanc rationem conſtituunt actum comeſtionis carnium bonum, vel malum..

§. 3.

Utrum moralitas adæquatè dividatur, ut ſuperius eſſentiale, in bonitatem, & malitiam?

1. Suppono, quòd licet præſens dubium poſſit intelligi de quacunque moralitate, ſiue *formali*, quæ eſt in actibus; ſiue de *obiectivâ*, quæ eſt in objectis; ſiue de activâ, quæ eſt in principio *eliciente*; principaliter tamen illud procedat de moralitate *formali*, quam diximus eſſe quid realiter ſuperadditum entitati phyſicæ actuum humanorum. Quæritur ergò hîc de illâ, utrum adæquatè dividatur in bonitatem & malitiam, vel utrum ſuperſit aliquod aliud adhuc membrum huius diviſionis; & inſuper quæritur, utrum moralitas dividatur in hæc membra, tanquam ſuperius eſſentiale in ſua membra inferiora? ſit igitur

Concluſio 1.

Moralitas perfectè adæquatè dividitur in bonitatē, & malitiam. Ita cōmuniter Diſcipuli D. Thom. & plures alij.

2. Probatur concl. Authorit. S. Th. ubi ſic habet: *actus humanus qui dicitur moralis, habet ſpeciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio; unde ſi objectum actûs includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundùm ſuam ſpeciem, quemadmodum dare eleemoſinam indigenti; ſi autem includat aliquid,* *hîc a. 5. & a 8.*

quod repugnet ordini rationis, erit actus malus ſecundùm ſuam ſpeciem, ſicut furari, quod eſt tollere alienum; (contingit autem quòd objectum actûs non includat aliquid pertinens ad ordinem rationis; ſicut levare feſtucam de terrâ, ire ad campum &c. & tales actus ſecundùm ſuam ſpeciem ſunt indifferentes.

Probatur 2. ratione ex hâc Authorit. ſic deductâ; omnis moralitas attenditur penes legem, & dictamen rationis, & conſiſtit in ſubjectione ad iſta, tanquam ad regulas morum; ſed omnis moralitas, quæ attenditur penes legem, & dictamen rationis, adæquatè eſt bonitas, vel malitia *moralis* (nam lex & dictamen rationis non habent rationem legis, ac regulæ morum, neque exercent munus illius, niſi præcipiendo vel prohibendo) ergò moralitas dividitur adæquatè in bonitatem, & malitiam; quòd ſi enim actus ſit legi, & rationi conformis, erit in eo bonitas *moralis*; ſi verò ſit difformis, erit malitia *moralis*; quòd ſi porrò ſit indifferens ad legem, tunc lex non habebit rationem regulæ reſpectu illius, & conſequenter actus non erit *moralis*. Dixi autè in concl. quòd moralitas perfectè dividatur in bonitaté, & malitiam; quia etiam indifferentia ex *objecto* in actu humano addmitti poteſt pro ſpecie, & membro moralitatis imperfecto. Cujus ratio eſt; quia quod ex ſuâ ſpecie non habet, quòd ſit bonum, vel malum, ſed per aliud fieri poteſt bonum, vel malum, id imperfectè ſaltem participat moralitatem; ſed quod indifferens eſt ex *objecto*, ex ſuâ ſpecie non habet, quòd ſit determinatè bonum, vel malum, ſed tâmen ei aliunde accidere poteſt, ut ſit bonum, aut malum; quia non eſt

aliquod

aliquod objectum actus humani, quod non poſſit ordinari vel ad bonum, vel ad malum per finem, & circumſtantias; ergò id, quod eſt ex objecto indifferens, imperfectè ſaltem, atque *incompletè* participat moralitatem, tanquam membrum ejus dividens, licet imperfectum. M probatur. Quia quod determinatò non ſubijcitur regulis morum, per conformitatem, vel difformitatem ab illis, ſed tantùm utriusque capax eſt mediante fine, & circumſtantijs, id imperfectè, & in complètè ſolùm participat moralitatem; ſed quod ex ſuâ ſpecie non habet, quòd ſit bonum aut malum, ſed hoc aliunde ei accidere poteſt, id non determinatè ſubijcitur regulis morum per conformitatem, aut difformitatem ab eis, ſed utriusque tantùm capax eſt; hoc ipſo quòd indifferens ſit. Ergo &c. M rursùs declaratur. Quia ſicut in menſuris ſenſibilibus, quàmdiu res menſurabilis vg. pondere, vel ulnâ, non ſubijcitur alicui determinatæ menſuræ, tam diu res illa dicitur menſurata imperfectè ſolùm, & capax, ut menſuretur; ita etiam ſpecies, ſeu membrum moralitatis, quæ juxtà dicta conſiſtit in commenſuratione ad regulas morum, & rationis, dicitur imperfectè duntaxat ſpecies, ſeu membrum moralitatis; donec regulationem illam determinatè, & completè attingat. Si hoc? Ergò &c. Sed

3. *Obije.* cum Vaſquez, & Martinez; actus qui verſantur circà objecta *ſecundùm ſe* indifferentia, verè ſunt *morales*, quia procedunt á voluntate, ut ſubjecta regulis morum, & ex deliberatione rationis; ergò tales a-

ctus

Digitized by Google

ctus nec ſunt boni, nec mali *moraliter*, ſed indifferentes *moraliter*; itaque præter bonitatem, & malitiam *moralem*, datur indifferentia *moralis*. Si hoc? ergò moralitas non dividitur adæquatè in bonitatem, & malitiam.

Reſpondetur negando antec. unâ cum ratione adductâ; quia ſicut actuum iſtorum objecta ſecundùm *ſuam ſpeciem* ſunt indifferentia (nec bona, nec mala moraliter) ita & actus eorum ſunt indifferentes (nec boni, nec mali moraliter) quia ſicut objecta ut ſic, necdum cadunt ſub regulis morum; ita nec actus ad ea ut ſic terminati, ſunt *morales*; licet non ſint indifferentes in individuo, ſed boni, vel mali, quatenus ad illa, ut regulis morum ſubjecta, terminantur, & procedunt ex deliberatione rationis, & à voluntate, ſimiliter ſubjectâ regulis morum. Ex quibus

4. *Patet* (1.) Quòd objecta eatenùs influant moraliter in actus humanos, quatenus ſunt *moralia*; ſunt autem moralia præcisè in quantùm ſubijciuntur regulis morum, ſive legibus, *actu* regulantibus; quatenus autem ſubijciuntur legibus *actu* regulantibus, ſunt bona, vel mala *moraliter* in individuo, quamvis ex *ſuâ ſpecie* ſint indifferentia. Et ſic intelligendæ ſunt Authoritates S. Thomæ, in contrarium allegabiles.

Patet (2.) Quòd in actibus *moralibus*, quoad entitatem eorum phyſicam, & *materialiter* ſpectatis, ly *bonum*, & *malum* non opponantur *immediatè*, ſed inter ea mediet ly *indifferens*; quòd ſi verò *bonum* & *malum* morale ſumantur *formaliter*, & *reduplicativè*, ut moralia,

oppo-

opponantur *immediatè*, quia nihil inter ea invenitur, quod non ſit bonum, vel malum in individuo. Et ita intelligendus venit S. D. dum dividit actum moralem, in bonum, malum, & *indifferentem*; ſumit autem actū moralem *materialiter* pro actu humano, ſive libero.

Concluſio 2.

Moralitas dividitur in bonitatem & malitiam, tanquam ſuperius eſſentiale in ſua inferiora, Ita hîc ſentiunt illi, qui ſteterunt pro 1. concl. Et

5. Probatur 1. Authorit. S. Thom. ubi ait; *bonum, in quantùm eſt ſecundùm rationem, & malum, quatenus eſt præter rationem, diverſificant ſpeciem moris.* Item *bonum & malum ſunt differentiæ ſpecificæ.* Subſumo; ſed hæc vera non eſſent, niſi moralitas eſſet ſuperius *eſſentiale* reſpectu bonitatis & malitiæ; Ergò ſic eſt. *hic a. 5. ad 1. 1. p. q. 98. a. 1. ad 2.*

Probatur 2. ratione; illæ ſunt differentiæ *eſſentiales*, quæ alicui competunt *per ſe*, & non *per accidens*; quæq; illud conſtituunt, & dividunt; ſed bonum & malum, quod oritur ex objecto, ita competunt actui *morali*; ergò bonum & malum, quæ oriuntur ex objecto *morali*, ſunt differentiæ *eſſentiales* & *per ſe* reſpectu actûs *moralis*, & conſequenter moralitas, quæ in bonitatem, & malitiam adæquatè dividitur, ad hæc eſt ſuperius eſſentiale. An porrò moralitas ſit *ſuperius univocum*, vel tantùm *analogum* ad bonitatem & malitiam, id dependet ex dicendis in tract. ſeq. circà malitiam *moralem* conſtitutivam peccati. Quòd ſi enim concedatur, malitiam eſſe rationem aliquam poſitivam, certum eſt, quòd moralitas ſit ſuperius *univocum* ad bonitatem & malitiam, eo quòd factâ hâc ſuppoſitione, æqualiter ab illis

Digitized by Google

participetur, & ſi eſt aliqua inæqualitas, illa ſolùm ſe tenebit ex parte differentiarum contrahentium rationem communem moralitatis. Quòd ſi autem dicatur, quòd malitia *moralis* ſit privatio, tunc moralitas tantùm erit ſuperius *analogum* ad bonitatem, & malitiam; non enim datur ſuperius *univocum* ad poſitivum, & privativum. Hoc ſecundum ut probabilius eligetur in tract. ſeq. Interim ſive moralitas ſit ſuperius *univocum*, ſive *analogum*, ſemper tamen eſt ſuperius eſſentiale, ut conſtat in ente, quod eſt ſuperius *eſſentiale* ad ſubſtantiam, & accidens, & tamen ad illa duntaxat eſt *analogum*. Sed

6. *Objic.* contrà rationem, quâ concluſio probata eſt; nulla privatio poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei poſitivæ; atqui in doctrinâ S. Thomæ, malum eſt quædam privatio boni. Ergò malum non poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei, & conſequenter nec actûs humani.

Reſpondeo, omninò verum eſſe, & nullam privationem, poſſe eſſe differentiam conſtitutivam alicujus ſpeciei; malum tamen, quod aſſerimus, eſſe differentiam conſtitutivam actûs *moralis*, non eſt pura privatio, ſed res aliqua *poſitiva*, habens annexam privationem rectitudinis debitæ, ipſum ſcil. objectum, quatenus eſt difforme rectæ rationi, & legi, quæ ſunt regulæ morum. Unde quatenus objectum eſt quid poſitivum, poteſt conſtituere ſpeciem actûs mali. Neque obſtat huic doctrinæ, quòd actus aliqui dicantur intrinſecè mali; dicuntur enim eo ſolùm ſenſu intrinſecè mali, quòd ſine malitiâ nunquam reperiantur, non

porrò

porrò quòd malitia ut ſicipſis ſit intrinſeca, velut eorum differentia conſtitutiva. Igitur facilè

7. *Colliges*, malum (quemadmodum quodvis aliud connotativum) *in recto* ſignificare id, cui ineſt, adeoq; aliquod poſitivum; eſt námque malum id, quod habet adjunctam malitiam; velut album eſt id, quod habet conjunctam albedinem. Unde non eſt idem dicere: *malum, ut malum*; vel (quod idem eſt) *malitia eſt differentia* per ſe *conſtutitiva, licet diviſiva actûs moralis*; & dicere; *malū eſt differentia* per ſe *conſtitutiva, & diviſiva actûs moralis*; hæc enim ſecunda propoſitio vera eſt, prima autem falſa; quia malitia cum ſit privatio, & non ens, ingredi nequit conſtitutionem Entis poſitivi.

CAPUT VII.

De Bonitate, & Malitiâ Actuum humanorum in communi.

POſt tractatum de moralitate actuum humanorum in communi, tractandum & conſiderandum etiam eſt de bonitate, & malitiâ, eorundem actuum itidem in communi; quia juxtà dicta bonitas & malitia ſunt duæ ſpecies, aut quaſi ſpecies moralitatis, eandem *adæquatè* contrahentes.

§. I.

Utrum omnis actio humana ſit bona, vel mala?

Concluſio 1.

Non omnis actio humana eſt bona, ſed aliqua etiam mala. Eſt de fide certa, indicata in illo: *dilexerunt homines ma-* S. Thomæ hic; & Ioan. 3.

Digitized by Google

gis tenebras, quàm lucem; erant enim opera eorum mala.

1. Explico in tantùm aliquid habet de bonitate, in quãtùm habet *de eſſe*; in quantùm verò deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantùm deficit de bonitate, ſicq; actio humana dicitur mala. Dixi (1.) *actio humana*; quia hoc loco non eſt ſermo de actione, quæ ab homine eſt naturaliter, & ſine ullo rationis judicio operante, ſed quæ procedit ab homine, ſecundùm quòd homo eſt, ſive ſecundùm quod utitur ratione, fitque ex prævia deliberatione, ut alibi dictum eſt. Dixi (2.) *in quantum ei deficit de plenitudine eſſendi; quæ debetur actioni humanæ*; quia S. D. non loquitur de plenitudine eſſendi *ſimpliciter*, quæ ſoli Deo, & nulli creaturæ debetur, ſed de illâ ſolùm, quæ debetur actioni humanæ, ita ut tunc dicatur actio humana mala, quando ei deeſt aliquid, quod ei debetur; unde non intelligitur de abſentiâ *negativâ* alicujus perfectionis, ſed ſolùm de *privativâ*, quæ ſcil. tali actioni debetur. Sic explicata

2. Probatur conclus. De bono & malo in actionibus loqui oportet, ſicut de bono & malo in rebus; ſed in rebus unumquodq; tantùm habet de bono, quantùm habet de *eſſe*; ergò etiam actio in quantùm habet de *eſſe*, in tantùm habet de bono; in quantùm verò deficit ei aliquid, in tantùm habet de malo. m. patet. Quia bonum, & Ens convertuntur; & inſuper declaratur exemplo; nam homo cæcus vg. in tantùm dicitur bonus, in quantùm habet *eſſe* viventis animalis, in quantùm verò caret viſu, deficit à bonitate, eáq; caret, quæ ei debetur; quia ad plenitudiné *eſſe* humani requiritur, quòd

quòd ſit quoddam compoſitum *ex animâ & corpore*, habens omnes potentias, & inſtrumentum cognitionis, & motionis. M. verò etiam conſtat; quia unaquæque res talem actionem producit, qualis eſt ipſa, ideoq; res bona bonam, mala verò malam producit actionem; ergò de bono & malo in actionibus oportet loqui, ſicut de bono & malo in rebus. Adhæc ſubſumo: ſed datur aliqua actio *moralis*, quæ in genere moris habet omnem plenitudinem eſſendi ſibi debitam, & datur viciſſim aliqua, quæ in genere moris non habet omnem plenitudinem debitam; vel quia verſatur circà indebitum objectum, vel quia fit modo, tempore, vel loco indebitis. Ergò datur actio, quæ in genere moris ſit bona, alia verò, quæ in eodem genere ſit mala. Et

3. Intelligitur concluſio hæc S. Thomæ non ſolùm de actibus præceptis, ſed etiam de actibus non præceptis, ſeu liberè elicitis, ita ſcil. ut & hi actus non præcepti, ſi deficiant à plenitudine eſſendi, careantq; perfectione ſibi debitâ; dicantur mali; licet enim talis actus *abſolutè* non ſit debitus; ſupponimus tamen, quòd ſi aliquis actum ejusmodi exercere velit, debeat illum producere cum debitis perfectionibus, ſecundùm quas produci poſtulat; ſicut licet actus orandi extrà tempus non ſit ex præcepto, ſed ex merâ propriâque voluntate hominis, poſito nihilominùs, quòd talis homo orare velit, præceptum eſt, ut cum attentione, alijsq; circumſtantijs oret, alioquin juxtà ſapientis mentem, erit tanquam homo tentans Deum. Contrà doctrinam hujus artic. S. Thomæ, Lutherus, Calvinus, alijque quidam hæretici auſi ſunt dicere, omnia opera (etiam juſtorum) in ſtatu naturæ lapſæ

eſſe peccata mortalia, tametſi ex miſericordiâ Dei ea non imputentur fragilitati humanæ. Sed orthodoxè

4. *Dicendum* eſt, de fide eſſe, non omnia opera, quæ homo in ſtatu naturæ lapſæ, ſive *poſt*, ſive *ante* juſtificationem operatur, eſſe mala moraliter, vel peccata. Ita
ſeſſ. 6. c. 7. namque definitur in Concil. Trid. ubi anathema fertur
c. 25. in eum, *qui dixerit, omnia opera, quæ antè juſtificationem fiunt, quâcunq; ratione facta ſint, verè eſſe peccata*. Et; *ſi quis in qualibet bono opere juſtum, & ſanctum venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabiliùs eſt*, mortaliter, *atq; adeo pœnas æternas mereri, tantúmq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema ſit*.

Iob. 1. 5. Probatur doctrina hæc ex diverſis ſacræ ſcripturæ locis, quorum plurima affirmant, quorundam hominum opera eſſe bona; Ut: *in omnibus his non peccavit Job labijs*
Math. 5. *ſuis. Ut videant opera bona veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Et ibidem *omnis arbor bona bonos*
Luc. 1. *fructus facit*. Et; *erant autem juſti ambo antè Deum inceden-*
Rom. 2. *tes in omnibus mandatis, & juſtificationibus domini ſine que-*
1. Corinth. 7. *relâ*. Item; *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*. Nec non; *ſi acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit*
3. ſuæ Epiſt. *virgo, non peccavit*: Item S. Jacobus Apoſtolus dicit qui-
c. 1. dem, nos *in multis offendere*, ſed non dicit, *in omnibus*,
c. 2. unde etiam monet ut *ſimus factores verbi*; imo luculenter oſtendit, opera valere ad juſtitiam; & ſpecialiter; quòd
c. 5. *multùm valeat juſti deprecatio aſſidua*.

6. Probatur 3. ex omnibus illis ſive ſcripturarum, ſive SS. Patrum teſtimonijs, quæ vel peccatores admonent, ut ad miſericordiam Dei confugiant, eúmque, & pœnam inferni timeant (qui tamen timor eſt bonus, alias enim non

non præciperetur; & reperitur etiam in peccatoribus) vel quæ operum neceſſitatem aſtruunt; vel quæ probant, opera juſtorum coram Deo eſſe meritoria; vel quæ docent, non omnia opera infidelium eſſe peccata, de quibus omnibus ſuo loco, & tempore. Item illa, quæ nos monent agere pœnitentiam, & dignos fructus pœnitentiæ facere; Deum ac proximum diligere; benedicere maledicendibus; inſtare orationi; dare eleemoſynam, & alia hujusmodi multa. Et

7. Probatur deniq; doctrina hæc hâc ratione; ſi quid eſſet, quod hominem neceſſitaret, ut omne ſuum opus labe peccati afficiat, aliámue malam circumſtantiam apponat, vel omittat aliquam operis perfectionem, tunc hoc faceret vel ipſa concupiſcentia, vel Diabolus, vel Deus? Non primum. quia Homo ſæpiùs ſine concupiſcentiæ vitio operatur, poteſtq; illi reſiſtere. Neque ſecundum; quia licet dæmon poſſit objectum proponere, malúmque actum ſuadere, nequit tamen voluntatem neceſſitare (velut omnes concedunt) ſed neque tertium; quia valdè blaſphemum foret dicere, quòd Deus *non volens iniquitatem* ad malum neceſſitet, cùm ipſe oderit inimicum, eiusq; impietatem. Ergò &c. Verùm, ut hæretici errorem ſuum paulisper expallient, loca quædam & Authoritates S. Scripturæ congerentes,

8. *Objiciunt* in primis illud: *videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore &c*: ubi ut patet, omnis cogitatio mala eſſe dicitur &c. Ergò. 2. Illud; *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.* 3. Illud; *non juſtificabitur*

Gen. 6. *Pſal. 13.* *Pſal. 142.*

Digitized by Google

Eccleſ. 7. *cabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* 4. Non *eſt homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*; ergò omnia opera (etiam juſtorum) ſunt mala. ſed hiſce, aliiſque minimè obſtantibus

Reſpondetur loca hæc dupliciter poſſe explicari; ſemel ita, ut ea intelligantur de illis hominibus, qui tunc temporis vixerunt; illi enim verè tales erant, quales memorantur in ſcripturis, deinde ita, ut intelligantur, tanquam *generaliter* dicta, ſicque verificentur ſecundùm figuram Rhetorices, quâ illud, quod pluribus convenit, tribuitur univerſis; cujuſmodi locutiones ſæpiùs reperiuntur in ſcripturis, quibus ſignum *univerſale* non ad totum, ſed ad maximam eius partem refferi conſueuit.

§. 2.

An ne idem numero actus humanus poſſit *ſimul*, aut *ſucceſſivè* eſſe *moraliter* bonus, & malus?

1. Sicuti in artificialibus materiæ materiali, quæ elaboratur per artem, ſuperveniunt figuræ, & formæ, aliæque habitudines conſecutæ per artem; ita in moralibus ſupponitur entitas phyſica actûs, cui velut accidens ſupervenit ſpecies *moralis*, reſpectus nimirum ad objecta, ut regulata regulis morum, & rationis, penes quas, velùt jam patet, conſtituitur ſpecies *moralis*; quare cùm in eodem actu poſſint concurrere ex his moralitatibus vg. plures bonitates, vel malitiæ, ut ex objecto, ex fine, & circumſtantiis, meritò idcircò duo inquiruntur, primò ſcil. hoc §. an poſſint in eodê numero actu *ſimul*, vel *ſucceſſivè* reperiri bonitas, & malitia *moralis*, non quidem ex eodem, ſed ex diverſis prin-

principijs; deinde; §. ſequenti, utrum in eodem numero actu, poſſint plures ſpecies morales ex æquo concurrere. Dixi autem quæſtionem procedere *de eodem numero actu*; quia dubium non eſt, quin idem ſpecie phyſicâ actus poſſit ſimul eſſe bonus & malus moraliter, ut ug. eſus carnium tempore quadrageſimæ eſt moraliter bonus in homine infirmo, & moraliter malus in homine ſano. Eſt autem bonitas *moralis* actûs humani quodammodo duplex, ſicut & bonitas *naturalis*; prima eſt, quâ dicitur bonus in ſe ipſo per hoc, quòd habeat omnia requiſita ad bonitatem *moralem*, & hæc attenditur penes objectum, quod eſt ſpecificativum actûs moralis; altera eſt, quâ dicitur bonus alteri, ſcil. homini in quo eſt, & à quo elicitur, unde hæc attenditur penes principium elicitivum, & ſubjectum receptivum ipſius actûs. Præſens quæſtio procedit de primâ bonitate, & de malitiâ ipſi directè oppoſitâ. Rursùs bonitas, & malitia *moralis* alia eſt *eſſentialis*, alia *accidentalis*; *eſſentialis* eſt illa, quæ procedit ab objecto, & dicitur etiam *primaria*, ut habet S. Th. *hic a. 2.* & communiter recipitur; quia actio ſumit ſpeciem ab objecto, ſicut & motus à termino. Accidentalis autem bonitas, & malitia *moralis* eſt illa, quæ procedit à circumſtantijs (quamvis illa quæ procedit à fine, ſit formalior) quia circumſtantiæ ſunt extrà conceptum objecti, id quod docet S. Th. *hic a. 3. & maximè ad 3.* Et tandem circumſtantiæ conſiderari poſſunt *formaliter*, ut circumſtantiæ actûs, quatenus *antecedenter* ad ipſum, afficiunt objectum; vel *moraliter*, quatenus tantùm ſe habent ex conſequenti, & *concomitanter*; priori modo conſideratæ

Digitized by Google

influunt bonitatem, vel malitiam *moralem* in actum; poſteriori modo verò non influunt, quia reſpiciunt alium actum. Jam ſit

Concluſio 1.

Non poteſt idem actus humanus, in eſſe phyſico *conſideratus, ſimul eſſe bonus & malus* moraliter, *etiam ex diverſis principijs*. Ita contrà Cajet. Lorcam, Cordubam, Abulenſes, & alios, ſint alij DD. cum intrà, tum extrà ſcholam D. Thomæ. Dixi: *in eſſe phyſico conſideratus*; eò quòd impoſſibile ſit eundem in genere moris actum eſſe bonum & malum bonitate, & malitiâ *morali*, velut docet S. Thom.

infrà q. 20. a. 6.
Corinth. 6.

2. Probatur Concluſio 1. Ex illo Pauli: *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate; aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* quòd ſi autem in eodem actu conjungeretur bonitas & malitia, in eo eſſet participatio juſtitiæ cum iniquitate, & lucis cum tenebris; ac proinde convenirent jam extrema illa, quæ Apoſtolus impoſſibilia judicavit.

c. 4. de divinis nominibus.

Probatur 2. Ex S. Dionyſio, ubi ait; *bonum non contingit, niſi ex unâ totâ, & integrâ causâ*; ergò ſi actus ex aliquâ parte fuerit defectuoſus, nullam habebit bonitatem *moralem*, utpote carens eâ integritate, quam prædicta bonitas neceſſariò requirit.

infrà q. 59. a. 6.

Probatur 3. Authorit. S. Thomæ, ubi docet, impoſſibile eſſe, ut actus, prout eſt in genere *moris*, ſit bonus & malus malitiâ *morali*, ſed actus tam ex parte objecti; quàm ex parte finis, & circumſtantiarum, eſt actus, prout is eſt in genere moris (quia moralitas ex utroq; ſumitur

ſumitur) Ergò nequit idem actus ſimul eſſe bonus, & malus moraliter etiam ex diverſis principijs.

3. Probatur 4. Ratione; quia quantumvis objectum in ſe ſit bonum, ſi tamen induat motivum malum ex fine, & alijs circumſtantijs, hoc ipſo redditur malum, ejuſq; deſtruitur bonitas *objectiva*; ergò ſi unum deſtruit alterum, non poteſt ſimul idem actus manere bonus, & malus. Antec. probo, quia licet objectum *ſecundùm ſe*, & ut abſtrahens à tali fine & circumſtantijs, non ſit malum, tamen ut fundans malas circumſtantias, & quatenus ſubordinatur malo fini, non poteſt eſſe bonum, neque conformari rectæ rationi; ratio enim non ſolùm dictat, ne fiant malæ circumſtantiæ, vel appètatur finis pravus, ſed etiam, ne aliquod bonum ſubordinetur circumſtantijs malis, aut fini pravo; ergò &c. Confirmatur, quia bonum fieri ex motivo malo; vel etiam bonum fieri malè, non eſt bonum, nec rationi conforme (eſt enim præbere materiam ipſi malo; quemadmodum vg: eleemoſyna, facta ob vanam gloriam, jam non eſt *formaliter* eleemoſyna, ſed eſt materia, in quâ exercetur vana gloria titulo eleemoſynæ, licet habeat ejus effectum, quantùm ad ſublevationem pauperis) ſed quando aliquod bonum fit ex fine malo, fit ex malo motivo, quia finis dat motivum faciendi; & quando fit ex circumſtantiâ malâ, illud bonum non fit benè, ſed malè; ergò jam bonum illud ſic veſtitum, ſeu malo ejuſmodi fini, aut circumſtantiæ malæ conjunctum, non fit conformiter ad rationem, ſed contrà illam, & conſequenter fit malum, atque adeò idem actus non erit ſimul bonus, & malus;

 unde

Digitized by Google

Epiſt. 84. ad demetriadem. unde rectè dixit S. Ambroſius; *ambitio, & propriorum bonorum* ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt evacuare martyria, ſi quis & magnas opes amore humanæ laudis effundat, & ſævo ſupplicio, non eâ fortitudine, quam Deus tribuit, ſed eâ quam de ſe præſumpſit excipiat. Sed

hac q. a. 4. ad 3 4. *Objicies 1.* Authorit. S. Th. qui ait, nihil prohibere, quin actioni habenti unam prædictarum bonitatum deſit alia; & ſecundùm hoc contingere, ut actio, quæ eſt bona ſecundùm ſuam ſpeciem, vel circumſtancias, ordinetur ad malum finem, vel econtrà; ubi, ut patet, dum dicit, actui habenti unam prædictarum bonitatum, ſupponit S. D. quòd actui retinenti unam bonitatem, deficiat ei alia; hoc autem nihil eſt aliud, quàm eundem numero actum eſſe ſimul bonum & malum. Ergò &c. Confirmatur 1. ex articulo ſequenti, ubi dicit, quòd quando objectum non eſt per ſe ordinatum ad aliquem finem, ſed *per accidens* ſe habet ad illum, tunc *per accidens* ſit in duabus ſpeciebus; ſicut *accipere alienum* per accidens ſe habet ad eleemoſynam; ergo quando finis *diſparatè* ſe habet ad objectum, benè poteſt ſimul concurrere duplex ſpecies bona, & mala in eodem actu.

ex q. 2. de malo a. 4. Confirm. 2. ex eodem S. D. ubi concedit quidem quòd actus malus non poſſit benè fieri, quia ex quo actus malus eſt, ex eo nequit eſſe integrum bonum; nihilominùs dicit, quòd actus bonus poſſit malè fieri; quia non requiritur, quòd ſit integrum malum, ſed ſufficit, quòd ſit partialiter malum. Et deniq; docet

2. 2. q. 110. a. 4. ad 4. Ægyptiacas obſtetrices mendacio ſuo meruiſſe aliquod

quod præmium temporale, cujus merito, inquit, non repugnat deformitas illius actûs; quòd ſi autem in actu illo ſimul cum malitiâ mendacij non fuiſſet bonitas aliqua moralis, tunc nullum ei debitum fuiſſet præmium. Ergò Sed

5. Reſpondetur ad argumentum illud, quod dicit S. D. quòd nimirum actioni habenti unam prædictarum bonitatũ, contingat deeſſe aliam, per ly *habenti* non importare *ſenſum compoſitum*; ita ut actus ſimul retineat, ſeu habeat bonitatem unam, & defectum alterius; ſed facere *ſenſum diviſum*, quòd nimirum actui habenti unam bonitatem, quantùm eſt de ſe, & objecto ſuo, contingat deeſſe aliam, taliter ſcil. ut iſte defectus non compatiatur illam bonitatem, ſed deſtruat, licet *ex ſe* deberet illam habere, ſi defectus ille non eſſet.

Reſpondetur ad 1. Confirmationem S.D. in loco illo duo docere, nimirùm, quòd aliquando actus ſit in duplici ſpecie, unâ ex objecto; alterâ ex fine; & quòd aliquando unus actus poſſit habere finem extraneum, ſeu diſparatum, & ad hoc ſecundum probandum adducit exemplũ de furante propter eleemoſynam eleemoſyna enim reverà eſt finis extraneus reſpectu furti, ita tamẽ ut bonitas illius finis deſtruatur à malitiâ furti, quia tunc non remanet integritas omnium requiſitorum ad bonum *morale*, quod in integritate conſiſtit.

℟. Ad 2. Confirmationem quoad primum locum allegatum, verum quidem eſſe, actum bonum poſſe malè fieri, ita tamen, ut illa bonitas non permaneat in *ſenſu compoſito*, ſed deſtruatur; & per hoc ſalvatur differentia intenta à S. D. inter actum bonum, qui po-

teſt in dicto ſenſu malè fieri, & inter actum malum, qui nunquam poteſt fieri benè per quamcunqúe circumſtantiam bonam; quia quod ſemel corruptum eſt corruptione tangente principia eſſentialia & ſpecificativa, velut accidit, quando objectum alicujus actûs ex ſe malum eſt, non poteſt ab extrinſeco reddi bonum.

℞. Ad alterum locum in confirmatione 2. adductum, quòd obſtetrices non meruerint propriè apud Deum etiam præmium temporale ipſo actu metiendi, ſed ſolummodò remuneratas fuiſſe pro timore Dei, & benevolentiâ in Judæos, ex quâ materialiter ſumptâ mendacium proceſſit.

6. *Objicies 3.* Multi actus virtutum procedunt ex malo fine, & tamen verè procedunt in virtute; ergò actus ejusmodi præter malitiam, quam habent ex malo fine, retinent ſimul bonitatem aliquam *moralem*. Conſequentia patet, quià ſecundùm quod procedunt à virtute ſub ratione formali virtutis, procedunt ex motivo bono, & conſequenter retinent bonitatem. Antec. verò probatur multis exemplis; nam inprimis in virtutibus moralibus, qui reſtituit alteri, quod debet, èx *malo* fine, vg. ut alteri noceat cum illâ pecuniâ, facit actum juſtitiæ in reſtituendo; deindè Judex qui innocentem liberat ex vanâ gloriâ; & qui devotè audit Miſſam, ut videatur ab hominibus, faciunt actum juſtitiæ, vel Religionis, quia implent præceptum, quo tunc tenentur, quod tamen impleri non poteſt, niſi per actum bonum. Confirmatur præcedens argumentum: 1. in virtutibus Theologicis, cùm quis aſſentitur veræ fidei, illamq; confitetur vel propter vanam glo-

gloriam, vel ut placeat principi; talis actus vg ex fine quidem eſt peccatum vanitatis, ſed tamen ex objecto verè propriéque eſt actus fidei ſupernaturalis, quia per illum aſſentitur rebus fidei propter divinum teſtimonium; ita ut talis, ſi alioquin infidelis eſſet, tanquam Catholicus deberet reputari. Ergò talis actus utpote virtutis ſupernaturalis, eſſet bonus, & tamen etiam malus ob illum vanum finem. Confirmatur. 2. qui accedit cum attritione ſupernaturali ad ſacramentum confeſſionis, & ſimul ut captet inanem famam apud confeſſarium, attritio hæc eſt ex pravo fine, & tamen eſt actus virtutis, utpote ſupernaturalis, & ſufficiens ad juſtificandum, atquè adeò bonus. Item voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, vel perferendi Martyrium, conjuncta fini vanæ gloriæ, ſufficit ad conſecutionem juſtificationis. Ergò eſt actus virtutis, atque adeò cùm ex aliâ parte ſit malus ex fine vanæ gloriæ, idem actus poterit eſſe ſimul bonus & malus. At

7. R/. 1. Ad argumentum, & adjunctas confirmationes ſimul, negando, quòd actus malus, etiam ex circumſtantiâ ſolùm talis poſſit procedere à virtute formatâ, & perfectâ, ſeu per prudentiam regulatâ, prout ejus propria & intrinſeca ratio poſtulat, multò minùs à virtute aliquâ ſupernaturali; virtus enim *moralis* hoc ipſo, quòd virtuosè procedat, dirigitur à prudentiâ, tanquam à ſuâ regulâ debitâ, ita ut ſine dictamine illius operari non poſſit; prudentia autem diſponit etiam de omnibus circumſtantijs ad actum pertinentibus, ſicq; non permittit actum fieri advertenter cum circumſtantiâ, aut fine malo. Similiter actus fidei, ſi ſuper-

ſupernaturalis ſit, procedit ex auxilio ſupernaturali, quod ad credendum requiritur, & includit gratiam *iuvantem* & *excitantem*; hæc autem cùm ex parte intellectûs ſe teneat, & proponat objectum modo ſupernaturali, & cum ſpeciali concurſu, & illuſtratione divinâ, non admittit in actu minimam etiam malitiam *moralem*, utpote quæ alioquin ob dictum ſupernaturale auxilium, & gratiam *excitantem*, Deo attribueretur, quod repugnat.

8. ℟. 2. Ad argumentum, & ad quælibet ejus exempla particulariter, & quidem ad primũ, quòd actus ille reſtituendi, prout egreditur à voluntate non procedit à virtute juſtitiæ, neq; fiat benè, aut ſecundùm regulas rationis; licet in ordine ad alterũ in externâ recompenſatione tribuat æquale, & impleat debitũ, atq; præcepto legis ſatisfaciat. Ex quo non ſequitur, quòd actus ille ſit bonus *moraliter*, ſeu *formaliter*, ſed ſolùm, quòd ſit bonus *materialiter* in ordine ad proximum, vel legiſlatorem, quatenus fit id, quod lex præcipit, ſeu proximo debetur; lex autem non præcipit ipſum modum benè internè *operandi*, nec reſpicit actum bonum bonitate virtutis, ſed bonitate materiæ, & actionis externæ, ut nimirùm actione illâ, proximo quod debetur, reſtituatur. Ad id quod dicitur; quòd præceptum non poſſit impleri, niſi per actum bonum, diſtinquo, *non poteſt præceptum impleri, niſi per actum bonum*, quando præceptum eſt duntaxat de actu externo, *quoad ſubſtantiam*, ſeu materiam ipſius actûs, nego; quando præceptum non ſolùm eſt de actu *externo*, ſed etiam de *interno*, & non ſolùm de *ſubſtantiâ* actûs, ſed etiam de *modo*, ut

ſcil.

ſcil. benè etiam internè fiat ab eliciente, ne fiat ex uanâ gloriâ, vel ex intentione alteri nocendi, vel ex quacunq; aliâ ſimili causâ. At verò modus iſte virtutis, velut docet S. Thom. non cadit *directè*, & per ſe ſub lege humanâ, ſed ſolùm ſub lege divinâ quoad illa, quæ diſponunt de interiori rectitudine hominis, & de his, quæ pertinent ad directionem cordis.

9. ℞. Ad 1. Confirmationem, quòd etiam in fide poſſimus diſtinguere actum externum confeſſionis fidei, & etiam aſſenſum internum illius; internus autem aſſenſus, cùm nulli homini, ſed ſoli Deo pateat, vix fieri poteſt ex uanâ gloriâ, aut propter temporale lucrum; quamuis externam fidei confeſſionem aliquis imperare poſſit ex intentione vanæ gloriæ, adulationis, agnitionis &c. Confeſſio tamen ipſa externa non indiget interno aſſenſu, ſed ſolâ externâ ſimulatione, & prolatione verborum; adeoq; nec opus eſt admittere, ut confeſſio illa externa procedat â fide, vel recuperet habitum fidei, ſi is proditus fuerit; quia habitus fidei ſupernaturalis non recuperatur per ſolam Confeſſionem externam, ſed per aſſenſum internum. Quòd ſi verò quis habeat aſſenſum etiam internum *ſupernaturalem*, & confeſſio externa ex illo fiat, ſimul autem habeat affectum vanitatis, vel adulationis v.g. tunc dicimus, quòd vanitas hæc ſolùm ſe habeat *concomitanter*, & ex parte operantis, non verò ex parte operis, & actûs fidei, atqúe ita in eodem operante fieri poteſt confeſſio fidei ex ſupernaturali fide orta, & ſimul oriri motus vanæ gloriæ de oſtentatione talis confesſionis; hoc tamen non eſt habere actum virtutis ortum ex vanâ gloriâ; aut vanam

participetur, & ſi eſt aliqua inæqualitas, illa ſolùm ſe tenebit ex parte differentiarum contrahentium rationem communem moralitatis. Quòd ſi autem dicatur, quòd malitia *moralis* ſit privatio, tunc moralitas tantùm erit ſuperius *analogum* ad bonitatem, & malitiam; non enim datur ſuperius *univocum* ad poſitivum, & privativum. Hoc ſecundum ut probabilius eligetur in tract. ſeq. Interim ſive moralitas ſit ſuperius *univocum*, ſive *analogum*, ſemper tamen eſt ſuperius eſſentiale, ut conſtat in ente, quod eſt ſuperius *eſſentiale* ad ſubſtantiam, & accidens, & tamen ad illa duntaxat eſt *analogum*. Sed

6. *Objic.* contrà rationem, quâ concluſio probata eſt; nulla privatio poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei poſitivæ; atqui in doctrinâ S. Thomæ, malum eſt quædam privatio boni. Ergò malum non poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei, & conſequenter nec actûs humani.

Reſpondeo, omninò verum eſſe, & nullam privationem, poſſe eſſe differentiam conſtitutivam alicujus ſpeciei; malum tamen, quod aſſerimus, eſſe differentiam conſtitutivam actûs *moralis*, non eſt pura privatio, ſed res aliqua *poſitiva*, habens annexam privationem rectitudinis debitæ, ipſum ſcil. objectum, quatenus eſt difforme rectæ rationi, & legi, quæ ſunt regulæ morum. Unde quatenus objectum eſt quid poſitivum, poteſt conſtituere ſpeciem actûs mali. Neque obſtat huic doctrinæ, quòd actus aliqui dicantur intrinſecè mali; dicuntur enim eo ſolùm ſenſu intrinſecè mali, quòd ſine malitiâ nunquam reperiantur, non

porrò

porrò quòd malitia ut ſicipſis ſit intrinſeca, velut eorum differentia conſtitutiva. Igitur facilè

7. *Colliges*, malum (quemadmodum quodvis aliud connotativum) *in recto* ſignificare id, cui ineſt, adeoq; aliquod poſitivum; eſt námque malum id, quod habet adjunctam malitiam; velut album eſt id, quod habet conjunctam albedinem. Unde non eſt idem dicere: *malum, ut malum*; vel (quod idem eſt) *malitia eſt differentia* per ſe *conſtitutiva, licet diviſiva actûs moralis*; & dicere: *malū eſt differentia* per ſe *conſtitutiva, & diviſiva actûs moralis*; hæc enim ſecunda propoſitio vera eſt, prima autem falſa; quia malitia cum ſit privatio, & non ens, ingredi nequit conſtitutionem Entis poſitivi.

CAPUT VII.

De Bonitate, & Malitiâ Actuum humanorum in communi.

POſt tractatum de moralitate actuum humanorum in communi, tractandum & conſiderandum etiam eſt de bonitate, & malitiâ, eorundem actuum itidem in communi; quia juxtà dicta bonitas& malitia ſunt duæ ſpecies, aut quaſi ſpecies moralitatis, eandem *adæquatè* contrahentes.

§. 1.

Utrum omnis actio humana ſit bona, vel mala?

Concluſio 1.

Non omnis actio humana eſt bona, ſed aliqua etiam mala. Eſt de fide certa, indicata in illo: *dilexerunt homines ma-* *S. Thomas hic, & Ioan. 3.*

 gis

gis tenebras, quàm lucem; erant enim opera eorum mala.

1. Explico in tantùm aliquid habet de bonitate, in quãtùm habet *de eſſe*; in quantùm verò deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantùm deficit de bonitate, ſicq; actio humana dicitur mala. Dixi (1.) *actio humana*; quia hoc loco non eſt ſermo de actione, quæ ab homine eſt naturaliter, & ſine ullo rationis judicio operante, ſed quæ procedit ab homine, ſecundùm quòd homo eſt, ſive ſecundùm quod utitur ratione, fitque ex prævia deliberatione, ut alibi dictum eſt. Dixi (2.) *in quantum ei deficit de plenitudine eſſendi; quæ debetur actioni humanæ*; quia S. D. non loquitur de plenitudine eſſendi *ſimpliciter*, quæ ſoli Deo, & nulli creaturæ debetur, ſed de illâ ſolùm, quæ debetur actioni humanæ, ita ut tunc dicatur actio humana mala, quando ei deeſt aliquid, quod ei debetur; unde non intelligitur de abſentiâ *negativâ* alicujus perfectionis, ſed ſolùm de *privativâ*, quæ ſcil. tali actioni debetur. Sic explicata

2. Probatur conclus. De bono & malo in actionibus loqui oportet, ſicut de bono & malo in rebus; ſed in rebus unumquodq; tantùm habet de bono, quantùm habet de *eſſe*; ergò etiam actio in quantùm habet de *eſſe*, in tantùm habet de bono; in quantùm verò deficit ei aliquid, in tantùm habet de malo. m. patet. Quia bonum, & Ens convertuntur; & inſuper declaratur exemplo; nam homo cæcus vg. in tantùm dicitur bonus, in quantùm habet *eſſe* viventis animalis, in quantùm verò caret viſu, deficit à bonitate, eáq; caret, quæ ei debetur; quia ad plenitudinẽ *eſſe* humani requiritur, quòd

Digitized by Google

quòd ſit quoddam compoſitum *ex animâ & corpore*, habens omnes potentias, & inſtrumentum cognitionis, & motionis. M. verò etiam conſtat; quia unaquæque res talem actionem producit, qualis eſt ipſa, ideoq; res bona bonam, mala verò malam producit actionem; ergò de bono & malo in actionibus oportet loqui, ſicut de bono & malo in rebus. Adhæc ſubſumo: ſed datur aliqua actio *moralis*, quæ in genere moris habet omnem plenitudinem eſſendi ſibi debitam, & datur viciſſim aliqua, quæ in genere moris non habet omnem plenitudinem debitam; vel quia verſatur circà indebitum objectum, vel quia fit modo, tempore, vel loco indebitis. Ergò datur actio, quæ in genere moris ſit bona, alia verò, quæ in eodem genere ſit mala. Et

3. Intelligitur concluſio hæc S. Thomæ non ſolùm de actibus præceptis, ſed etiam de actibus non præceptis, ſeu liberè elicitis, ita ſcil. ut & hi actus non præcepti, ſi deficiant à plenitudine eſſendi, careantq; perfectione ſibi debitâ; dicantur mali; licet enim talis actus *abſolutè* non ſit debitus; ſupponimus tamen, quòd ſi aliquis actum ejusmodi exercere velit, debeat illum producere cum debitis perfectionibus, ſecundùm quas produci poſtulat; ſicut licet actus orandi extrà tempus non ſit ex præcepto, ſed ex merâ propriâque voluntate hominis, poſito nihilominùs, quod talis homo orare velit, præceptum eſt, ut cum attentione, alijsq; circumſtantijs oret, alioquin juxtà ſapientis mentem, erit tanquam homo tentans Deum. Contrà doctrinam hujus artic. S. Thomæ, Lutherus, Calvinus, alijque quidam hæretici auſi ſunt dicere, omnia opera (etiam juſtorum) in ſtatu naturæ lapſæ

 eſſe

Digitized by Google

eſſe peccata mortalia, tametſi ex miſericordiâ Dei ea non imputentur fragilitati humanæ. Sed orthodoxè

4. *Dicendum* eſt, de fide eſſe, non omnia opera, quæ homo in ſtatu naturæ lapſæ, ſive *poſt*, ſive *ante* juſtificationem operatur, eſſe mala moraliter, vel peccata. Ita namque definitur in Concil. Trid. ubi anathema fertur in eum, *qui dixerit, omnia opera, quæ antè juſtificationem fiunt, quâcunq; ratione facta ſint, verè eſſe peccata.* Et; *ſi quis in qualibet bono opere juſtum, & ſanctum venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt*, mortaliter, *atq; adeo pœnas æternas mereri, tantúmq; ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema ſit.*

ſeſſ. 6. c. 7. c. 25.

5. Probatur doctrina hæc ex diverſis ſacræ ſcripturæ locis, quorum plurima affirmant, quorundam hominum opera eſſe bona; Ut: *in omnibus his non peccavit Job labijs ſuis. Ut videant opera bona veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Et ibidem *omnis arbor bona bonos fructus facit.* Et; *erant autem juſti ambo antè Deum incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus domini ſine querelâ.* Item; *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Nec non; *ſi acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit*: Item S. Jacobus Apoſtolus dicit quidem, nos *in multis offendere*, ſed non dicit, *in omnibus*, unde etiam monet ut *ſimus factores verbi*; imo luculenter oſtendit, opera valere ad juſtitiam; & ſpecialiter; quòd *multùm valeat juſti deprecatio aſſidua.*

Iob. 1. Math. 5. Luc. 1. Rom. 2. 1. Corinth. 7. ſuæ Epiſt. c. 1. c. 2. c. 5.

6. Probatur 3. ex omnibus illis ſive ſcripturarum, ſive SS. Patrum teſtimonijs, quæ vel peccatores admonent, ut ad miſericordiam Dei confugiant, eúmque, & pœnam inferni timeant (qui tamen timor eſt bonus, alias enim

non

non præciperetur; & reperitur etiam in peccatoribus;) vel quæ operum neceſſitatem aſtruunt; vel quæ probant, opera juſtorum coram Deo eſſe meritoria; vel quæ docent, non omnia opera infidelium eſſe peccata, de quibus omnibus ſuo loco, & tempore. Item illa, quæ nos monent agere pœnitentiam, & dignos fructus pœnitentiæ facere; Deum ac proximum diligere; benedicere maledicendibus; inſtare orationi; dare eleemoſynam, & alia hujusmodi multa. Et

7. Probatur deniq; doctrina hæc hâc ratione; ſi quid eſſet, quod hominem neceſſitaret, ut omne ſuum opus labe peccati afficiat, aliámue malam circumſtantiam apponat, vel omittat aliquam operis perfectionem, tunc hoc faceret vel ipſa concupiſcentia, vel Diabolus, vel Deus? Non primum. quia Homo ſæpiùs ſine concupiſcentiæ vitio operatur, poteſtq; illi reſiſtere. Neque ſecundum; quia licet dœmon poſſit objectum proponere, malúmque actum ſuadere, nequit tamen voluntatem neceſſitare (velut omnes concedunt) ſed neque tertium; quia valdè blaſphemum foret dicere, quòd Deus *non volens iniquitatem* ad malum neceſſitet, cùm ipſe oderit inimicum, eiusq; impietatem. Ergò &c. Verùm, ut hæretici errorem ſuum pauliſper expallient, loca quædam & Authoritates S. Scripturæ congerentes,

8. *Obyciunt* in primis illud: *videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore &c*: ubi ut patet, omnis cogitatio mala eſſe dicitur &c. Ergò. 2. Illud; *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.* 3. Illud; *non juſtificabitur* Gen. 6. Pſal. 13. Pſal. 142.

Digitized by Google

Eccles. 7. *cabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* 4. Non *eſt homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*; ergò omnia opera (etiam juſtorum) ſunt mala. ſed hiſce, aliiſque minimè obſtantibus

Reſpondetur loca hæc dupliciter poſſe explicari; ſemel ita, ut ea intelligantur de illis hominibus, qui tunc temporis vixerunt; illi enim verè tales erant, quales memorantur in ſcripturis, deinde ita, ut intelligantur, tanquam *generaliter* dicta, ſicque verificentur ſecundùm figuram Rhetorices, quâ illud, quod pluribus convenit, tribuitur univerſis; cujuſmodi locutiones ſæpiùs reperiuntur in ſcripturis, quibus ſignum *univerſale* non ad totum, ſed ad maximam eius partem refferi conſueuit.

§. 2.

An ne idem numero actus humanus poſſit *ſimul*, aut *ſucceſſivè* eſſe *moraliter* bonus, & malus?

1. Sicuti in artificialibus materiæ materiali, quæ elaboratur per artem, ſuperveniunt figuræ, & formæ, altæque habitudines conſecutæ per artem; ita in moralibus ſupponitur entitas phyſica actûs, cui velut accidens ſupervenit ſpecies *moralis*, reſpectus nimirum ad objecta, ut regulata regulis morum, & rationis, penes quas, velût jam patet, conſtituitur ſpecies *moralis*; quare cùm in eodem actu poſſint concurrere ex his moralitatibus vg. plures bonitates, vel malitiæ, ut ex objecto, ex fine, & circumſtantijs, meritò idcircò duo inquiruntur, primò ſcil. hoc §. an poſſint in eodẽ numero actu *ſimul*, vel *ſucceſſivè* reperiri bonitas, & malitia *moralis*, non quidem ex eodem, ſed ex diverſis

prin-

principijs; deinde; §. ſequenti, utrum in eodem numero actu, poſſint plures ſpecies morales ex æquo concurrere. Dixi autem quæſtionem procedere *de eodem numero actu*; quia dubium non eſt, quin idem ſpecie phyſicâ actus poſſit ſimul eſſe bonus & malus moraliter, ut ug. eſus carnium tempore quadrageſimæ eſt moraliter bonus in homine infirmo, & moraliter malus in homine ſano. Eſt autem bonitas *moralis* actûs humani quodammodo duplex, ſicut & bonitas *naturalis*; prima eſt, quâ dicitur bonus in ſe ipſo per hoc, quòd habeat omnia requiſita ad bonitatem *moralem*, & hæc attenditur penes objectum, quod eſt ſpecificativum actûs moralis; altera eſt, quâ dicitur bonus alteri, ſcil. homini in quo eſt, & à quo elicitur, unde hæc attenditur penes principium elicitivum, & ſubjectum receptivum ipſius actûs. Præſens quæſtio procedit de primâ bonitate, & de malitiâ ipſi directè oppoſitâ. Rursùs bonitas, & malitia *moralis* alia eſt *eſſentialis*, alia *accidentalis*; *eſſentialis* eſt illa, quæ procedit ab objecto, & dicitur etiam *primaria*, ut habet S. Th. & communiter recipitur; quia actio ſumit ſpeciem ab objecto, ſicut & motus à termino. Accidentalis autem bonitas, & malitia *moralis* eſt illa, quæ procedit à circumſtantijs (quamvis illa quæ procedit à fine, ſit formalior) quia circumſtantiæ ſunt extrà conceptum objecti, id quod docet S. Th. Et tandem circumſtantiæ conſiderari poſſunt *formaliter*, ut circumſtantiæ actûs, quatenus *antecedenter* ad ipſum, afficiunt objectum; vel *moraliter*, quatenus tantùm ſe habent ex conſequenti, & *concomitanter*; priori modo conſideratæ

hic a. 2.

hic a. 3. & maximè ad 3.

Nn influunt

influunt bonitatem, vel malitiam *moralem* in actum; poſteriori modo verò non influunt, quia reſpiciunt alium actum. Jam ſit

Concluſio 1.

Non poteſt idem actus humanus, in eſſe phyſico *conſideratus*, *ſimul eſſe bonus & malus* moraliter, *etiam ex diverſis principijs.* Ita contrà Cajet. Lorcam, Cordubam, Abulenſes, & alios, ſint alij DD. cum intrà, tum extrà ſcholam D. Thomæ. Dixi: *in eſſe phyſico conſideratus*: eò quòd impoſſibile ſit eundem in genere moris actum eſſe bonum & malum bonitate, & malitiâ *morali*, velut docet S. Thom.

infrà q. 20. a. 6.

Corinth. 6.

2. Probatur Concluſio 1. Ex illo Pauli: *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate; aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* quòd ſi autem in eodem actu conjungeretur bonitas & malitia, in eo eſſet participatio juſtitiæ cum iniquitate, & lucis cum tenebris; ac proinde convenirent jam extrema illa, quæ Apoſtolus impoſſibilia judicavit.

c. 4. de divinis nominibus.

Probatur 2. Ex S. Dionyſio, ubi ait; *bonum non contingit, niſi ex unâ totâ, & integrâ causâ*; ergò ſi actus ex aliquâ parte fuerit defectuoſus, nullam habebit bonitatem *moralem*, utpote carens eâ integritate, quam prædicta bonitas neceſſariò requirit.

infrà q. 59. a. 6.

Probatur 3. Authorit. S. Thomæ, ubi docet, impoſſibile eſſe, ut actus, prout eſt in genere *moris*, ſit bonus & malus malitiâ *morali*, ſed actus tam ex parte objecti; quàm ex parte finis, & circumſtantiarum, eſt actus, prout is eſt in genere moris (quia moralitas ex utroq; ſumitur

ſumitur) Ergò nequit idem actus ſimul eſſe bonus, & malus moraliter etiam ex diverſis principijs.

3. Probatur 4. Ratione; quia quantumvis objectum in ſe ſit bonum, ſi tamen induat motivum malum ex fine, & alijs circumſtantijs, hoc ipſo redditur malum, ejusq; deſtruitur bonitas *objectiva*; ergò ſi unum deſtruit alterum, non poteſt ſimul idem actus manere bonus, & malus. Antec. probo, quia licet objectum *ſecundùm ſe*, & ut abſtrahens à tali fine & circumſtantijs, non ſit malum, tamen ut fundans malas circumſtantias, & quatenus ſubordinatur malo fini, non poteſt eſſe bonum, neque conformari rectæ rationi; ratio enim non ſolùm dictat, ne fiant malæ circumſtantiæ, vel appetatur finis pravus, ſed etiam, ne aliquod bonum ſubordinetur circumſtantijs malis, aut fini pravo; ergò &c. Confirmatur, quia bonum fieri ex motivo malo; vel etiam bonum fieri malè, non eſt bonum, nec rationi conforme (eſt enim præbere materiam ipſi malo; quemadmodum vg. eleemoſyna, facta ob vanam gloriam, jam non eſt *formaliter* eleemoſyna, ſed eſt materia, in quâ exercetur vana gloria titulo eleemoſynæ, licet habeat ejus effectum, quantùm ad ſublevationem pauperis) ſed quando aliquod bonum fit ex fine malo, fit ex malo motivo, quia finis dat motivum faciendi; & quando fit ex circumſtantiâ malâ, illud bonum non fit benè, ſed malè; ergò jam bonum illud ſic veſtitum, ſeu malo ejusmodi fini, aut circumſtantiæ malæ conjunctum, non fit conformiter ad rationem, ſed contrà illam, & conſequenter fit malum, atque adeò idem actus non erit ſimul bonus, & malus;

Digitized by Google

Epiſt. 84. ad demetriadem. unde rectè dixit S. Ambroſius; *ambitio, & propriorum bonorum* ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt evacuare martyria, ſi quis & magnas opes amore humanæ laudis effundat, & ſævo ſupplicio, non eâ fortitudine, quam Deus tribuit, ſed eâ quam de ſe præſumpſit excipiat. Sed

hac q. a. 4. ad 3 4. *Objicies 1.* Authorit. S. Th. qui ait, nihil prohibere, quin actioni habenti unam prædictarum bonitatum deſit alia; & ſecundùm hoc contingere, ut actio, quæ eſt bona ſecundùm ſuam ſpeciem, vel circumſtantias, ordinetur ad malum finem, vel econtrà; ubi, ut patet, dum dicit, actui habenti unam prædictarum bonitatum, ſupponit S. D. quòd actui retinenti unam bonitatem, deficiat ei alia; hoc autem nihil eſt aliud, quàm eundem numero actum eſſe ſimul bonum & malum. Ergò &c. Confirmatur 1. ex articulo ſequenti, ubi dicit, quòd quando objectum non eſt per ſe ordinatum ad aliquem finem, ſed *per accidens* ſe habet ad illum, tunc *per accidens* ſit in duabus ſpeciebus; ſicut *accipere alienum* per accidens ſe habet ad eleemoſynam; ergo quando finis *diſparatè* ſe habet ad objectum, benè poteſt ſimul concurrere duplex ſpecies bona, & mala in eodem actu.

ex q. 2. de malo a. 4. Confirm. 2. ex eodem S. D. ubi concedit quidem quòd actus malus non poſſit benè fieri, quia ex quo actus malus eſt, ex eo nequit eſſe integrum bonum; nihilominùs dicit, quòd actus bonus poſſit malè fieri; quia non requiritur, quòd ſit integrum malum, ſed ſufficit, quòd ſit partialiter malum. Et deniq; docet

2. 2. q. 110. a. 4. ad 4. Ægyptiacas obſtetrices mendacio ſuo meruiſſe aliquod

quod

quod præmium temporale, cujus merito, inquit, non repugnat deformitas illius actûs; quòd ſi autem in actu illo ſimul cum malitiâ mendacij non fuiſſet bonitas aliqua moralis, tunc nullum ei debitum fuiſſet præmium. Ergò

5. Reſpondetur ad argumentum illud, quod dicit S. D. quòd nimirum actioni habenti unam prædictarum bonitatũ, contingat deeſſe aliam, per ly *habenti* non importare *ſenſum compoſitum*; ita ut actus ſimul retineat, ſeu habeat bonitatem unam, & defectum alterius; ſed facere *ſenſum diviſum*, quòd nimirum actui habenti unam bonitatem, quantùm eſt de ſe, & objecto ſuo, contingat deeſſe aliam, taliter ſcil. ut iſte defectus non compatiatur illam bonitatem, ſed deſtruat, licet *ex ſe* deberet illam habere, ſi defectus ille non eſſet.

Reſpondetur ad 1. Confirmationem S.D. in loco illo duo docere, nimirùm, quòd aliquando actus ſit in duplici ſpecie, unâ ex objecto; alterâ ex fine; & quòd aliquando unus actus poſſit habere finem extraneum, ſeu diſparatum, & ad hoc ſecundum probandum adducit exemplũ de furante propter eleemoſynam eleemoſyna enim reverà eſt finis extraneus reſpectu furti, ita tamẽ ut bonitas illius finis deſtruatur à malitiâ furti, quia tunc non remanet integritas omnium requiſitorum ad bonum *morale*, quod in integritate conſiſtit.

℟. Ad 2. Confirmationem quoad primum locum allegatum, verum quidem eſſe, actum bonum poſſe malè fieri, ita tamen, ut illa bonitas non permaneat in *ſenſu compoſito*, ſed deſtruatur; & per hoc ſalvatur differentia intenta à S. D. inter actum bonum, qui po-

Digitized by Google

ctus nec ſunt boni, nec mali *moraliter*, ſed indifferentes *moraliter*; itaque præter bonitatem, & malitiam *moralem*, datur indifferentia *moralis*. Si hoc? ergò moralitas non dividitur adæquatè in bonitatem, & malitiam.

Reſpondetur negando antec. unâ cum ratione adductâ; quià ſicut actuum iſtorum objecta ſecundùm *ſuam ſpeciem* ſunt indifferentia (nec bona, nec mala moraliter) ita & actus eorum ſunt indifferentes (nec boni, nec mali moraliter) quia ſicut objecta ut ſic, necdum cadunt ſub regulis morum; ita nec actus ad ea ut ſic terminati, ſunt *morales*; licet non ſint indifferentes in individuo, ſed boni, vel mali, quatenus ad illa, ut regulis morum ſubjecta, terminantur, & procedunt ex deliberatione rationis, & à voluntate, ſimiliter ſubjectâ regulis morum. Ex quibus

4. *Patet* (1.) Quòd objecta eatenùs influant moraliter in actus humanos, quatenus ſunt *moralia*; ſunt autem moralia præcisè in quantùm ſubijciuntur regulis morum, ſive legibus, *actu* regulantibus; quatenus autem ſubijciuntur legibus *actu* regulantibus, ſunt bona, vel mala *moraliter* in individuo, quamvis ex *ſuâ ſpecie* ſint indifferentia. Et ſic intelligendæ ſunt Authoritates S. Thomæ, in contrarium allegabiles.

Patet (2.) Quòd in actibus *moralibus*, quoad entitatem eorum phyſicam, & *materialiter* ſpectatis, ly *bonum*, & *malum* non opponantur *immediatè*, ſed inter ea mediet ly *indifferens*; quòd ſi verò *bonum* & *malum* morale ſumantur *formaliter*, & *reduplicativè*, ut moralia,

oppo-

opponantur *immediatè*, quia nihil inter ea invenitur, quod non ſit bonum, vel malum in individuo. Et ita intelligendus venit S. D. dum dividit actum moralem, in bonum, malum, & *indifferentem*; ſumit autem actũ moralem *materialiter* pro actu humano, ſive libero.

Concluſio 2.

Moralitas dividitur in bonitatem & malitiam, tanquam ſuperius eſſentiale in ſua inferiora, Ita hic ſentiunt illi, qui ſteterunt pro 1. concl. Et *hic a. 5. ad 1.*

5. Probatur 1. Authorit. S. Thom. ubi ait; *bonum, in quantùm eſt ſecundùm rationem, & malum, quatenus eſt præter rationem, diverſificant ſpeciem moris.* Item *bonum & malum ſunt differentiæ ſpecificæ.* Subſumo; ſed hæc vera non eſſent, niſi moralitas eſſet ſuperius *eſſentiale* reſpectu bonitatis & malitiæ; Ergò ſic eſt. *1. p. q. 98. a. 1. ad 2.*

Probatur 2. ratione; illæ ſunt differentiæ *eſſentiales*, quæ alicui competunt *per ſe*, & non *per accidens*; quæq; illud conſtituunt, & dividunt; ſed bonum & malum, quod oritur ex objecto, ita competunt actui *morali*; ergò bonum & malum, quæ oriuntur ex objecto *morali*, ſunt differentiæ *eſſentiales* & *per ſe* reſpectu actûs *moralis*, & conſequenter moralitas, quæ in bonitatem, & malitiam adæquatè dividitur, ad hæc eſt ſuperius eſſentiale. An porrò moralitas ſit *ſuperius univocum*, vel tantùm *analogum* ad bonitatem & malitiam, id dependet ex dicendis in tract. ſeq. circà malitiam *moralem* conſtitutivam peccati. Quòd ſi enim concedatur, malitiam eſſe rationem aliquam poſitivam, certum eſt, quòd moralitas ſit ſuperius *univocum* ad bonitatem & malitiam, eo quòd factâ hâc ſuppoſitione, æqualiter ab illis

 partici-

Digitized by Google

participetur, & ſi eſt aliqua inæqualitas, illa ſolùm ſe tenebit ex parte differentiarum contrahentium rationem communem moralitatis. Quòd ſi autem dicatur, quòd malitia *moralis* ſit privatio, tunc moralitas tantùm erit ſuperius *analogum* ad bonitatem, & malitiam; non enim datur ſuperius *univocum* ad poſitivum, & privativum. Hoc ſecundum ut probabilius eligetur in tract. ſeq. Interim ſive moralitas ſit ſuperius *univocum*, ſive *analogum*, ſemper tamen eſt ſuperius eſſentiale, ut conſtat in ente, quod eſt ſuperius *eſſentiale* ad ſubſtantiam, & accidens, & tamen ad illa duntaxat eſt *analogum*. Sed

6. *Obijc.* contrà rationem, quâ concluſio probata eſt; nulla privatio poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei poſitivæ; atqui in doctrinâ S. Thomæ, malum eſt quædam privatio boni. Ergò malum non poteſt eſſe differentia conſtitutiva alicujus ſpeciei, & conſequenter nec actûs humani.

Reſpondeo, omninò verum eſſe, & nullam privationem, poſſe eſſe differentiam conſtitutivam alicujus ſpeciei; malum tamen, quod aſſerimus, eſſe differentiam conſtitutivam actûs *moralis*, non eſt pura privatio, ſed res aliqua *poſitiva*, habens annexam privationem rectitudinis debitæ, ipſum ſcil. objectum, quatenus eſt difforme rectæ rationi, & legi, quæ ſunt regulæ morum. Unde quatenus objectum eſt quid poſitivum, poteſt conſtituere ſpeciem actûs mali. Neque obſtat huic doctrinæ, quòd actus aliqui dicantur intrinſecè mali; dicuntur enim eo ſolùm ſenſu intrinſecè mali, quòd ſine malitiâ nunquam reperiantur, non porrò

Digitized by Google

porrò quòd malitia ut ſic ipſis ſit intrinſeca, velut eorum differentia conſtitutiva. Igitur facilè

7. *Colliges*, malum (quemadmodum quodvis aliud connotativum) *in recto* ſignificare id, cui ineſt, adeoq; aliquod poſitivum; eſt námque malum id, quod habet adjunctam malitiam; velut album eſt id, quod habet conjunctam albedinem. Unde non eſt idem dicere: *malum, ut malum*; vel (quod idem eſt) *malitia eſt differentia* per ſe *conſtitutiva, licet diviſiva actûs moralis*; & dicere; *malũ eſt differentia* per ſe *conſtitutiva, & diviſiva actûs moralis*; hæc enim ſecunda propoſitio vera eſt, prima autem falſa; quia malitia cum ſit privatio, & non ens, ingredi nequit conſtitutionem Entis poſitivi.

CAPUT VII.

De Bonitate, & Malitiâ Actuum humanorum in communi.

POſt tractatum de moralitate actuum humanorum in communi, tractandum & conſiderandum etiam eſt de bonitate, & malitiâ, eorundem actuum itidem in communi; quia juxtà dicta bonitas & malitia ſunt duæ ſpecies, aut quaſi ſpecies moralitatis, eandem *adæquatè* contrahentes.

§. I.

Utrum omnis actio humana ſit bona, vel mala?

Concluſio I.

Non omnis actio humana eſt bona, ſed aliqua etiam mala. Eſt de fide certa, indicata in illo: *dilexerunt homines ma-* *S. Thomæ hîc; & Ioan. 3.*

gis tenebras, quàm lucem; erant enim opera eorum mala.

1. Explico in tantùm aliquid habet de bonitate, in quãtùm habet *de eſſe*; in quantùm verò deficit ei aliquid de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantùm deficit de bonitate, ſicq; actio humana dicitur mala. Dixi (1.) *actio humana*; quia hoc loco non eſt ſermo de actione, quæ ab homine eſt naturaliter, & ſine ullo rationis judicio operante, ſed quæ procedit ab homine, ſecundùm quòd homo eſt, ſive ſecundùm quod utitur ratione, fitque ex prævià deliberatione, ut alibi dictum eſt. Dixi (2.) *in quantum ei deficit de plenitudine eſſendi; quæ debetur actioni humanæ*; quia S. D. non loquitur de plenitudine eſſendi *ſimpliciter*, quæ ſoli Deo, & nulli creaturæ debetur, ſed de illâ ſolùm, quæ debetur actioni humanæ, ita ut tunc dicatur actio humana mala, quando ei deeſt aliquid, quod ei debetur; unde non intelligitur de abſentiâ *negativâ* alicujus perfectionis, ſed ſolùm de *privativâ*, quæ ſcil. tali actioni debetur. Sic explicata

2. Probatur conclus. De bono & malo in actionibus loqui oportet, ſicut de bono & malo in rebus; ſed in rebus unumquodq; tantùm habet de bono, quantùm habet de *eſſe*; ergò etiam actio in quantùm habet de *eſſe*, in tantùm habet de bono; in quantùm verò deficit ei aliquid, in tantùm habet de malo. m. patet. Quia bonum, & Ens convertuntur; & inſuper declaratur exemplo; nam homo cæcus vg. in tantùm dicitur bonus, in quantùm habet *eſſe* viventis animalis, in quantùm verò caret viſu, deficit à bonitate, eáq; caret, quæ ei debetur; quia ad plenitudinẽ *eſſe* humani requiritur, quòd

quòd ſit quoddam compoſitum *ex animâ & corpore*, habens omnes potentias, & inſtrumentum cognitionis, & motionis. M. verò etiam conſtat; quia unaquæque res talem actionem producit, qualis eſt ipſa, ideoq; res bona bonam, mala verò malam producit actionem; ergò de bono & malo in actionibus oportet loqui, ſicut de bono & malo in rebus. Adhæc ſubſumo: ſed datur aliqua actio *moralis*, quæ in genere moris habet omnem plenitudinem eſſendi ſibi debitam, & datur viciſſim aliqua, quæ in genere moris non habet omnem plenitudinem debitam; vel quia verſatur circà indebitum objectum, vel quia fit modo, tempore, vel loco indebitis. Ergò datur actio, quæ in genere moris ſit bona, alia verò, quæ in eodem genere ſit mala. Et

3. Intelligitur concluſio hæc S. Thomæ non ſolùm de actibus præceptis, ſed etiam de actibus non præceptis, ſeu liberè elicitis, ita ſcil. ut & hi actus non præcepti, ſi deficiant à plenitudine eſſendi, careantq; perfectione ſibi debitâ; dicantur mali; licet enim talis actus *abſolutè* non ſit debitus; ſupponimus tamen, quòd ſi aliquis actum ejusmodi exercere velit, debeat illum producere cum debitis perfectionibus, ſecundùm quas produci poſtulat; ſicut licet actus orandi extrà tempus non ſit ex præceptò, ſed ex merâ propriâque voluntate hominis, poſito nihilominùs, quòd talis homo orare velit, præceptum eſt, ut cum attentione, alijsq; circumſtantijs oret, alioquin juxtà ſapientis mentem, erit tanquam homo tentans Deum. Contrà doctrinam hujus artic. S. Thomæ, Lutherus, Calvinus, alijque quidam hæretici auſi ſunt dicere, omnia opera (etiam juſtorum) in ſtatu naturæ lapſæ

 eſſe

Digitized by Google

non præciperetur; & reperitur etiam in peccatoribus;) vel quæ operum neceſſitatem aſtruunt; vel quæ probant, opera juſtorum coram Deo eſſe meritoria; vel quæ docent, non omnia opera infidelium eſſe peccata, de quibus omnibus ſuó loco, & tempore. Item illa, quæ nos monent agere pœnitentiam, & dignos fructus pœnitentiæ facere; Deum ac proximum diligere; benedicere maledicendibus; inſtare orationi; dare eleemoſynam, & alia hujusmodi multa. Et

7. Probatur deniq; doctrina hæc hâc ratione; ſi quid eſſet, quod hominem neceſſitaret, ut omne ſuum opus labe peccati afficiat, aliámue malam circumſtantiam apponat, vel omittat aliquam operis perfectionem, tunc hoc faceret vel ipſa concupiſcentia, vel Diabolus, vel Deus? Non primum. quia Homo ſæpiùs ſine concupiſcentiæ vitio operatur, poteſtq; illi reſiſtere. Neque ſecundum; quia licet dæmon poſſit objectum proponere, malúmque actum ſuadere, nequit tamen voluntatem neceſſitare (velut omnes concedunt) ſed neque tertium; quia valdè blaſphemum foret dicere, quòd Deus *non volens iniquitatem* ad malum neceſſitet, cùm ipſe oderit inimicum, eiusq; impietatem. Ergò &c. Verùm, ut hæretici errorem ſuum pauliſper expallient, loca quædam & Authoritates S. Scripturæ congerentes,

8. *Objiciunt* in primis illud: *videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore &c*: ubi ut patet, omnis cogitatio mala eſſe dicitur &c. Ergò. 2. Illud; *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.* 3. Illud; *non juſtificabitur*

Gen. 6.

Pſal. 13.

Pſal. 142.

Digitized by Google

Eccles. 7. *cabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* 4. Non *eſt homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*; ergò omnia opera (etiam juſtorum) ſunt mala. ſed hiſce, aliiſque minimè obſtantibus

Reſpondetur loca hæc dupliciter poſſe explicari; ſemel ita, ut ea intelligantur de illis hominibus, qui tunc temporis vixerunt: illi enim verè tales erant, quales memorantur in ſcripturis, deinde ita, ut intelligantur, tanquam *generaliter* dicta, ſicque verificentur ſecundùm figuram Rhetorices, quâ illud, quod pluribus convenit, tribuitur univerſis; cujuſmodi locutiones ſæpiùs reperiuntur in ſcripturis, quibus ſignum *univerſale* non ad totum, ſed ad maximam eius partem refferi conſueuit.

§. 2.

An ne idem numero actus humanus poſſit *ſimul*, aut *ſucceſſivè* eſſe *moraliter* bonus, & malus?

1. Sicuti in artificialibus materiæ materiali, quæ elaboratur per artem, ſuperveniunt figuræ, & formæ, aliæque habitudines conſecutæ per artem; ita in moralibus ſupponitur entitas phyſica actûs, cui velut accidens ſupervenit ſpecies *moralis*, reſpectus nimirum ad objecta, ut regulata regulis morum, & rationis, penes quas, velût jam patet, conſtituitur ſpecies *moralis*; quare cùm in eodem actu poſſint concurrere ex his moralitatibus vg. plures bonitates, vel malitiæ, ut ex objecto, ex fine, & circumſtantiis, meritò idcircò duo inquiruntur, primò ſcil. hoc §. an poſſint in eodẽ numero actu *ſimul*, vel *ſucceſſivè* reperiri bonitas, & malitia *moralis*; non quidem ex eodem, ſed ex diverſis

prim-

principijs; deinde; §. ſequenti, utrum in eodem numero actu, poſſint plures ſpecies morales ex æquo concurrere. Dixi autem quæſtionem procedere *de eodem numero actu*; quia dubium non eſt, quin idem ſpecie phyſicâ actus poſſit ſimul eſſe bonus & malus moraliter, ut ug. eſus carnium tempore quadrageſimæ eſt moraliter bonus in homine infirmo, & moraliter malus in homine ſano. Eſt autem bonitas *moralis* actûs humani quodammodo duplex, ſicut & bonitas *naturalis*; prima eſt, quâ dicitur bonus in ſe ipſo per hoc, quòd habeat omnia requiſita ad bonitatem *moralem*, & hæc attenditur penes objectum, quod eſt ſpecificativum actûs moralis; altera eſt, quâ dicitur bonus alteri, ſcil. homini in quo eſt, & à quo elicitur, unde hæc attenditur penes principium elicitivum, & ſubjectum receptivum ipſius actûs. Præſens quæſtio procedit de primâ bonitate, & de malitiâ ipſi directè oppoſitâ. Rursùs bonitas, & malitia *moralis* alia eſt *eſſentialis*, alia *accidentalis*; *eſſentialis* eſt illa, quæ procedit ab objecto, & dicitur etiam *primaria*, ut habet S. Th. & communiter recipitur; quia actio ſumit ſpeciem ab objecto, ſicut & motus à termino. Accidentalis autem bonitas, & malitia *moralis* eſt illa, quæ procedit à circumſtantijs (quamvis illa quæ procedit à fine, ſit formalior) quia circumſtantiæ ſunt extrà conceptum objecti, id quod docet S. Th. Et tandem circumſtantiæ conſiderari poſſunt *formaliter*, ut circumſtantiæ actûs, quatenus *antecedenter* ad ipſum, afficiunt objectum; vel *moraliter*, quatenus tantùm ſe habent ex conſequenti, & *concomitanter*; priori modo conſideratæ

hic a. 2.

hic a. 3. & maximè ad 3.

Nn influunt

influunt bonitatem, vel malitiam *moralem* in actum; poſteriori modo verò non influunt, quia reſpiciunt alium actum. Jam ſit

Concluſio 1.

Non poteſt idem actus humanus, in eſſe phyſico *conſideratus, ſimul eſſe bonus & malus* moraliter, *etiam ex diverſis principijs.* Ita contrà Cajet. Lorcam, Cordubam, Abulenſes, & alios, ſint alij DD. cum intrà, tum extrà ſcholam D. Thomæ. Dixi: *in eſſe phyſico conſideratus*; eò quòd impoſſibile ſit eundem in genere moris actum eſſe bonum & malum bonitate, & malitiâ *morali*, velut docet S. Thom.

infrà q. 20. a. 6.

Corinth. 6.

2. Probatur Concluſio 1. Ex illo Pauli: *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate; aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* quòd ſi autem in eodem actu conjungeretur bonitas & malitia, in eo eſſet participatio juſtitiæ cum iniquitate, & lucis cum tenebris; ac proinde convenirent jam extrema illa, quæ Apoſtolus impoſſibilia judicavit.

c. 4. de divinis nominibus

Probatur 2. Ex S. Dionyſio, ubi ait; *bonum non contingit, niſi ex unâ totâ, & integrâ causâ*; ergò ſi actus ex aliquâ parte fuerit defectuoſus, nullam habebit bonitatem *moralem*, utpote carens eâ integritate, quam prædicta bonitas neceſſariò requirit.

infrà q. 59. a. 6.

Probatur 3. Authorit. S. Thomæ, ubi docet, impoſſibile eſſe, ut actus, prout eſt in genere *moris*, ſit bonus & malus malitiâ *morali*, ſed actus tam ex parte objecti; quàm ex parte finis, & circumſtantiarum, eſt actus, prout is eſt in genere moris (quia moralitas ex utroq; ſumitur

ſumitur) Ergò nequit idem actus ſimul eſſe bonus, & malus moraliter etiam ex diverſis principijs.

3. Probatur 4. Ratione; quia quantumvis objectum in ſe ſit bonum, ſi tamen induat motivum malum ex fine, & alijs circumſtantijs, hoc ipſo redditur malum, ejusq; deſtruitur bonitas *objectiva*; ergò ſi unum deſtruit alterum, non poteſt ſimul idem actus manere bonus, & malus. Antec. probo, quia licet objectum *ſecundùm ſe*, & ut abſtrahens à tali fine & circumſtantijs, non ſit malum, tamen ut fundans malas circumſtantias, & quatenus ſubordinatur malo fini, non poteſt eſſe bonum, neque conformari rectæ rationi; ratio enim non ſolùm dictat, ne fiant malæ circumſtantiæ, vel appetatur finis pravus, ſed etiam, ne aliquod bonum ſubordinetur circumſtantijs malis, aut fini pravo; ergò &c. Confirmatur, quia bonum fieri ex motivo malo; vel etiam bonum fieri malè, non eſt bonum, nec rationi conforme (eſt enim præbere materiam ipſi malo; quemadmodum vg. eleemoſyna, facta ob vanam gloriam, jam non eſt *formaliter* eleemoſyna, ſed eſt materia, in quâ exercetur vana gloria titulo eleemoſynæ, licet habeat ejus effectum, quantùm ad ſublevationem pauperis) ſed quando aliquod bonum fit ex fine malo, fit ex malo motivo, quia finis dat motivum faciendi; & quando fit ex circumſtantiâ malâ, illud bonum non fit benè, ſed malè; ergò jam bonum illud ſic veſtitum, ſeu malo ejusmodi fini aut circumſtantiæ malæ conjunctum, non fit conformiter ad rationem, ſed contrà illam, & conſequenter fit malum, atque adeò idem actus non erit ſimul bonus, & malus;

Nn 2 unde

Digitized by Google

Epiſt. 84. ad demetriadem. unde rectè dixit S. Ambroſius; *ambitio, & propriorum bonorum* ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt evacuare martyria, ſi quis & magnas opes amore humanæ laudis effundat, & ſævo ſupplicio, non eâ fortitudine, quam Deus tribuit, ſed eâ quam de ſe præſumpſit excipiat. Sed

hac q. a. 4. ad 3 4. *Objicies 1.* Authorit. S. Th. qui ait, nihil prohibere, quin actioni habenti unam prædictarum bonitatum deſit alia; & ſecundùm hoc contingere, ut actio, quæ eſt bona ſecundùm ſuam ſpeciem, vel circumſtantias, ordinetur ad malum finem, vel econtrà; ubi, ut patet, dum dicit, actui habenti unam prædictarum bonitatum, ſupponit S. D. quòd actui retinenti unam bonitatem, deficiat ei alia; hoc autem nihil eſt aliud, quàm eundem numero actum eſſe ſimul bonum & malum. Ergò &c. Confirmatur 1. ex articulo ſequenti, ubi dicit, quòd quando objectum non eſt per ſe ordinatum ad aliquem finem, ſed *per accidens* ſe habet ad illum, tunc *per accidens* ſit in duabus ſpeciebus; ſicut *accipere alienum* per accidens ſe habet ad eleemoſynam; ergo quando finis *diſparatè* ſe habet ad objectum, benè poteſt ſimul concurrere duplex ſpecies bona, & mala in eodem actu.

ex q. 2. de malo a. 4. Confirm. 2. ex eodem S. D. ubi concedit quidem quòd actus malus non poſſit benè fieri, quia ex quo actus malus eſt, ex eo nequit eſſe integrum bonum; nihilominùs dicit, quòd actus bonus poſſit malè fieri; quia non requiritur, quòd ſit integrum malum, ſed ſufficit, quòd ſit partialiter malum. Et deniq; docet

2. 2. q. 110. a. 4. ad 4. Ægyptiacas obſtetrices mendacio ſuo meruiſſe aliquod

Digitized by Google

quod præmium temporale, cujus merito, inquit, non repugnat deformitas illius actûs; quòd ſi autem in actu illo ſimul cum malitiâ mendacij non fuiſſet bonitas aliqua moralis, tunc nullum ei debitum fuiſſet præmium. Ergò Sed

5. Reſpondetur ad argumentum illud, quod dicit S. D. quòd nimirum actioni habenti unam prædictarum bonitatũ, contingat deeſſe aliam, per ly *habenti* non importare *ſenſum compoſitum*; ita ut actus ſimul retineat, ſeu habeat bonitatem unam, & defectum alterius; ſed facere *ſenſum diviſum*, quòd nimirum actui habenti unam bonitatem, quantùm eſt de ſe, & objecto ſuo, contingat deeſſe aliam, taliter ſcil. ut iſte defectus non compatiatur illam bonitatem, ſed deſtruat, licet *ex ſe* deberet illam habere, ſi defectus ille non eſſet.

Reſpondetur ad 1. Confirmationem S.D. in loco illo duo docere, nimirùm, quòd aliquando actus ſit in duplici ſpecie, unâ ex objecto; alterâ ex fine; & quòd aliquando unus actus poſſit habere finem extraneum, ſeu diſparatum, & ad hoc ſecundum probandum adducit exemplũ de furante propter eleemoſynam eleemoſyna enim reverà eſt finis extraneus reſpectu furti, ita tamẽ ut bonitas illius finis deſtruatur à malitiâ furti, quia tunc non remanet integritas omnium requiſitorum ad bonum *morale*, quod in integritate conſiſtit.

℞. Ad 2. Confirmationem quoad primum locum allegatum, verum quidem eſſe, actum bonum poſſe malè fieri, ita tamen, ut illa bonitas non permaneat in *ſenſu compoſito*, ſed deſtruatur; & per hoc ſalvatur differentia intenta à S. D. inter actum bonum, qui po-

 teſt

teſt in dicto ſenſu malè fieri, & inter a...
qui nunquam poteſt fieri benè per qua...
cumſtantiam bonam; quia quod ſemel corru...
corruptione tangente principia eſſentialia &...
tiva, velut accidit, quando objectum alicujus...
ſe malum eſt, non poteſt ab extrinſeco reddi...

℟. Ad alterum locum in confirmatione...
ctum, quòd obſtetrices non meruerint prop...
Deum etiam præmium temporale ipſo actu...
ſed ſolummodò remuneratas fuiſſe pro timo...
& benevolentiâ in Judæos, ex quâ materiali...
ptâ mendacium proceſſit.

6. *Objicies 3.* Multi actus virtutum procedunt...
lo fine, & tamen verè procedunt in virtute;...
ctus ejuſmodi præter malitiam, quam habent...
fine, retinent ſimul bonitatem aliquam *moralem*...
ſequentia patet, quia ſecundùm quod proce...
virtute ſub ratione formali virtutis, proced...
motivo bono, & conſequenter retinent bon...
Antec. verò probatur multis exemplis; nam in...
in virtutibus moralibus, qui reſtituit alteri, qu...
bet, èx *malo* fine, vg. ut alteri noceat cum illâ pecuniâ, facit actum juſtitiæ in reſtituendo; deindè Judex, qui innocentem liberat ex vanâ gloriâ; & qui devotè audit Miſſam, ut videatur ab hominibus, faciunt actum juſtitiæ, vel Religionis, quia implent præceptum, quo tunc tenentur, quod tamen impleri non poteſt, niſi per actum bonum. Confirmatur præcedens argumentum: 1. in virtutibus Theologicis, cùm quis aſſentitur veræ fidei, illamq; confiteturvel propter vanam glo-

gloriam, vel ut placeat principi; talis actus vg ex fine quidem eſt peccatum vanitatis, ſed tamen ex objecto verè propriéque eſt actus fidei ſupernaturalis, quia per illum aſſentitur rebus fidei propter divinum teſtimonium; ita ut talis, ſi alioquin infidelis eſſet, tanquam Catholicus deberet reputari. Ergò talis actus utpote virtutis ſupernaturalis, eſſet bonus, & tamen etiam malus ob illum vanum finem. Confirmatur. 2. qui accedit cum attritione ſupernaturali ad ſacramentum confeſſionis, & ſimul ut captet inanem famam apud confeſſarium, attritio hæc eſt ex pravo fine, & tamen eſt actus virtutis, utpote ſupernaturalis, & ſufficiens ad juſtificandum, atquê adeò bonus. Item voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, vel perferendi Martyrium, conjuncta fini vanæ gloriæ, ſufficit ad conſecutionem juſtificationis. Ergò eſt actus virtutis, atque adeò cùm ex aliâ parte ſit malus ex fine vanæ gloriæ, idem actus poterit eſſe ſimul bonus & malus. At

7. ℞. I. Ad argumentum, & adjunctas confirmationes ſimul, negando, quòd actus malus, etiam ex circumſtantiâ ſolùm talis poſſit procedere à virtute formatâ, & perfectâ, ſeu per prudentiam regulatâ, prout ejus propria & intrinſeca ratio poſtulat, multò minùs à virtute aliquâ ſupernaturâli; virtus enim *moralis* hoc ipſo, quòd virtuosè procedat, dirigitur à prudentiâ, tanquam à ſuâ regulâ debitâ, ita ut ſine dictamine illius operari non poſſit; prudentia autem diſponit etiam de omnibus circumſtantijs ad actum pertinentibus, ſicq; non permittit actum fieri advertenter cum circumſtantiâ, aut fine malo. Similiter actus fidei, ſi

ſuper-

Digitized by Google

ſcil. benè etiam internè fiat ab eliciente, ne fiat ex uanâ gloriâ, vel ex intentione alteri nocendi, vel ex quacunq; aliâ ſimili causâ. At verò modus iſte virtutis, velut docet S. Thom. non cadit *directè*, & per ſe ſub lege humanâ, ſed ſolùm ſub lege divinâ quoad illa, quæ diſponunt de interiori rectitudine hominis, & de his, quæ pertinent ad directionem cordis.

9. ℟. Ad 1. Confirmationem, quòd etiam in fide poſſimus diſtinguere actum externum confeſſionis fidei, & etiam aſſenſum internum illius; internus autem aſſenſus, cùm nulli homini, ſed ſoli Deo pateat, vix fieri poteſt ex uanâ gloriâ, aut propter temporale lucrum; quamuis externam fidei confeſſionem aliquis imperare poſſit ex intentione vanæ gloriæ, adulationis, agnitionis &c. Confeſſio tamen ipſa externa non indiget interno aſſenſu, ſed ſolâ externâ ſimulatione, & prolatione verborum; adeoq; nec opus eſt admittere, ut confeſſio illa externa procedat â fide, vel recuperet habitum fidei, ſi is proditus fuerit; quia habitus fidei ſupernaturalis non recuperatur per ſolam Confeſſionem externam, ſed per aſſenſum internum. Quòd ſi verò quis habeat aſſenſum etiam internum *ſupernaturalem*, & confeſſio externa ex illo fiat, ſimul autem habeat affectum vanitatis, vel adulationis v.g. tunc dicimus, quòd vanitas hæc ſolùm ſe habeat *concomitanter*, & ex parte operantis, non verò ex parte operis, & actûs fidei, atque ita in eodem operante fieri poteſt confeſſio fidei ex ſupernaturali fide orta, & ſimul oriri motus vanæ gloriæ de oſtentatione talis confeſsionis; hoc tamen non eſt habere actum virtutis ortum ex vanâ gloriâ; aut vanam

gloriam oriri, aut procedere à virtute fidei; hoc enim fieri non poſſe, jam oſtenſum eſt in primâ reſponſione, ita ut actus ſit ſimul bonus aut malus, ſed exindè ſolùm habetur, vanam gloriam habere pro obiecto & materiâ actum virtutis, velut docet S. Thom. & ſic in eodem operante erit actûs fidei bonus, qui præbebit materiam & occaſionem vanæ gloriæ, tanquam actui diſtincto, & *concomitanter* tantùm ſe habenti ex parte operantis.

infrà q. 55. a. 4. ad 5.

10. ℞. ad 2. Confirmationem eodem modo, aliud eſſe, quòd pœnitens accedat cum motiuo vanæ gloriæ, aut cum adhæſione ad aliud peccatum veniale ex parte operantis; & aliud, quòd ipſamet attritio ex parte operis oriatur ex motiuo vanæ gloriæ, vel illam habeat pro circumſtantiâ; primum enim benè poteſt contingere, ſed tunc erunt duo actus valdè diverſi, & diſparati ſimul concurrentes in eodem ſubjecto, ſcil. affectus vanæ gloriæ ergà confeſſarium, vel ad aliud peccatum veniale, & vera attritio de alijs peccatis, per quam tamen pœnitens verè juſtificatur; quia affectus ad peccatum veniale, vel etiam actualis eius commiſsio non impedit effectum Sacramenti quoad juſtificationem; ſecundum autem, quòd ſcil. aliquis in elicìendo attritionem moveatur ex motivo uanæ gloriæ, vel illam habeat pro circumſtantiâ, eſt omnino impoſſibile; quia attritio illa eſt ſupernaturalis, utpote diſpoſitio ſufficiens ad gratiam cum ſacramento, adeoq; debet oriri ex gratiâ *excitante*, & adjuvante ſpeciali, Deique ſupernaturali concurſu; Hic verò oriri non poteſt ex motiuo malo, aut vitiari circumſtantiâ malâ, cùm dictamen eius, ſit ex gratiâ excitante, quæ multò magis excludit quaſcúnq; circumſtantias malas, quàm

quæ-

Digitized by Google

quælibet prudentia virtuoſa. Et per hoc patet ad id, quod dicitur de eo, qui ſuſcipit baptiſmum, vel Martyrium ſimul cum vanâ gloriâ, & tamen juſtificatur; ſolùm enim *concomitanter* ſe habet vana illa gloria cum voluntate martyrii, vel baptiſmi, ex parte operantis, quæ non vitiat voluntatem, nec influit in ipſum actum, ac conſequenter nec impedit juſtificationem Quòd ſi verò vana eiuſmodi gloria ſe haberet ex parte operis, ita ut talis præcisè ſubiret Martyrium, vg ex motiuo vanæ gloriæ, tunc vitiaret voluntatem ſuſcipiendi baptiſmi, vel Martyrij, nec deſeruiret ad juſtificationem; quia ut dicit Apoſtolus, ſi *tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 1. Corinth. 14.

11. Obijc. 3. in naturalibus poteſt idem ſubjectum retinere bonitatem quoad aliquid, & eſſe malum quoad aliud, ut ægrotare pedibus, non verò manibus; habere pulchros oculos, & deformem naſum, vel aures. Ergò nec repugnabit, eundem actum ſecundùm unam rationem, aut motivum inadæquatum eſſe bonum, & ſecundùm aliud malûm; licet enim ad integrum ac perfectum bonum, & perfectum dictamen prudentiæ totum illud requiratur, ut ſcil. ex omnibus principiis occurrentibus ſit bonum, non tamen adhoc, ut verè, & in ſe dicatur retinere aliquid bonitatis.

12. ℟. Conceſſo antec. neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt; quia in rebus naturalibus, aut artefactis, quæ componuntur ex diverſis partibus actualibus, aut quantitativis, defectus unius partis non ſemper vitiat aliam; quia iſtarum partium perfectio non conſiſtit in reſpectu, aut tendentiâ, & ſubordinatione earum ad unam regulam,

Digitized by Google

aut finem, ita ut id, quod eſt in materiâ, conducat & ſubordinetur rationi alterius; ſed quælibet habet ſuam abſolutam conſtitutionem, & perfectionem qualitatis, vel quantitatis, aliorúmue accidentium, ſicq; ex ſolo reſpectu, aut coordinatione cum aliâ parte defectuosâ, altera pars non dicitur mala. At verò in actu morali bonitas *moralis* conſurgit ex concurſu omnium, quæ ad moralem bonitatem requiruntur, & hæc non conſiſtit in ſolâ abſolutâ entitate in ordine *ad ſe*, ſed in regulatione & reſpectu ad regulas moris, & unius objecti ad alterum, vg. ad finem, vel circumſtantias; ita ut id, quod habet reſpectum ad aliud, ſi illud ſit malum, vitietur ab illo; quia conducit illi, vel adjuvat, aut quo quo modo illi ſubordinatur; & quia per ipſum reſpectum unius ergà aliud conſurgit malitia, aut bonitas, inde fit, ut id, quod alioquin de ſe foret bonum, variato reſpectu & ſubordinatione ad malum, vitietur reſpectivè, quod ſufficit ad malitiam moralem, ſicq; non manet bonitas moralis, etiam inadæquata, ſi in eo introducatur reſpectus, aut coordinatio ad id, quod eſt malum.

13. *Obiicies 4.* Cùm quis dat eleemoſynam propter vanam gloriam, vel reddit debitum uxori in loco ſacro, vel furatur, ut det in eleemoſynâ &c. non committit duplicem malitiam, quin potiùs illa bona intentio dandi eleemoſinam, diminuit malitiam furti. Et prætereà, ſi in actu dandi eleemoſynam duplex eſt malitia, una ſcil. ex fine vanæ gloriæ, & alia ex obiecto depravato, puta ex eleemoſynâ depravatâ, tunc eleemoſyna illa eſſet contrà miſericordiam; quod falſum eſt; ergò ſi talis actus non habeat duplicem malitiam, ſed unam

unam tantùm, ac per conſequens retinebit ſuam bonitatem; aliàs enim ſi deſtrueretur bonitas, ſubrogaretur malitia, ſicq; adhuc foret duplex malitia.

14. ℞. Contrà alquos, probabilius eſſe, in ſimilibus caſibus non duplicari malitias, vel eſſe aliam diſtinctã malitiam à malitiâ furti in illâ eleemoſynæ largitione; cùm illa non ſit contrà aliud præceptum, & regulam rationis, quàm quòd verſetur circà furtum; ſed eandem malitiã furti magis extendi ad vitiandum ea, quæ ſibi conjunguntur, & alioquin bona eſſent, niſi vitiarentur à furto. Malitia itaq;, quæ reperitur in largitione eleemoſynæ, *reductivè* pertinet ad ſpeciem, & peccatum furti, quaſi aliquid materialiter ſibi adjunctum; eſtq; contrà præceptum furti, non quidem *directè*, & *formaliter*, ſed reductivè ſolùm, & *ex conſequenti*, ne ſcil. propter aliud bonum faciamus furtum, vel aliquid adjuvans, & conducens ad furtum; quia qui prohibet princ pale, prohibet & acceſſorium. Ad id, quod dic tur, furtum diminui ex bono fine adjuncto.

℞. Diminui malitiam illam, non quidem ex parte *operis*, & quaſi *intrinſecè*, ſed ſolùm ex parte *operantis*, & *extrinſecè*, aut quaſi *negativè*, quia ſcil. operans ex bono fine, aut cum bonâ circumſtantiâ, non habet ita depravatam voluntatem, ſicuti qui ex malâ intentione maláve circumſtantiâ operatur. Jam ſit

Concluſio 2.

Idem numero voluntatis actus in eſſe phyſico *conſideratus*, *ſive* interior, *ſive* exterior, *poteſt ſucceſſivè in genere* moris, *eſſe bonus & malus.*

Digitized by Google

15. Explico. Intelligitur concluſio hæc *indefinitè* non de omnibus, ſed de quibusdam ſaltem actibus; quia aliqui actus ſunt, qui nunquam poſſunt malè fieri, manente eâdem entitate, cujusmodi ſunt amor DEI ſuper omnia, actus ſpei Theologicæ &c. Dixi autem (1.) in concl. *Idem numero actus in eſſe phyſico conſideratus &c.* quia contradictionem involuit, ut idem numero, vel etiam ſpecie actus *moralis* ſit ſimul, aut ſucceſſivè moraliter bonus & malus; cùm bonitas, & malitia ſint differentiæ, & ſpecies, aut quaſi ſpecies moralitatis, eſſentialiter diſtinctæ. Jam ſic: mutatâ differentiâ eſſentiali, neceſſe eſt, mutari rem, cujus eſt differentia; ſed bonum & malum ſunt differentiæ eſſentiales actûs moralis. Ergò ijs mutatis, neceſſe eſt, mutari actum moralem ac proindè ſi fiat ex bono malus, non erit unus & idem numero, vel ſpecie actus. Dixi (2.) in concluſione; ſive *interior* ſive *exterior*: quia actus voluntarij, ſeu liberi, qui ſolùm poſſunt eſſe morales, dividuntur à S. Th. in *internos*, & *externos*; per internos S. D. intelligit illos, qui eliciuntur à voluntate ipſâ; per externos verò illos omnes, qui ab alia ſive interiori, ſive exteriori potentiâ, à voluntate diſtinctâ eliciuntur, qualem S. D. etiam nominat actum intellectûs. Jam

16. Probatur Concluſio. Quia bonitas & malitia moralis reſpectu actûs tam *interni* quàm *externi* in eſſe phyſico, habent ſe ut formæ omninò accidentales, & extraneæ; ergò poſſunt deeſſe, & abeſſe, etiam à parte rei absq; eo, quod deſtruatur ſubſtantia talis actûs, adeoq; poterit actus, idem numero manens in eſſe naturæ

tranſire

Digitized by Google

tranſire ob unâ ad alteram; ſicut ex eo, quòd calor & frigus ſint formæ accidentales reſpectu ligni, idē enim lignum poteſt de calido tranſire in frigidum & econtrà. Et confirmatur ſpecialiter de actibus externis; quia actio externa tam diu cenſetur eſſe una numero, quàm diu eſt continua, & non interrupta; ſed ſæpe actio continuò durans, ut recitare horas, celebrare miſſam, audire ſacrum &c. inchoatur bonâ intentione, ut adeo *moraliter* ſit bona, ſed continuatur, & finitur ob vanam gloriam, aliumvè ſimilem finem malum, ut proinde actio reddatur in *eſſe moris* mala. Ergo &c. Confirmatur 2 de actibus *internis*, quia tam diu cenſetur actus interior voluntatis manere idem in *eſſe naturæ*, quàmdiu ejus objectum perſeverat ſub eâdem ratione objecti phyſici propoſitum; atqui poteſt manente eâdem tali propoſitione actus tranſire de bono in malū. Ergò ſic eſt. m probatur; quia ſi aliquis tempore non prohibito proponeret ſibi hoc objectum, quod eſt *veſci carnibus* ad naturalem corporis ſuſtentationem, & quàmdiu continuaret propoſitionem hanc tempore prohibito, prædictum objectum in *eſſe naturæ* idem maneret, & tamen in *eſſe moris* variaretur de bono in malum. Ergò.

17. *Obyc.* Ut actus humanus ſucceſſivê de bono fiat malus, vel econtrà, debet variare ſuum objectum; atqui variato objecto; jam non manet idem numero actus; implicat ergò, eundem numero actum tranſire de bono in malum, vel viciſſim.

℟. Quando actus, in genere *naturæ* idem tranſit de bono in malum, retinere quoque idem objectum in genere

genere *naturæ*, ſolúmque acquirere objectum diverſum in genere *moris*, id eſt, objectum, hîc & nunc prohibitum, quod prius prohibitum non erat. Sed occaſionaliter hîc

Quæres; *In quonam igitur formaliter conſiſtat bonitas moralis actuum humanorum?*

18. R/. Moralitatem hanc nihil aliud eſſe, quàm conformitatem ad regulam practicam rectæ rationis, ſeu ad dictamen honeſtatis, cui ſubſtat tam voluntas libera, à quâ actus moraliter procedit, quàm objectum, ad quod actus moraliter terminatur.

Probatur. 1 Authorit. S. Th. ubi ait; *in actibus autem humanis bonum & malum dicitur per comparationem* ad rationem. Sed ratio eſt regula practica, ſeu dictamen honeſtatis.

1.2.q.18 a.5. in corp.

Probatur 2. ratione; Quia in quo conſiſtit bonitas in genere *artis*, in eo etiam conſiſtit bonitas in genere *moris*; atqui prior conſiſtit in conformitate rei artefactæ ad regulas artis; cùm ideo res artefactæ formaliter ſint bonæ in genere artis, quia ſunt conformes regulis artis; ergò etiam bonitas in genere *moris formaliter* non eſt aliud, quàm conformitas ad regulas morum, quarum proxima, eáque ac immediata eſt regula practica rectæ rationis, quam vocamus dictamen honeſtatis. m. ergò eſt certa; ſi autem negetur M. detur diſparitas.

§. 3.

Utrum idem numero actus humanus poſsit eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis?

Ita impoſſibile eſt, eundem numero actum eſſe in duplici ſpecie ordinis phyſici, ut dicere contrarium impor-

importet manifeſtam contradictionem; ſequeretur enim quòd talis actus eſſet idem, & non eſſet idem, eſſet idem numero ex ſuppoſitione; non eſſet idem numero, cùm eſſet in duplici ſpecie; diſtinctio autem ſpecifica importat diſtinctionem numericam ejusdem ordinis, quia diſtinctio ſpecifica major eſt, quàm numerica. In præſenti ergò quæritur, utrum idem numero actus humanus ſecundùm ſuam entitatem phyſicam poſſit eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis?

Concluſio 1.

Poteſt idem numero actus humanus eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis, quarum una ſit ex objecto, *&* *alia* ex fine; *ad quod tamen requiritur, ut tam objectum, quàm finis apprehendatur ſub ratione honeſti, vel inhoneſti.* Ita in præſenti communiter Theologi.

1. Probatur Concl. 1. p. Authorit. S. Th. ubi hæc habet; *contingit unum actum duorum ſimul vitiorum eſſe, dum actus vitij ordinatur ad finem alterius vitij; ut cùm quis furatur, ut fornicetur; actus quidem ſecundùm ſuam ſpeciem eſt* avaritiæ, *ſecundùm intentionem verò* luxuriæ: *Eodem modo & in virtutibus contingit*. Item; *nihil prohibet unum actum à diverſis habitibus informari, & ſecundùm hoc ad diverſas ſpecies reduci.* Similiter; *ad actum Martyrij inclinat charitas, ſicut primum & principale motivum per modum virtutis* imperantis; *fortitudo autem ſicut motivum proprium per modum virtutis* elicientis; *& inde eſt*, ait, *quòd Martyrium ſit actus charitatis*, ut imperantis, *fortitudinis autem* ut elicientis. Deinde

1. contra Gent. c. 128. 2. 2. q. 4. a. 3. ad 1. 22. q. 124. a. 2. ad 2.

Pp 2. Proba-

Digitized by Google

2. Probatur 1. p. ratione; in ordine ad quod actus humanus eſt quid reſpectivum, ab eo eſt ſpecificabilis, ſi id reſpiciat in ordine ad regulas morum; atqui actus humanus tam in ordine ad objectum, quod reſpicit, quàm in ordine ad finem, ad quem ordinatur, eſt quid reſpectivum, & quidem in ordine ad regulas morum; ergò actus humanus ab utroque poteſt ſpecificari; ergò cùm idem numero actus humanus poſſit habere bonum objectum, & bonum finem, vel malum objectum, & malum finem, poterit eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis. Confirmatur; quia quot ſpeciales convenientias, vel diſconvenientias actus humanus habet ad rectam rationem, tot habet bonitates, vel malitias morales; atqui actus humanus præter convenientiam, vel diſconvenientiam, quam habet ad rectam rationem ex parte *finis intenti*, poteſt habere ſpecialem convenientiam, vel diſconvenientiam ex parte *objecti*, ut patet in Martyrio, in actu miſericordiæ, juſtitiæ &c. Ergò &c.

3. Reſpondent. 1. aliqui, quòd ex utraque bonitate conſtituatur una ſpecies, quemadmodùm ex genere, & differentiâ; quia bonitas, quæ eſt ex objecto, contrahit illam, quæ eſt ex fine. Sed ex genere & differentiâ fit una ſpecies; ergò & una ſpecie bonitas ex objecto & fine. Sed *contrà eſt*; quia reſponſio hæc eſt expreſsè cōtrà S. Th. & rationem; quia genus & differentia conſtituentes ſpeciem *per ſe* adinvicem ordinantur ut partes, bonitas autem proveniens ab objecto non *per ſe* ordinatur ad illam, quæ eſt ex fine, ſed ad illam tantùm ordinatur ab ipſo operante. Ergò.

hic a. 1.

4. *Re-*

4. *Reſpondent* alij 2. Quia obiectum appetitur propter finem, & non propter ſe ipſum, impediri, ne obiectum communicet actui propriam bonitatem; ergò tali caſu actus habebit unicam bonitatem, ſcil. finis. Sed etiam *Contrà eſt*; quia ut iam patet ex ſuprà dictis, dantur fines intermedii, qui ſunt veri fines, quiq; ſimul appetuntur propter ſeipſos ratione propriæ bonitatis, & etiam propter ulteriorem finem. Ergò nulla eſt horum reſponſio, quia ſic obiectum non impedietur, quo minùs actui propriam comunicet bonitatem.

5. Probatur etiam 2. p. Concl. obiectum actûs moraliter boni, debet eſſe moraliter bonum cognitum; nequit autē eſſe bonū cognitum, niſi ſimul apprehendatur, ut honeſtum; ergò ut actus humanus habeat bonitatē ex obiecto requiritur ut obiectū apprehendatur in ratione honeſti. Idem proportionaliter eſt de obiecto actûs mali. M. eſt certa: quia obiectum voluntatis eſt obiectū cognitum; cùm ignoti cupido nulla. m. verò etiam patet; quia bonitas moralis conſiſtit in honeſtate, & conformitate ad regulas morum. Et hæc ratio etiam probat quantùm ad finem, quòd ſcil. requiratur ad bonitatem actûs, ut apprehendatur ſub ratione honeſti

Concluſio 2.

Poteſt actus humanus tam internus, *quàm* externus, *etiam multiplici fine intento, habere plures ſpecies bonitatis, vel malitiæ moralis.* Ita rurſus Theologi communiter.

6. Probatur concl. de actu *externo*; quia qui actus participativè ſolùm eſt *moraliter* bonus, quemadmodùm & liber, de eo non eſt dubium, quin plures ſimul in

Digitized by Google

ſe bonitates morales poſſit habere; quid ni enim idem actus externus imperari queat à pluribus actibus internis bonis, ac conſequenter eorum bonitatem participare? ſicut enim ab uno actu imperatus participat illius bonitatem, ita imperatus à pluribus, participabit bonitatem illorum. Hunc in ſenſum S. D. ubi ſuprà docuit, *nihil prohibere, unum actum à diverſis habitibus informari.* Atqui actus *exterior* participativè ſolùm eſt moraliter bonus. Ergò. Maior probatur; quia talis actus procedit ex diverſis habitibus virtutum, vel vitiorum, ſicque ab illis participat diverſas ſpecies.

7. Probatur concl. de actu etiam *interno.* Vel enim actus *internus* imperatur à duobus, aut pluribus internis, vg. actus eleemoſynæ ab actu charitatis, obedientiæ &c. vel non? ſi hoc ſecundum; nihil erit contrà nos; quia mens noſtra non eſt dicere, actum illum, qui ab unico habitu, aut actu imperatur, habere plures ſpecies *morales*; ſi primum; ergò nulla eſt ratio, cur nequeat hoc idem actus internus *extrinſecè*, & *participativè* habere duas aut plures bonitates *morales*? cùm quo ad hoc æquè capax earum ſit actus *internus*, atquè *externus*, quod nullus negabit.

Reſpondent aliqui ad hoc, negando, poſſe actum unius virtutis imperari ab aliâ, aſſerentes, quòd omnes actus ordinati ad finem alicujus virtutis eliciantur ab illâ. Sed *contrà* eſt; quia omnium Theologor. communis doctrina eſt, plures virtutes elicere ſuos actus, licet tales actus imperentur; quæ neceſſitas ponendi plures virtutes elicitivas actuum, provenit ex ſpecialibus difficultatibus, quæ in quâvis materiâ occurrunt,

quæ-

quæque vinci nequeunt ab unâ virtute; velut patet in ſubeundo Martyrio, ubi præter charitatem imperantem requiritur virtus fortitudinis, firmantis animum in tolerantiâ paſſionum. Et ſimiliter in alijs materijs.

8. Atque hoc tam verum eſſe puto, ut eundem quoquè actum *internum*, etiam intrinſecè duas, aut plures ſpecies bonitatis *moralis* habere poſſe, exiſtimem. Quod probo; nulla eſt repugnantia, quo minùs actus aliquis in duo, vel plura objecta ſpecie diverſa, vel in idem objectum ob duo, vel plura motiva feratur; ſed ut patet, hoc caſu actus, licet *phyſicè* idem, habebit plures ſpecies morales *intrinſecè*. Ergò. M. probatur quo ad 1. membrum. Sicut enim eadem *materialiter* viſio ſe habet ad diverſos colores, etiam ſpecie diſtinctos, & idem actus intellectûs diſparatè ad objecta diverſiſſima; ita ſe habet idem actus voluntatis ergà plura objecta, & honeſtates, etiam ſpecie *morali* diſtinctas; quæ enim in hoc diſparitas? atqui poteſt eadem viſio *materialis* ſimul terminari ad diverſos colores, etiam ſpecie diſtinctos; ergò & idem *phyſicè* actus ad plura objecta ſpecie *morali* diſtincta, ſicque idem actus habebit plures bonitates morales, & in ordine ad prudentem hominum æſtimationem æquivalens erit duobus actibus realiter diſtinctis, quorum unus in unum illorum objectorum tantùm ferretur, & alius in aliud. Probatur eadem M. quo ad 2. membrum; nihil prohibet, quin aliquis det eleemoſynam, & ex affectu miſericordiæ, ſeu ad ſublevandam inopiam indigentis, & quia id Deo gratum eſt; & ſimiliter huic homini hîc & nunc ſuccurrat, & quia pauper, & ſimul parens eſt; tali enim

Digitized by Google

caſu idem *phyſicè* actus habebit & honeſtatem miſericordiæ, & pietatis, & noſtrâ ratione componetur ex partibus heterogeneis, quod inde eſt; quia idem *materialiter* actus fertur in idem objectum ob duplex ſpecie morali diſtinctum motivum. Ergò &c. Et

Confirmatur tota concl. ſimul ex jam dictis, & ampliùs dicendis; quia ſi ſemel conceditur, ut omnes concedunt, quòd actus humanus habeat ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis ex fine intento, & plures ſimul fines poſſint intendi, ut communiter quoq; conceditur, idem ſanè numero actus humanus poterit ex multiplici fine intento habêre plures ſpecies bonitatis, vel malitiæ moralis. Sed

Quæres; *an utraq; ſpecies bonitatis, vel malitiæ* moralis, *quā actus humanus habet ab objecto & fine, ſit eidem* eſſentialis?

Non eſt dubium, quin bonitas, vel malitia *moralis*, quæ eſt in actu humano à circuſtantijs, ſit ei *accidentalis*; quia circumſtantiæ ſunt quædam accidentia actûs humani, unde illi communicant bonitatem, aut malitiam *accidentalem*. Solùm igitur difficultas eſt de bonitate, aut malitiâ morali, quæ eſt in actu humano tam ab objecto, quàm à fine. Igitur

9. ℞. 1. *actus humanus* imperatus *habet ſpeciem* eſſentialem *bonitatis vel malitiæ* moralis, *tam ab objecto, quàm à fine; ſive talis actus ſit* interior, *ſive* exterior; *licet diverſimodè.* Ita communiter Diſcipuli D. Th. ſed clariùs Salmanticenſes. Pro hac, & ſeq. reſpons.

hic diſp. 6. dub. 4.

Notandum eſt 1. Quòd bonitates tam ab objecto, quàm à fine provenientes inter ſe, & in ordine ad actum humanum tripliciter valeant comparari. (1.) in

rati-

ratione *prioris*, & *poſterioris*; habent enim aliquem inter ſe ordinem, vel ex naturâ rei, vel ex intentione operantis. (2.) in ratione principalioris in ordine ad actum humanum, quænam ſcil. ſit magis *principalis*, *primaria*, & *intrinſeca* actui. (3.) in ratione *majoris*, & *minoris*, quænam ſcil. ex ijs ſit major, & quænam minor. Hîc non agimus de bonitatibus hiſce, aut malitijs, hoc tertio modo conſideratis; quia certum eſt, quòd ſi objectum actûs humani ſit nobilius, quàm ejus finis, tunc bonitas ab objecto procedens ſit major, quàm illa, quæ procedit à fine; & econtrà. Quæſtio ergò de ijs eſt primo, & ſecundo modo conſideratis.

16. *Notandum* 2. Quòd, quando opus aliquod moraliter bonum exercetur propter aliquem finem, interveniant tres actus; ut cùm quis orat ad ſatisfaciendum pro peccatis, primò vult, & intendit ſatisfacere; 2. vult orare, ut ſatisfaciat; & 3. orat ad ſatisfaciendum. Primus actus. eſt *interior* elicitus à voluntate per virtutem pænitentiæ, & dicitur *imperans*; ſecundus etiam eſt interior, elicitus à voluntate per virtutem Religionis, & dicitur *imperatus* reſpectu prioris, quamvis ſit etiam *imperans* reſpectu ſubſequentis. Tertius eſt actus *exterior* intellectûs ſimpliciter *imperatus* & procedens ex vi aliorum, quaſi executio ipſorum. Circà primum actum conveniunt AA. quòd bonitas, quam actus habet à fine, ſit ei eſſentialis, imò & unica, quia reſpectu illius objectum & finis coincidunt. Quare ſolummodò difficultas eſt de ſecundo, & tertio actu; quia reſpectu utriusq; finis & objectum diſtinquuntur; objectum enim eſt *orare*, finis autem eſt *ſatisfacere*. Ulteriùs

Notan-

Notandum 3. Quòd uterq; actus hic ſumi poſſit dupliciter, ſcil. vel *reduplicativè*, ut imperatus à pænitentiâ, ejusq; virtute procedens, quaſi medium electum in ordine ad ſatisfaciendum; vel *ſpecificativè* quatenus eſt actus Religionis, reſpiciens honeſtatem ſui objecti, licet aliunde imperetur, ut ordinetur ad alium ulteriorem finem. Jam

11. Probatur reſpons. ſub quâ ratione actus humanus ab aliquo habet ſuam ſpecificationem *eſſentialem*, ſub eâ ratione ab eo etiam habet ſpeciem *eſſentialem*; ſed actus humanus *imperatus*, ut talis *formaliter*, & ordinatus ad finem operantis, habet ſuam ſpecificationem eſſentialem ab ejusmodi fine; quia eſſentialiter reſpicit talem finem, & ut ſic non ſiſtit in ſuo objecto proximo, ſed reſpicit illud propter finem (actus enim *imperatus*, ut talis *formaliter* eſt ſubordinatus actui *imperanti*, & ſic quodammodò unus & idem cum illo) ergò actus humanus, ut imperatus *reduplicativè* talis habet ſuam ſpeciem *eſſentialem* à fine operantis. Et rursùs quia actus humanus *imperatus*, *ſpecificativè* conſideratus per ſe *primo* & *eſſentialiter* reſpicit objectum proprium, idcircò ſpeciem *eſſentialem* bonitatis, vel malitiæ moralis habebit ab objecto proximo; quia reſpectiva eſſentialiter ſpecificantur ab illo, quod per ſe *primò* & *eſſentialiter* reſpiciunt. Quòd autem actus *ut ſic* conſideratus ulteriùs ordinetur ad finem operantis, & ſibi *extrinſecum*, nihil obſtat, quia nihilominùs ex proprijs & *intrinſecè* reſpicit proprium objectum, tanquam finem ſibi intrinſecum, & connaturalem. Unde ei ut ſic, ſpecificatio procedens à fine, eſt tantùm *accidentalis*.

Ergò

Digitized by Google

poſſit eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ moralis
Ergò actus humanus *imperatus*, diverſimodè conſideratus habet ſpeciem eſſentialem bonitatis, vel malitiæ *moralis*, tam ab objecto, quàm à fine. Ita enim paſſim Angel. D.

R/. 2. *Licet actui humano imperato*, ſpecificativè *conſiderato ſpecificatio à fine proveniens ſit tantùm* accidentalis; eſt tamen ei formalior, *quàm illa, quam habet ab objecto.* Ita præcitati DD. cum S. Th. Ex quorum Authoritatibus.

q. 1 de virtut. a. 10. ad 10. itē in 4. dub. 16. q. 3. a. 1. quæſ. 2. ad 3. & alibi. hic a. 6. & in 3. d. 30. q. 1. a. 3. ad 6.

12. Probatur reſponſ. hoc modo: ordo agentium eſt ſecundùm ordinem finium, ita ut agenti proximo correſpondeat finis proximus, & agenti ſuperiori ſuperior, & ſupremo finis ultimus (unde idem eſt dicere: *actus procedit à ſuperiori agente*, atq; dicere eſt; *actus ordinatur ad ulteriorem finem*; & actus eandem habet ſpecificationem *formaliter* à fine, quam, ab agente habet *efficienter*) ſed juxtà S. Th. quandocùnq; duo ſunt propria moventia, vel agentia ad invicem ordinata, id, quod in effectu eſt ab agente ſuperiore, eſt ſicut *formale*, quod vero eſt ab agente inferiori, eſt ſicut *materiale*; quia ut habet idē S. D. *actus ſuperioris virtutis, eſt cauſa actûs inferioris, & ita ſemper*, formaliter *ſe habet ad ipſum*; ergò ſpecificatio actûs humani â fine operantis (qui eſt ulterior finis reſpectu actûs) eſt *formalis*, & *formalior* illâ, quam habet ab objecto proximo, quod eſt finis proximus ipſius actûs.

q. 1. de virtut. a. 10. ad 10. Et. 2. 2. q. 23. a. 8.

14. de verit. a. 5.

q. 2. de malo a. 2. ad 11.

§. 4.

Utrum ſpecies, quæ eſt ex *fine*, contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex *objecto*, ſicuti ſub genere, vel econverſo?

1. Com-

1. Comparat in præſenti S. Th. bonitatem, quæ eſt ex fine ad eam, quæ eſt ex objecto, & quærit tacitè; an ſicut ex genere & ſpecie fit unum, ita ex bonitate objecti, & bonitate finis efficiatur una bonitas; vel an, ſicut ex hoc, quòd Petrus ſit *homo* & *animal*, non eſt ſub diverſis ſpeciebus, ita nec pro hoc, quòd aliquis actus habeat bonitatem ex objecto, & bonitatem ex fine, non habeat diverſas ſpecies *morales*, ſed unam tantùm; an verò bonitas ex objecto & fine ſint duæ bonitates diſparatæ; vg. utrum, ſi quis jejunet, ut habeat, unde paſcat pauperem eſurientem, illud ejus jejunium habeat duas diverſas bonitates, unam ex proprio *objecto*, ſecundùm quod pertinet ad ſpeciem temperantiæ; & aliam ex *fine*, propter quem jejunat, ratione cujus pertineat ad ſpeciem miſericordiæ? Pro quo

2. *Notandum* eſt, naturam *generis*, & *ſpeciei* hoc loco non ſumi propriè & *logicè*, puta, pro eo quod prædicatur de pluribus ſpecie, vel numero differentibus, ſed accipi *impropriè*, quâ ratione genus ſumitur, pro omni eo, quod quacùnque ratione eſt univerſalius, ſive in *prædicando*, ſive in *cauſando*, &. quaſi *informando*; ſpecies verò pro omni eo, quod in *prædicando*, vel *cauſando* eſt quaſi ſtrictius, atque particularius. Sit igitur

Concluſio 1.

Quando objectum alicujus actûs non eſt per ſe *ordinatum in finem*, qui *ab agente intenditur*, *tunc ſpecies*, *quæ eſt ex* objecto, *non continetur ſub ſpecie*, *quæ eſt ex* fine; *ſed eſt unus actus in duabus ſpeciebus*, *quaſi diſparatis*, *continétq; duas bonitates*, *aut duas malitias*. Ita S. Th. ubi docet, poſſe

tum hic in corp. & in reſpons. ad 2. tum etiam in pluribus aliis locis

poſſe eundem actum eſſe in duplici virtute, ab unâ *elicitum*, & ab aliâ *imperatum*, & conſequenter habere duas bonitates.

3. Explico. Objectum actûs exterioris poteſt dupliciter ſe habere ad finem voluntatis; ſemel ut *per ſe* ordinatum ad ipſum; quemadmodùm benè pugnare *per ſe* ordinatur ad pariendam victoriam; alio modo *per accidens*, ſicut accipere rem alienam per accidens ordinatur ad dandam eleemoſynam. Jam.

4. Probatur Concl. 1. ratione S. Th. Nam quando objectum non eſt *per ſe* ordinatum ad finem, tunc differentia ſpecifica, quæ eſt ex *objecto*, non eſt *per ſe* determinativa ejus, quod eſt ex *fine*, nec econverſo; ergò nec una iſtarum ſpecierum eſt ſub alterâ, ſed actus ſimul habebit duas ſpecies. Probatur conſeq. quia oportet ut dicit Philoſophus, quòd differentiæ *dividentes* aliquod genus, ut *conſtituentes* aliquam ſpeciem illius generis *per ſe* dividant id, & non *per accidens*; nam ſi quis dividat animal hoc modo: animalium aliud eſt *rationale*, & aliud *irrationale*; &: animalium irrationalium aliud eſt Sylveſtre, & aliud domeſticum; non exactè dividet; quia Sylveſtre, & domeſticum *per ſe* non ſunt determinativa ejus, quod eſt irrationale; unde oportet ſic dividere; irrationalium aliud eſt habens pedes, & aliud non habens pedes; & habentium pedes, aliud habet duos, & aliud quater; & aliud plures; hæc enim *per ſe* determinant differentiam irrationalitatis. Ergò quando objectum non eſt *per ſe* determinatum ad finem, tunc differentia ſpecifica ex *objecto*, non eſt *per ſe* determinativa illius, quod eſt *7. Metaph.*

ex *fine*, nec econtrà, tunc una iſtarum ſpecierum non eſt ſub aliâ, ſed actus moralis erit ſub duabus ſpeciebus quaſi diſparatis; unde dici ſolet, quòd ille, qui furatur, ut mœchetur, comittat duas malitias in uno actu.

Concluſio 2.

Quando objectum alicujus actûs per ſe *ordinatur ad* finem, *tunc una tantùm eſt bonitas, vel malitia intentionis, & electionis; ita quidē ut ſpecies bonitatis, quæ in actu electionis eſt ex* objecto, *contineatur ſub ſpecie, quæ in actu intentionis eſt ex* fine. Ita S. D. hîc, quem ſequitur Conradus, Curiel, Montèſinos, & alij Thomiſtæ.

5. Probatur 1. p. Concl. quia in moralibus actionibus de bono, & malo loqui oportet, ſicut de bono & malo in rebus naturalibus; ſed ſicut in naturalibus differentia *accidentalis* non facit unum *per ſe* cum ſubjecto, cui ſupervenit, ita differentia conſtituit unam ſpeciem cum illo cui *per ſe* conjungitur; ergò etiam in moralibus, quando objectum alicujus actûs per ſe ordinatur ad finem aliquem, tunc una tantùm ſpecie bonitas, vel malitia *moralis* erit actu intentionis, & electionis.

6. Probatur etiam 2. p. eatenus una ſpecie bonitas, vel malitia continetur ſub aliâ, quatenus una eſt determinatiua alterius, velut patet ex dictis; ſed quando objectum per actum *electionis* per ſe ordinatur ad actum *intentionis*, tunc unius bonitas, vel malitia per ſe eſt determinatiua alterius; velut cùm quis fortiter pugnat, ut conſequatur victoriam; vel exceſſiuè bibit, ut ſe inebriet. Ergò hac ratione bonitas, vel malitia unius actûs continetur ſub ſpecie alterius, tanquam ſpecies ſub genere; quare in tali caſu bonitas deſumpta

ex

Digitized by Google

ex *fine*, continet ſub ſe bonitatē deſumptam ex objecto; quia quod eſt magis univerſale, habet rationem generis reſpectu illius, quod eſt minus univerſale; atqui bonitas, vel malitia, quæ deſumitur ex *fine* eſt magis univerſalis, quàm quæ ſumitur ex *objecto* ad talem finem *per ſe* ordinato (Bonitas enim finis eſt velut univerſale motivum, movens potentias ad plures actus; victoria enim quæ intenditur à fortiter pugnante, non ſolùm mouet ad fortiter pugnandum, ſed etiam ad fortiter ſtandum in periculis, prout recta ratio dictauerit) Ergò &c.

§. 5.

Utrum aliquis actus humanus ſit indifferens non ſolùm ex ſuâ ſpecie, ſed etiam in individuo, ſeu quantùm ad exercitium?

1. Nomine actûs indifferentis *ſecundùm ſpeciem* intelligitur actus liber, & humanus, cui ex proprio, & immediato ojecto convenit indifferentia, eò quòd obiectum ipſum *ſecundùm ſe* nec ſit bonum, vel conſonum rationi, nec malum, vel diſſonum rationi, & quæritur, utrum detur talis actus indifferens *ſecundùm ſpeciem*? circa quod Magiſter ſentent. & S. Th. tres referunt ſententias. *in 2. dub. 41. ibid. dub. 40. a. 5. & de malo q. 2. a. 5.*

Prima eſt, quæ docet, omnem actum *de ſe* eſſe indifferentē; quæ tamen ſententia adverſatur expreſsè S. Script. quæ aliquos actus, dicit determinatè bonos, alios verò malos. Sic à S. Paulo comēndatur virginitas ut bona ex proprio objecto, ubi dicit; *bonum eſt, mulierem non tangere.* Et econtrà damnantur opera carnis, ut ſecundùm ſe mala; v.g. fornicatio, imunditia, idolorum ſervitus &c. Et hoc ipſum ipſa etiam raatio convincit; quia plures ſunt actus, qui ex proprijs objectis rectæ conſonant rationi, *1. Corinth. 7. Rom. 1. & Galat. 5.*

Digitized by Google

adeoq; ſunt boni: ut *Deum colere, diligere proximum* &c. alii econtrà, quæ rectæ diſſonant rationi, adeoque ſunt mali, ut odium Dei, mendacium, periurium &c.

2, Secunda ſententia primæ è diametro oppoſita docet, nullum actum eſſe indifferentem *ſecundùm ſpeciem*, quam ſententiam tenuit Joan. Huſs. docens, immediatam actuum humanorum diviſionem eſſe, quòd ſint vel virtuoſi, vel vitioſi; exiſtimabat quippe, omnia opera peccatoris eſſe mala, & omnia opera juſti eſſe bona; quæ
ſeſs. 15. tamen ſententia damnata eſt in Concil. Conſtant. Tertia eſt, actionem, quæ conſiſtit in opere poſſe eſſe indifferentẽ ex *ſua ſpecie*, non verò eam, quæ conſiſtit in verbis. Sed huius quòq; ſententiæ falſitas oſtendetur infrà. Hiſce ita conſtitutis ſit noſtra

Concluſio 1.

Dantur actus humani qui ſecundùm ſuam ſpeciem, & ex objecto ſuo, nec ſint boni, nec mali, ſed indifferentes. Eſt S. Th. & comunis DD præcipuè Durandi, Capreoli, Gregorii, & aliorum, quos refert & ſequitur Suarez, Bellarm. Salas, Granado, & alii.

hîc q. 18. a. 9. hîc tract. 3. d. 9. ſeɛt. 3. d. 4. ſect. 3. 1. 2. tract. 2, diſp. 1. & 2. lib. 2. de ſermonibus Domini in monte. cap. 21. & 28.

3. Probatur Concl. 1. ex S. Script. ut ex illo Matth. 7. *nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Ubi teſte S. Aug. prohibemur judicare, & condemnare alios de quibuſdam factis mediis, quæ poſſunt bono, vel malo animo fieri: quòd ſi autem talia facta non eſſent media, *de ſe* indifferentia ad bonum, vel malum, liceret de iis judicare proximum; quemadmodũ licet judicare de blaſphemiis, homicidiis &c. ergò &c. Inſuper dicitur, *qui manducat, non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non judicet.* Quo ſi-
Rom. 14.

gni-

gnificatur actū manducandi, vel non manducandi ex ſua ſpecie eſſe indifferentē, adeoq; nullum debere judicare de bonitate, vel malitiâ manducantis, vel nonmanducantis

4. Probatur Concl. 2. ratione S Thomæ; ille actus dicitur indifferens *ſecundùm ſpeciem*, cujus objectum non includit aliquid pertinens perfectè ad ordinem rationis (intellige, per modum conſonantiæ, vel diſſonantiæ) ſed ſunt aliqui actus, quorum objectum non includunt perfectè aliquid pertinens ad ordinem rationis, ſiue conformitatem, ſiue difformitatem, *de terrâ levare feſtucam*, *fricare barbam*, *movere digitum*, *narrare fabulas* &c. Ergò. M. declaratur. Nam omnis actus habet ex objecto ſpeciem, & actus humanus, qui dicitur *moralis*, habet eam ex objecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio, ita ut ſi objectum actûs includat aliquid, quòd conveniat ordini rationis, ſit actus bonus ſecundùm *ſuam ſpeciem*; quemadmòdum dare eleemoſynam indigenti; ſi autem includat aliquid, quod repugnat ordini rationis, itidem ſit malus *ſecundùm ſuam ſpeciem*, ut furari, quod eſt tollere alienum &c. Ergò. Confirmatur. Dantur multæ leges humanæ; ergò dantur etiam multi actus indifferentes *ſecundùm ſpeciem*. Conſeq. probatur. Quia materia legis purè humanæ eſt id, quod ante talem legem ex *ſuâ ſpecie* erat indifferens, ex quibusdam tamen circumſtantijs poterat eſſe conſonum bono comuni, & ſic ex imperio practico legis humanæ fit actus determinatè bonus, vel malus. Sed *hoc artic.*

5. *Obijc. 1.* Bonum & malum opponuntur privativè, ſicut videns, & cæcum, tenebroſum, & lucidum, ægrum & ſanum &c. ſed inter privativè oppoſita non datur medium,

Digitized by Google

dium, quemadmodùm inter contradictoriè oppoſita, quia unum importat privationem alterius; unde non datur animal, quod non ſit vel videns, vel cæcum; ergò inter actũ bonum, & malum non datur actus aliquis medius, ſeu indifferens. Confirmatur. Quia reſpectu intellectûs, non datur medium inter verum & falſum; omnis enim propoſitio aut eſt determinatè vera, aut determinatè falſa: ergò nec inter bonum & malum reſpectu voluntatis. Ad hoc argumentum

q. 2. de malo a. 5. ad 3. Reſponderi in primis poſſet ex S. D. quòd bonum & malum in moralibus tantùm opponantur *contrariè*; quia nihilominùs in viâ S. Thomæ malum morale ſimul cum malitiâ poſitivâ importat ex conſequenti privationem rectitudinis, & ratione hujus privationis bonum ac malum opponuntur *privativè*, idcirco

hic ad 2. 6. R. 2. Aliter cum S. D. quòd duplex ſit privatio; una, quæ conſiſtit in *privato*, ſeu *facto eſſe*, & hæc nihil relinquit, ſed totum aufert; quemadmòdum cæcitas totaliter aufert viſum, & tenebræ lucem, mors vitam &c. atq; inter hanc privationem, & habitum non poteſt eſſe aliquid mediũ circà proprium ſuſceptibile, ſeu ſubjectum; alia privatio eſt, quæ conſiſtit in *privari*, ſeu *fieri*, ſicut ægritudo eſt privatio ſanitatis, non quòd tota ſanitas ſit ſublata (non enim tollit radicem ejus, quæ eſt vita) ſed quòd ſit quaſi quædam via ad totalem ablationis ſanitatis, quæ fit per mortem; ideoq; talis privatio cùm aliquid relinquat, non eſt ſemper immediata cum habitu oppoſito; & hoc modo malum eſt privatio boni, quia non totum bonum aufert, ſed aliquid relinquit, unde poteſt aliquod medium eſſe inter bonum & malum. Hucuſque S. D.

7. Di-

Digitized by Google

7. *Dices*; non poteſt aſſignari, quidnam malum morale, quod dicitur privatio in *fieri*, relinquat de ſuo oppoſito; quia non compatitur, neq; ſtare poteſt peccatum cum rectitudine oppoſitâ, vg. luxuria cum rectitudine temperantiæ. Ergò adhuc nequit dari medium inter bonum & malum.

℟. Quòd licet peccatum nihil relinquat in actu de rectitudine rationis *formaliter*, relinquat tamen radicem & principium hujus rectitudinis, etiam in genere morali, ſcil. ipſa principia practica rationis, & ſynderesin, quam non extinquit, ſed obnubilat ſolùm, & infirmat; & quia principia hæc practica rationis, ac ſynderesis tractant non ſolùm de bono in genere naturæ, ſed etiam in genere *morali*, idcircò datur locus, ut non ſolùm in genere *naturæ*, ſed & in genere *morali* maneat aliquid indifferens & medium, ſaltem ex parte objecti præcisè conſideratum; quatenus ſcil. objectum illud à ratione attingitur, & permittitur, non autem prohibetur ut malum, nec præcipitur ut bonum. Sed amplius

8. *Urgebis*; etiã in privationibus in *facto eſſe* poteſt manere principium radicale formarum, quæ privantur, ſicut cum cæcitate, quæ eſt privatio viſûs in *facto eſſe*, manet forma animæ ſenſibilis, quæ eſt radicale ejus principium; & cum tenebris manet diaphanum, quod eſt principium radicale claritatis; & tamen hoc non obſtãte, nón datur medium inter privationem in *facto eſſe*, & formam oppoſitam; ergò neque in privatione *in fieri*.

℟. Quòd in privationibus in *facto eſſe* maneat quidem aliquid, ut ſubjectum recipiens talem privationem,

non tamen ut objectum, ſeu forma tollenda per talem privationem; eſt enim hæc differentia inter privationem *in fieri*, & *facto eſſe*, quòd illa vg. ægritudo præterquam quòd tollat formam, ſeu habitum immediatè ſibi oppoſitum vg. ſanitatem, mediatè etiam diſponat & tendat ad ablationem alterius formæ, vel principij radicalis vg. vitæ, quâ tamen non privat, ſed relinquit, & relinquendo illã, aliquid relinquit de formâ oppoſitâ, in quantùm radicem ejus relinquit.. Econtrà verò privatio in *facto eſſe* vg. cæcitas tantùm tollit formam ſibi oppoſitam vg. viſum, neque ordinatur ad tollendam aliam formam vg. animam, licet relinquat illam, ut ſubjectum talis privationis. Etiam aliter

9. Reſponderi poteſt, quòd licet inter privativa, quæ immediatè opponûntur, nullum ſit medium in ſubjecto particulari, & individuo, poſſit tamen eſſe medium in ſubjecto ſecundùm *ſuam ſpeciem* conſiderato; cæcitas enim & viſus, vel etiam ſanitas, & ægritudo non habent medium in hominibus in individuo ſpectatis; cùm de ſingulis neceſse ſit dicere, quòd in eis ſit vel viſus vel cæcitas, ſanitas vel ægritudo; habent tamen medium in homine *ſecundùm ſe*, & ſub præciſióne ſuæ cauſæ conſiderato; ſic enim homo nec eſt videns, nec cæcus, nec ſanus, nec æger; ſimiliter etiam omnis numerus *exercitè* conſideratus aut eſt par, aut impar, licet ex ſe, & ſuâ ſpecie nec par ſit, nec impar. Hac ratione etiam actus humanus *in ſe* ſemper eſt bonus, vel malus, nec dari poteſt actus medius, ſeu indifferens in individuo, ſeu *exercitè*, ut mox dicetur; prout is tamen conſideratur *ſecundùm ſe*, & ex ſuo objecto

jecto ſine circumſtantijs, aliquando nec eſt bonus, nec malus, ſed indifferens. Jam

℞. Ad confirmationem principalis argumenti numero 5. cum S. Th. negando conſeq. quia verum & falſum opponuntur ſecundùm Ens & non Ens; *verum* enim eſt, cùm dicitur eſſe, quod eſt; vel non eſſe, quod non eſt; *falſum* autem, cùm dicitur eſſe, quod non eſt; vel non eſſe, quod eſt. Unde ſicut inter *eſſe*, & non *eſſe*, non eſt medium; ita nec inter *verum* & *falſum*. De bono autem & malo alia eſt ratio; *bonum* enim dicitur quod eſt conſonum rationi; ad *malum* autem non ſufficit, non eſſe conſonum rationi, ſed & requiritur, eſſe diſſonum; quippe bonum & malum non opponantur ſicut Ens, & non ens. *q. 5. de malo a. 5. ad 9.*

10. *Obijc. 2.* Si datur actus humanus ſecundùm ſpeciem, ſeu ex *objecto ſuo* indifferens medius inter bonum & malum; tunc ſpecies illa indifferentiæ vel eſt ſubalterna, vel infima? non *ſubalterna*; quia loquimur hic de indifferentiâ ſumptâ ex objecto determinato, ut *ire ad campum*, *torquere digitum &c.* non autem de actu genericè ſumpto. Neque etiam eſt *infima*; quia actus indifferens dividitur tanquam in ſpecies, in actum purè indifferentem, ut *ire ad campum*; & in actum malè ſonantem, ut *habere plures præbendas*, *occidere hominem* &c. quæ tamen aliquando poſſunt benè, aliquando verò malè fieri &c. Ergò

11. ℞. Indifferentiam hanc eſſe quaſi ſpeciem infimam, non ſubalternam; quia non loquimur hic de actu indifferenti, qui reſpicit objectum *in communi* & ſecundùm gradum *genericum*, ſed de actu indifferenti,

Digitized by Google

qui ſe habet per modum tendentiæ ad bonum & malum, qui non dividitur per diverſas ſpecies indifferentiæ, eo quòd moralitas indifferentiæ non ſit regulatio determinata, & *poſitiva*, ſed tantùm *permiſſiva*, quatenus lex nec prohibet, nec præcipit, ſed relinquit actum, ut poſſit induere malitiam, aut bonitatem mediante fine, quæ regulatio in quocunque actu ita indifferente
c. 6. §. 3. n. 2. æqualiter invenitur.* Quæ ipſa etiam ratio eſt, cur ſuprà dixerimus, etiam indifferentiam hanc in actu humano admitti poſſe pro ſpecie, & membro moralitatis, licet imperfecto duntaxat, & viali. Ad id, quod dicitur de actu malè ſonante

℟. Hanc malè ſonantiam non conſtituere diverſam moralitatis ſpeciem, ſed manere in indifferentiâ; quia licet tales etiam actus malè ſonent, tamen *in ſe* verè mali non ſunt ex ſuo objecto, quouſquè ponatur malus finis, aut circumſtantia mala. Ex ſonantiâ igitur non judicatur ſpecies, etiam *imperfecta* moralitatis, ſed ex veritate; dicuntur autem malè ſonare, non quaſi ex ſe indifferentiam non habeant, ſed quia frequentiùs ſolent malè, quàm benè fieri.

12. *Obijc.* 3. Si daretur actus indifferens, maximè ideo eſſet, quia attingit objectum, quod nec eſt bonum, nec malum; ſed tale objectum non datur. Ergò. m. probatur; quia hoc objectum, cùm ſit objectum voluntatis, neceſſariò debet eſſe bonum, ſcil. vel *honeſtum*, *utile*, vel *delectabile*; ſi eſt *honeſtum*, hoc ipſo eſt bonum morale; ſi *delectabile*, & non *honeſtum*, hoc ipſo eſt malum; ſi *utile*; tunc vel ſiſtitur in illo, & ſic eſt perverſum, & malum; quia perverſitas eſt frui uten-

utendis; vel refertur in aliquem finem, ſicq; hoc ipſo habet bonitatem, vel malitiam; quando in finem bonum, eſt bonus, quando in malum, malus eſt.

12. Actum indifferentem reſpicere ex parte objecti bonum appetibile, quod eſt bonum honeſtum; non quidem *actu*, ſed tamen *potentiâ*, quia honeſtari poteſt ex fine & circumſtantijs; eſt autem actu bonum *utile*, vel *delectabile*; quia poteſt alicui fini deſervire, & in ſe etiam aliquid delectationis admittere; ſicuti vg. *loqui, aut ire in campum*; quia tamen non ad unum ſolummodò finem determinatum deſervire poteſt, ſed indifferenter ad bonum & malum, idcircò dicitur actu utile, indifferens, & permiſſum; non verò determinatè bonum, vel malum, niſi in *potentiâ* ex fine, & circumſtantijs. Ad id, quod dicitur; *delectabile, & non honeſtum, eſt malum*; diſtinquo; ſi ſit non honeſtum *privativè*, ſeu *contrariè*, concedo; ſi non ſit honeſtum, purè *negativè*, capax tamen, & in potentiâ, ut poſſit honeſtari, negatur: quia tale delectabile ex præcisâ attingentiâ objecti non eſt determinatè bonũ, vel malum, ſed indifferens cum capacitate, ut reddi poſſit honeſtum, aut malum ex fine & circumſtantijs. Jam in ordine ad 2. Concl.

13. *Notandum* eſt. 1. Senſum quæſtionis eſſe, an aliquis actus humanus attentis omnibus ſuis circumſtantijs ita ſit indifferens, ut nec ex parte objecti, nec ex parte alterius cujusdam ſit aliquo modo bonus, vel malus *moraliter*? Procedit autem quæſtio de actibus deliberatis hominis, non indeliberatis, qui ſcil. procedunt ab homine abſque deliberatione ex

quâdam ſcil. imaginatione, vel impulſu naturæ, velut ſunt fricatio barbæ, motio pedis, manûs &c. certum enim eſt, actus hoſce nec bonos, nec malos eſſe moraliter, cùm non ſint actus humani, ſeu morales. Cæterùm pro pleniori adhuc deciſione, & intelligentiâ Concl.

14. *Notandum* eſt. 2. hominem in omni actione ſuâ deliberatâ obligatum eſse agere propter bonum rationis, ſeu ob finem aliquem honeſtum, adeoque non ſolùm tunc peccare hominem, quando actum ſuum dirigit in finem malum, ſed & tunc, quando eidem non apponit finem honeſtum. Principium hoc, & fundamentum etſi negent Scotiſtæ, inde tamen manifeſtè ſatis probatur; quia ſicut in naturalibus, & artificialibus opus, quod deficit â regulâ, eſt malum naturæ, vel artis; ita & in *moralibus* opus, quod deficit â ſuâ regulâ, eſt malum moris. Subſummo; atqui omnis ille actus, qui non ordinatur àd finem rationi conſentaneum, deficit â ſuâ regulâ (hæc enim eſt dictamen rectæ rationis) ergó omnis ille actus, qui non ordinatur in finem rationi conſentaneum, eſt malus in genere moris. Et confirmatur ex paritate verbi otioſi. Eatenus verbum otioſum eſt malum moraliter, quatenus nec *actu*, nec *virtute* refertur in finem aliquem honeſtum; ergò multò magis opus aliquod, vel actio aliqua deliberata erit mala moraliter, niſi referatur in finem aliquem honeſtum. Conſeq. ſatis patet; quia ipſum opus *per ſe* multò majoris eſt deliberationis, & momenti, quàm ſint verba, ore prolata. Antec. verò
c. 25. probatur ex eo Matth. *dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent*

ratio-

rationem de eo in die judicij : atqui homines non reddent rationem in die judicicij , niſi de malo morali. Ergò verbum otioſum eſt malum morale. Quòd porrò verbum illud, quod caret fine debito, atque honeſto, ſit otioſum

15. Probatur (1.) Authorit. S. Greg. dicentis, *quod verbum otioſum ſit, quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.* *7. moralium c. 25.*

Probatur (2) ex ipsâ nominis Etymologiâ; otioſum enim dicitur quaſi ſuperfluum, & nihil conducens ad finem; quâ ratione operarii illi dicebantur ſtare otioſi, non quòd nihil prorſus egerint, ſed quòd hoc ipsũ, quod agebant, in debitum finem non referebant. Unde verum non eſt, quod ad tuendam Scoti ſententiam excogitauit Vaſq. quòd nimirum nomine verbi otioſi loc. cit. intelligatur calumnia, mendacium, detractio, aliaqúe ſimilia linguæ vitia, quæ in detrimentum aliorum cedũt. In expoſitione namq; S. Script. (decernente ita Concil. Trid.) non licet diſcẽdere â comuni ſenſu, & interpretatione SS. PP. atqui ut videre eſt apud Sylvium, ex comuni ſenſu & mente SS. PP. verbum otioſum eſt, quod caret debito fine. Ergò non eſt audienda, & recipienda ſingularis expoſitio Vaſquii. *Matth. 20.* *ſeſſ. 4.* *hoc artic.*

16. *Notandum.* 3 Principiũ hoc; *tenetur homo omnes actiones ſuas deliberatas referre in finem aliquem honeſtum*; non ita eſſe intelligendum, quaſi omnes actiones noſtræ deliberatæ fieri debeant propter finem, & honeſtatem alicuius virtutis; ſed tantùm, quòd omnis actio humana, & deliberata debeat referri in finem aliquem, qui conveniens ſit rectæ rationi, ſiue poſtmodum finis ille concernat

Digitized by Google

nat bonum animæ, ſiue corporis, ſiue etiam rerum externarum. Unde illæ quoque operationes, quæ fiunt præciſè in commodum naturæ, ut ſunt vg. *deambulare, fricare manus* ad frigus depellendum; oris & narium *purgamenta projicere* ad naturam ſublevandam, bonæ ſunt, & honeſtæ, adeoq; non indifferentes, ut Adverſarii ſibi imaginantur. Cujus ratio eſt; quia amor proprii boni, & commodi per ſe non eſt malus, ſed bonus & licitus, poſito quòd ratione reguletur, neq; ſit exceſſiuus. Hinc inquirere ea, quæ conducunt ad conſervationem corporis, ea verò repellere, quæ illi adverſantur, non eſt malum, nec indifferens, ſed bonum, licitum, ac honeſtum. Unde etiam S. D. Angel. *comedere* & *bibere*, ſervato modo temperantiæ, nec non *ludere*, ſeruato modo Eutrapeliæ vocauit opera bona, & honeſta.

in 2. ſentent. d. 40. q unicâ. a. 5. in fine.

17. *Notandum* deniq;, ad hoc, ut actio humana obtineat bonitatem, vel malitiam ex fine, non oportere, ut *actu* referatur in finem bonum, vel malum, ſed ſufficere, ſi *virtualiter* ſaltem in eundem referatur; quia alioquin, ſi ad bonitatem actionis neceſſarium foret eam *actu* referre in finem, tunc oratio ex voto facta, & pro pœnitentiâ impoſita, non haberet bonitatem pœnitentiæ, ſi quidem quando perficitur, non referretur actu in finem pœnitentiæ, & ſatisfaciendi pro peccatis; ſimiliter etiam quis Martyr non foret, qui horâ mortis paſſionem ſuam & mortem non actu referret in Deum; ex quo ſimul ſequeretur, pauciſſimos ferè Martyres eſſe, ſi quidem credibile ſit, pauciſſimos illorum ob tormentorũ acerbitatem, paſſionem ſuam, & mortem in ultimo agone *actualiter* in Deum retuliſſe.

ſe. Ut igitur actio bona ſit ex fine, neceſse non eſt, eam *actu*, ſed ſufficit, eandem *virtute* referri in finem. Hiſce ritè notatis, ſit

Concluſio 2.

Per ſe loquendo *omnis actus humanus in individuo, & exercitè ſumptus, aut bonus eſt, aut malus moraliter, adeóque nullus eſt in individuo indifferens*; eſto per accidens *fieri poſſit, ut actus talis non ſit imputabilis ad culpam.*

Eſt contrà Scotum S. D. Angel. hîc, quem præter ſcholam Thomiſtarum ſequuntur plures ex RR. quorum aliquos citat Amicus, ubi de ſe ipſo fatetur, quòd tametſi oppoſitā nobis ſententiā publicè olim in Italiâ, & Germaniâ docuerit, non ſolùm, ut plauſibiliorem, ſed etiam ut veriorem; nunc tamen re maturiùs conſideratâ, cenſeat modò, hanc Thomiſtarum concluſionem tanquam veriorem, & pro conſcientiâ tutiorem, omninò amplectendam eſſe. *diſp. 14. ſect. 13.*

18. Explico. Dixi in concl. *Eſto per accidens fieri poſſit, ut actus talis non ſit imputabilis ad culpam &c.* quia *per accidens* fieri poteſt, ut quis invincibiliter, adeóque inculpabiliter ignoret, debere quemvis actum deliberatum fieri ex fine quodam honeſto, ſicque probabiliter exiſtimet, ita operando nec benè, nec malè ſe agere; cùm neutrum ſit illi voluntarium. Sed

Probatur Concl. 1. Authorit. S. Auguſt. qui pluribus in locis videtur noſtræ favere ſententiæ. Nam inprimis docet, non dari voluntatem, quæ conſiſtat in medio; & ſubjungit; *ſic ergò voluntas aut bona eſt, aut mala.* Et rurſus; *omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt.* Et S. Damasc. duos tantùm providentiæ Divi- *lib. 2. de peccat. or. remiſſ. lib. de utilit. credendi c. 12. lib. 2. de fide c. 39.*

Digitized by Google

næ modos circà opera hominum conſtituit; nempè ſecundùm *acceptationem* reſpectu bonorum, & ſecundum *permiſſionem* reſpectu malorum.

hoc. artic. 19. Probatur concl. 2. ratione S. Th. Oportet, quòd quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtãtiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ſaltem ex parte intentionis finis. Ergò neceſsè eſt, quòd quilibet individualis actus ſit determinatè bonus, vel malus. Antecedens probatur; quia neceſse eſt, ut quilibet individualis actus à ratione deliberativâ procedens, vel ordinetur in debitũ finem, vel non ordinetur in debitũ finẽ (rationis enim eſt ordinare in finem) oportet ergò, quòd quilibet actus individualis habeat aliquã circumſtantiam ſaltem finis, per quam trahatur ad bonum, vel malũ Probatur conſeq. nam ſi actus ordinatur in debitũ finem, convenit cum ratione, & bonus eſt; quòd ſi verò non ſic ordinetur, hoc ipſo repugnabit rationi, proindeq; malus erit. Ergo &c. Confirmatur 1. Quia quoties homo operatur ex deliberatione rationis, toties tenetur operari, ut homo ratione utens, & non præcisè ut animal, atque adeò juxtà exigentiam, & inclinationem naturæ rationalis, per quam operatur; ergò quotiescúnq; homo operatur ex deliberatione rationis, tenebitur operari ad bonum rationis, ſeu honeſtum, quod eſt finis talis naturæ; adeóque ſi ita operetur, erit actus bonus; ſi non, malus erit. Conſeq. probatur, & explicatur in agentibus naturalibus, quæ dum agunt ex principijs propriæ naturæ, tendunt in omni operatione ſuâ, non defectuosâ ad finem, tali naturæ conſonum, quem ſi aliquando non attingunt, operatio eorum

rum cenſetur monſtroſa, & deformis in ordine *naturæ*. Ergò à fortiori agentia libera, quæ loco naturæ agunt ex deliberatione rationis, tenentur ejus lege ordinare actus ſuos in finem rationi conformem, qui eſt bonum honeſtum, ut, ſi aliter operantur, eorum operatio ſit inordinata, & contrà rationem vitioſa.

Confirmatur 2. Actus boni ex *objecto*, niſi fiant loco, & tempore debito, atque cum alijs quibuſque requiſitis circumſtantijs, redduntur in individuo mali *moraliter*. Ergò multò magis actus, qui ex *objecto* non ſunt boni, ſed indifferentes, erunt mali *moraliter* in individuo, niſi ordinentur in debitum finem.

20. Probatur Concl. 3. aliâ ratione, quæ tangitur à S. Th. Omnis actus vitioſus eſt malus; ſed omnis actus humanus, qui non ordinatur ad finem honeſtum, eo ipſo eſt vitioſus. Ergò malus M. patet ex illo Matth. *de omni verbo otioſo, quod homines &c. reddent Deo rationẽ &c.* utique tanquam de malo, & inordinato. m. Probatur ex S. Gregor. qui definit verbum otioſum eſſe illud, *quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret.* Ex quibus patet, verbum otioſum definiri per carentiam recti, debitíque finis & circumſtantiarum. Ergò actus ille, qui in individuo non ordinatur in debitum finem, vel non habet juſtam aliquam neceſſitatem, aut piam utilitatem, erit otioſus, adeoque malus. Confirmatur 1. Quia qui expenderet pecunias, & divitias temporales abſque honeſto aliquo fine, vitiosè illas expenderet, peccarétque peccato prodigalitatis. Ergò ſimiliter qui expendit, vel elicit actus rationis ſine fine honeſto, vitiosè illos elicit, & peccat peccato otioſitatis

in argumentis, ſed contra

c. 12.

7. Moral. c. 25. Et homi. 17. in Euangelia

Digitized by Google

Conſeq. patet; quia longè majoris momenti eſt actus rationis liber, per quem mereri poſſumus, quàm divitiæ multæ.

21. Probatur denique Concl. hac ratione; omnis actio hominis deliberata tendit in bonum, vel honeſtum, vel utile, vel delectabile; ſed in quodcunq; ex his tendat actio, ſemper erit bona, vel mala *moraliter*. Ergò &c. M. patet. Quia objectum voluntatis eſt triplex prædictum bonum, præter quod nullum aliud agnoſcitur. m. autem probatur. Quòd ſi enim voluntas tendat in bonum *honeſtum*, tunc certum eſt, actionem, niſi aliundè vitietur, eſſe bonam *moraliter*; quia hoc modo rationi eſt conformis; ſi autem verſetur circà bonum *delectabile*, tanquam circà finem ſuum, eo ipſo erit mala *moraliter*: quòd ſi deníque verſetur circà bonum *utile*; tunc vel illud ordinatur in finem honeſtum, vel delectabilem? bonum enim utile non appetitur, niſi ut conducens ad bonum *honeſtum*, vel *delectabile*; ſi ordinatur ad honeſtum, jam actio illa erit honeſta propter finem honeſtum; ſi ordinatur ad delectabile, jam actio erit mala ex fine delectabili.

22. In hoc diſcurſu omnia ſunt clara, & nihil reſtat probandum, quàm quòd omnis actio humana elicita propter ſolam delectationem, tanquam propter finem, ſit mala, quod ita probamus; operari contrà finem, & naturæ inſtitutum, malum eſt; atqui operari propter ſolam *delectationem* objecti, tanquam propter finem, eſt contrà finem, & inſtitutum naturæ. Ergò &c. M. patet; nam operari contrà finem & inſtitutum naturæ eſt *indirectè* operari contrà legem & ordinem

dinem, quem Deus indidit rebus (cùm enim natura à Deo ſit ordinata per intrinſecam propenſionem, & ordinem, tanquam per legem naturalem ad ſuos fines conſequendos; hoc ipſo, quòd quis in ſuis operationibus non ſervet hunc ordinem, & legem à Deo rebus inditam, *indirectè* operatur contrà legem Dei) m. verò probatur. Quia natura non intendit operationem propter delectationem, ſed econtrà delectationem propter operationem; reſpicit enim natura in operatione delectationem, tanquam medium allectivum. Atq; hinc orta eſt doctrina S. Auguſt. quam cum S. Th. cōmuniter DD. defendūt quòd actus conjugalis factus præcisè ob delectationem, ſit peccatum veniale; non quia illicitum ſit, conjuges in actu illo delectari, ſed quia talem delectationem non ordinant ad finem honeſtum, ut eſt *generatio prolis, cavere à fornicatione* &c. ſimiliter etiam *ſumere cibum*, vel *potum* ob ſolam delectationem abſque ordine ad finem honeſtum, peccatum veniale eſt; non quia non licet delectari de cibo, vel potu, ſed quia ſolam delectationem intendere abſq; fine honeſto, & rationi conſono, eſt operari ad inſtàr bruti, non ad inſtàr hominis rationalis; recta enim ratio expoſcit, ut in omni operatione liberâ reluceat pars rationalis operando altiùs, & ordinando operationes animales ad fines rationales.

lib. 1. de bono conjugali c. 10. & 11. in 4. ſent. diſp. 31. q. 2. a. 3.

23. *Obijc. 1.* Contra hanc concl. Authorit. S. Hyeron. ubi hæc habet: *bonũ eſt continentia, malũ eſt luxuria; inter utrũq; indifferens ambulare, nariũ purgamenta projicere &c. hoc nec bonum eſt, nec malum; ſive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiã.* Ubi per hoc, quod dicit: *ſive*

Epiſt. 89. ad S. Auguſt de ceſſatione legaliũ,

fecerit &c. intelligit exercitium actûs in individuo. Ergò actus in individuo datur, qui nec ſit bonus, nec malus. Confirmatur. Omiſſio actûs indifferentis, ut *non ambulare, non ire ad campũ &c.* ſive etiam omiſſio eorum, quæ ſunt de conſilio vg. *non eſſe Religioſum* &c. licet omiſſiones ejusmodi in individuo non referantur in finem honeſtum, tamen non ſunt peccata; quia aliàs homo teneretur confiteri, quod omiſerit, ſe Religioſum eſſe ſine aliquo alio fine, niſi quia noluit; hoc verò eſt inauditum. Ergò ſi poteſt aliquis iſtas omiſſiones exercere ſine relatione ad bonum finem, poterit etiam velle; quia quod non eſt peccatum exequi, etiam id velle, non erit peccatum.

24 ℞ S. Hyeron. loqui de ſpecie actionis, & de bono & malo, & indifferẽti ex *ſpecie*, ſeu *objecto*; volebat enim oſtendere, quòd obſervatio legalium, non ſit indifferens, ſed bona, vel mala, ſcil. ex ſuâ *ſpecie*, vel *objecto*. Non enim quæſtio erat de obſervatione eorum in individuo. Neque obſtat, quòd dicat: *ſive feceris, ſive non feceris*; nam etiam ly *feceris* in omni proprietate, & in genere intelligitur de actione *ſecundùm ſpeciem*; ſicut propriiſſimè dicimus, quod *facere opera miſericordiæ* ſit bonum, & *facere adulterium*, ſit malum. Item; qui *fecerit adulterium*, habebit injuſtitiam; qui *verò eleemoſinam*, habebit laudem; quod non tantùm intelligitur de *facere individualiter*, ſed etiam *ſpecificè*.

℞ ad Confirm. quòd in ejusmodi omiſſionibus (ſiquidem fiant cum debitâ advertentiâ, & deliberatione) eadem ſit ratio, ac de ipſiſmet earum actibus; quia ut ex ſuprà dictis jam conſtat, ſimiles omiſſiones, ſi

ſint

ſint voluntariæ, fiunt voluntariæ vi actûs cujusdam *concomitantis*, vel *antecedentis*; ideoq; ſicut homo tenetur quemcúnque actum voluntarium operari ex bonâ intentione, eúmque referre in finem bonum; ita etiam in omiſſione ſimilium rerum tenetur aliquis adhibere finem bonum, *indirectè* ſaltem, & *mediatè*, id eſt, in ipſo actu, mediante quo redditur voluntaria. Néque eſt inauditum, quòd dum aliquis omittit opera majoris perfectionis, examinet propter, quæ motiva ea relinquat, & tunc ſi relinquat ex motivo malo, vg. ex contemptu, vel levitate animi, omiſſio erit mala; ſi verò ex fine bono, vg. ex recognitione fragilitatis propriæ, vel ex eo, quia judicat, poſſe ſe meliùs ſervire Deo in aliquo ſtatu imperfectiori, omiſſio erit bona.

25. *Objic. 2.* Nullum extat præceptum, quo homo teneatur omnes ſuas actiones referre in finem, rationi conſonum. Ergò nemo peccat faciendo hic & nunc in individuo actum ex *objecto*, & fine indifferentem; ſi hoc? ergò datur talis actus in individuo indifferens. Antecedens probatur, Tum quia non poteſt aſſignari, ubi ſit tale præceptum; neque ullibi continetur in SS. litt. & per conſequens non poteſt eſſe *poſitivum*; ſed neque poteſt eſſe *naturale*, quia non continetur in Decalogo. Tum quia actus indifferens ex *objecto* eſt actus lege permiſſus. Ergò etiam actus indifferens ex *fine* erit permiſſus, ſicque non erit præceptus. Tum denique quia non eſt credendum de Divinâ bonitate, quòd homini voluerit imponere tam rigidum præceptum, maximè ad actiones inutiles, ut *fricare barbam, projicere purgamenta narium &c.*

Con-

Confirmatur. 1. Quia ſi eſſet aliquod præceptum, in exercitio referendi omnes actiones in finem rationi conſonum, teneretur homo quóque ſemper operari illas cum advertentiâ; quia actibus noſtris non minùs debita eſt advertentia, quàm directio eorum in bonum finem; ſed conſequens eſt falſum, quia plures actus facimus ex ſolâ præcedente imaginatione. Ergò

Confirmatur 2. Quia ſi foret tale præceptum pro omni tempore, & omnibus actionibus, ſequeretur, quòd homines continuò quaſi peccarent venialiter, cùm continuò actiones ejusmodi exerceant, néque curent eas referre in finem bonum. Ergò &c.

26. ℞. Ad argumentum neg. antec. ad cujus probationem dico, eſſe præceptum *naturale*, fundarique in ipſâ naturâ hominis ratione utentis, qui tenetur omnes ſuos actus deliberatos ex juſto fine facere; quia tenetur illos regulare, & menſurare regulâ convenienti, ac juſtâ, eo quòd omni actui debita ſit rectitudo. Hoc autem præceptum *naturale* promulgatum eſt in S. Script. tum *affirmativè*, ut omnia faciamus ad Dei laudē, & gloriam; pro ut etiam de actibus indifferentibus

1. Corinth. 10. amplius loquitur: *ſive manducatis, ſive bibitis &c. omnia in Dei gloriam facite.* Tum *negativè* in ſecundo Decalogi præcepto, in quo prohibetur omnis ſermo vanus, & otioſus. Ad 2. probationem dico, quòd permiſſio legis ſolùm cadat ſuper actum ex parte *objecti*, ex parte autem *exercitij*, & *finis* operandi lex non permiſit, ſed præcepit, ut omnia in gloriam Dei faciamus; & prohibuit, ne aliquid otioſè operemur; quia de verbo otioſo reddituri ſumus rationem. Ad 3. probationem dico,

dico, quòd permiſſio legis ſolùm cadat ſuper actum ex parte *objecti*, ex parte autem *exercitij* & *finis* apponendi, lex non permiſit, ſed præcepit, ut omnia in gloriam Dei faciamus; & prohibuit, ne aliquid otiosè operemur, quia de verbo otioſo reddituri ſumus rationem. Ad 3. probationem dico, præceptum hoc non eſſe nimis rigidum, ſicut nec illud, quo obligamur declinare à malo, & facere bonum, Deum diligere ſuper omnia &c. Præſertim verò cùm non teneamur omnes actiones noſtras *actualiter* referre in Deum, ſed ſufficiat, quòd *virtualiter* referantur. Neq; peccatur continuò ex hoc, quòd tale præceptum detur; tum quia multæ actiones, quæ videntur indifferentes, revera tales non ſunt, quia in recreationem honeſtam, aut commoditatem debitam referunt. Tum quia plerumq; actiones ejusmodi ut fricatio manuum indeliberatè ex imaginatione fiunt. Quòd ſi verò fiant deliberatè ſine fine debito, tunc non immeritò inter peccata reputantur. Et per hoc patet ad 2. confirmationem.

℟. Ad 1. confirm. non eſſe in manu hominis ſemper ex advertentiâ operari, cùm ſæpè ratio prævêniatur, aut obliuio occupet, aut ſine ſuâ culpâ divertatur ad aliud; adeóq; non teneri ſemper agere deliberatè; quòd ſi tamen deliberatè agat, teneri adhibere finem bonum; quia tenetur actiones ſuas, ut liberæ ſunt, regulare rectâ regulâ ſive *actualiter* ſive *virtualiter*.

27. *Obijc.* 3. actus qui exercentur propter neceſſitatem, aut naturæ comoditatem, ut ſunt expuere, ambulare &c. nec ſunt boni, nec mali. Ergò indifferentes. Probatur antecedens: non boni; quia non ſunt ex virtute *morali*, quod

Digitized by Google

2. Ethic. tamen ſecundùm Philoſophum requiritur; nec etiam mali, quia ſunt conformes rectæ rationi, & cauſa habitûs boni. Ergo nec ſunt boni, nec mali.

lib. 2. c. 3. ℞. Actus ejusmodi bonos eſſe, ſi deliberatè, debiteq; fiant. Nam ut pulchrè inquit S. D. hoc ipſo, quòd quis agat ordinatè ad ſuſtentationem, vel corporis quietem, hoc ipſum ordinatur ad bonum virtutis in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis. Ad probationem in contrarium dico Philoſophum non loqui de actu quocùnq; bono, ſed de actu ex omni parte perfecto. Deinde neceſſe non eſt, ut actus *moraliter* bonus immediatè eliciatur & producatur ab habitu aliquo virtutis, ſed ſufficit, quod *mediatè* ſaltem, ac *reductivè* ſpectet ad virtuoſitatem. Et hinc

28. *Colliges*, talia opera, ſi deliberatè fiant, nec tamen in finem ratione conſonum *virtualiter* ſaltem referantur, materiam fore Confeſſionis Sacramentalis non minùs, quàm verba otioſa, atq; adeo in confeſſione ſub veniali fore exponenda. Quod verò hoc de facto non fiat; ideo eſſe, quia plerumq; ſine deliberatione ex ſolo naturæ inſtinctu fiunt.

29. *Objic.* 4. datur actus ex ſpecie ſuâ indifferens; Sed nequit dari ſpecies, cujus nullum poſſibile ſit individuum. Ergò etiam in individuo dabitur actus indifferens.

Confirmatur. Quia quod convenit ratione ſpeciei, non poteſt tolli per aliquid ſuperveniens, niſi ſpecie illâ destructâ; ſed actus ex ſpecie ſuâ, ſeu objecto indifferens, ut dictum eſt, eſt ſub ſpecie morali, ſaltem *imprefectè*; ergò nequit deſtrui per individuationem. Si hoc? ergò ſimiliter dabitur indifferentia in actu individuali.

30. ℞.

30. ℞. Diſt. m. nulla datur ſpecies, cujus non ſit poſſibile individuum, eo modo, quo ſpecies illa petit habere tale individuum, concedo m. alio modo; nego m. non enim indifferentia eſt ſpecies aliqua, petens ſiſtere in illâ, ſed petens potiùs transire in bonum, vel malum *mediatè*, id eſt non quidem ex objecto *proximo*, ac *immediato*, ſed ex fine & circumſtantijs. Excludit autem bonum & malum, quatenus habet ſtatum indifferentiæ, puta, quatenus præcisè reſpicit objectum; ſed præciſio hæc, & ſtatus hic non deſcendit ad inferiora, ſeu individua; quemadmodum licet homo, vel lapis, ſecundùm ſe nec ſit albus, nec niger, à parte rei tamen non invenitur cum tali præciſione, quia præciſio hæc non deſcendit ad individua.

℞. Ad confirm. non deſtrui ſpeciem indifferentiæ per individuationem, ſed tantùm ſtatum, & præciſionem indifferentiæ, quatenus ſcil. non manet præciſa attingentia objecti *immediati*, ſed etiam extenſio fit ad aliquid *mediatum*, quod eſt finis, & circumſtantia, ex quibus ratio actûs indifferentis poſtulat accipere ſpeciem completam, atque perfectam.

31. *Objic.* 5. Deniq; poteſt quis velle uti opinione probabili, quæ docet, dari actus indifferentes *in individuo*, vel quia ſibi reverà probabilis apparet, vel quia *invincibiliter* ignorat, dari præceptum, omnia referendi in finem honeſtum. Tali ſanè caſu, qui facit talem actum indifferentem ex objecto, non peccabit; quia utitur ſententiâ probabili, quæ excuſat à peccato, neque tamen etiam facit actum bonum, quia eſt ex fine indifferenti. Ergò faciet actum ex *objecto*, & *fine* indifferentem.

32. ℞. 1. eum, qui ſequitur opinionem probabilem contrariam, tanquam probabilem, excuſari quidem in tali actu, quo minùs ei imputetur ad culpam, actum tamen illum revera *moraliter* malum eſſe; quemadmodum & ille, qui ſequitur opinionem aliàs probabilem, ſed tamen falſam, facit actum equidem malum, licet ei non imputetur ad culpam.

℞. 2. Ille, qui vult uti opinione probabili, vel foret dictamen prudens, vel imprudens circà elicientiam talis actûs? quia non datur dictamen medium, ſeu indifferens, quod ſcil. non ſit elicitum à prudentiâ, vel imprudentiâ. Si dictamen eſt imprudens; jam non erit probabile, ſed actio inde procedens mala erit; quia procedit à dictamine defectuoſo, nec à rectâ intentione; quod ſi verò dictamen ſit prudens, actio erit bona; quia conformatur dictamini prudenti, & procedit ex rectâ intentione; rectificatio namq; prudentiæ ſumitur ex rectitudine intentionis & finis. Si hoc? ergò non datur caſus, in quo opinio contraria ſit practicè probabilis, & nihilominùs actus maneat indifferens, ſed ſemper bonus erit, aut malus.

CAPUT VIII.

De Principijs Bonitatis, & malitiæ moralis.

QUamvis ex dictis conſtat, principia bonitatis, vel malitiæ moralis eſſe tria, videl. objectum actûs humani, circumſtantias ipſius, & finem operantis; ad majorem nihilominùs materiæ hujus dilucitationem, de his in preſenti cap. agemus.

§. 1. U-

§. 1.

Utrum actio humana habeat bonitatem, vel malitiam ex objecto, fine, & circumſtantijs?

Concluſio 1.

Actio humana primam, ſeu primariam, & ſpecificam *bonitatem, vel malitiam habet ex objecto.* Ita S. Thomas, quem ſequitur communis DD.

1. Explico. Quamvis Scotus admittat bonitatem illam, quæ ſumitur ex objecto, eſſe primam, negat tamen eam eſſe *ſpecificam*, pro quo

Notandum eſt 1. Quòd objectum actûs humani ſit res ipſa, circàquam actus humanus verſatur; hæc autem res poſsit dupliciter conſiderari. 1. præcisè & *ſecundùm ſe*, pro ut pertinet ad genus *naturæ*. 2. quatenus eſt conveniens, vel diſconveniens, & pertinet ad genus moris. Itaque S. D. in præſenti ſolùm vult, bonitatem vel malitiam actûs humani ſumi ex objecto non in eſſe *naturæ*, ſed in eſſe *moris* conſiderato; quatenus ſcil. operans circa tale objectum habet ſe conformiter, vel difformiter ad rectam rationem; unde non abſolutè dicit, primam bonitatem actûs humani attendi ex objecto, ſed ex objecto convenienti, id eſt, conformi ſecundùm rectam rationem. Item infrà ſic dicit: *bonum per rationem repræſentatur voluntati ut objectum, & in quantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem in actu voluntatis.* Et ratio hujus eſt manifeſta; quia diverſi actus voluntatis, quorum unus eſt bonus, & alter malus poſſunt ferri in idem objectum in eſſe *naturæ* conſideratum, ut patet in voluntate ac- *7. S. D. q. 19. art. ad 3.*

Tt 3 ceden-

cedendi ad hanc mulierem in eo, cujus eſt uxor, & in eo, cujus non eſt uxor; vel in voluntate accipiendi pecuniam in eo, cujus eſt propria & in eo cujus non eſt propria. Ergò bonitas & malitia moralis non eſt ex objecto in *eſſe rei*, ſed in *eſſe morali* conſiderato; aliàs enim actus, qui reſpiciunt idem objectum in *eſſe rei*, eſſent ejusdem ſpeciei, unúſque non poſſit eſſe bonus, & alter malus.

2. *Notandum* 2. Objectum in *eſſe moris* poſſe amplius duobus modis conſiderari; 1. *latè*, quatenus comprehendit omne, quod eſt volitum, ſive ut objectum, ſive ut circumſtantia, ſive ut finis. 2. ſtrictiùs, & quatenus diſtinquitur à circumſtantijs, & fine; & dicitur illud, quod eſt primò, ac *per ſe* volitum ex propriâ ratione, & modo tendendi actûs humani. Quando igitur S. Th. in præſenti docet, primam bonitatem actûs moralis deſumi ex objecto, loquitur de objecto ſtrictè accepto; quia in hoc articulo non agit de totâ bonitate quæ convenire poteſt actibus humanis, ſed ſolùm de *eſſentiali*, & *ſpecifica*, quæ in eis eſt prima; de aliâ verò bonitate, quæ poſtea ſupervenit ratione circumſtantiarum & finis aget 2. & 3. concluſione. Jam primum

3. Probatur concl. 1. Quia ex quo aliquid habet ſpeciẽ, ex eo etiam habet bonitatem vel malitiã; ſed actio moralis habet ſpeciem ex objecto; ergò ex eodem habebit bonitatem, vel malitiam. M. & m. patent. Quia id, quod dat ſpeciem, eſt primum, quod ad plenitudinem eſſendi pertinet; bonum autem & malum actionis attenditur ſecundùm plenitudinem, vel defectum eſſendi.

Proba-

Probatur 2. quia ſicut ſe habet res naturalis ad ſuam formam ſpecificam; ita moralis actio ſe habet ad ſuum objectum: atqui res naturalis primam ſuam bonitatem habet ex ſuâ formâ, quæ dat ei ſpeciem; ergò ſimiliter actio moralis primam ſuam bonitatem habet ex objecto convenienti, cùm ſit illud quod dat ſpeciem actioni morali. Hoc ſenſu dixit S. Auguſt. *ſi terram diligis, terra es*; ſi *DEUM*, quid *dicam? DEUS eris.* Confirmatur ſicut enim in naturalibus primum bonum, quod res ſortitur, & bonum ſpecie, quod habet ex ſuâ formâ ut quando ex actu generationis procedit homo, & principium malum eſt, ſi res non conſequatur formam ſpeciei, ut ſi ex actu generationis non procedat homo, ſed aliquid loco hominis; ita in moralibus primum bonum actionis eſt, quod verſetur circà objectum conveniens; & primum malum, ſi non verſetur circà objectum conveniens. Et ex his ſimul habetur, quòd bonitas, quam actus *moralis* habet ex objecto, ſit bonitas *ſpecifica*; quia per eam bonitatem actus conſtituitur in certâ ſpecie, adeòque id quod dici ſolet, actum ex objecto bonum, bonum eſſe ex *ſuo genere*, ita intelligendum eſt, ut in hujusmodi propoſitione genus accipiatur per ſpeciem, velut docet S. Th. *quemadmodùm*, inquiens, *humanum genus dicimus totam ſuam ſpeciem.* Atque hic amplius eſt, cur, ſi objecta, circà quæ verſatur actus, ſpecialem aliquam repugnantiam habeant contrà legem, & rectam rationem, teneatur aliquis ea etiam in confeſſione exponere, & in fornicatione vg. dicere, an ea, cum qua peccavit, fuerit ſoluta, cognata, maritata &c. quia ſcil. tunc objecta diverſam ſpecie malitiam refundunt in actum. Sed

tract. 2. in S. Joan.

hic. in corp.

4. *Objic.*

Digitized by Google

4. *Obijcies 1.* Iſti actus voluntatis: *volo benè vivere*; vel *volo peccare*; debent habere aliquam bonitatem, vel malitiã *primam*, ac *ſpecificam*; ſed non poſſunt eam habere ab objecto; falſum ergò eſt, quòd actiones morales habeant *primam* & *ſpecificam* ſuam bonitatem, vel malitiam ex objecto. M. quo ad utramque partem patet; & quidem quo ad primam, quòd ſcil. actus iſti habeant bonitatem, vel malitiam. quia conſonant, vel diſſonant rationi, merentúrque præmium, vel pænam, ita ut primus ad gratiam diſponat puerum ad rationis uſum pervenientem, quod non fieret, niſi bonus foret; ſecundus autem etiam ſufficit ad gratiæ deſtructionem, quam non deſtrueret, niſi malus foret. Quo ad ſecundam verò partem, quòd nimirum habeant bonitatem, vel malitiam *ſpecificam*, non minùs patet; quia actus iſti ſunt determinatæ ſpeciei, utpote *in individuo* exerciti, tanquam actus morales & liberi. m. verò probatur; quia objecta ejusmodi actuum ſunt indeterminata, & communia ad omnia genera objectorum, bonorum vel malorum; cùm omnia illa, omnéſque illorum materias complectantur; ergò actus iſti ab objectis hisce nequeunt habere bonitatem, vel malitiam primam, & *ſpecificam*. Ad hoc argumentum tot fermè ſunt ſolutiones, quot Doctores, quorum plures refert, & refutat S. Thomas. Relictis itaque alijs

hic & alibi.

5. R⁄. Neg. m. ad probationem diſtinguo antec. objecta talium actuum ſunt communia in *eſſe rei*, vel quantùm ad rationem *qua*, tranſeat antec. ſunt communia, in *eſſe objecti* formaliter, vel quantùm ad rationem *ſub quá* nego antec. & conſeq.

Explico

Explico ſolutionem; videmus enim quòd habitibus, potentijs, & actibus valdè comune ſit, ſpecificari ab objectis, aliàs in *eſſe rei* valdè communibus; intellectus ſpecificatur à Vero; voluntas à Bono; Metaphyſica ab ente in communi; Philoſophia naturalis ab Ente mobili, vel naturali &c. neque rei hujus alia reddi poteſt ratio; quia licet prædicta objecta ſint communia in *eſſe rei*, in *eſſe* tamen *objecti* dicunt unitatem *atomam*, ſeu *infimam*. Similiter itaq; etiam iſte actus: *volo ſtudioſè vivere*, licet terminetur ad bonum commune, eſt tamen unus ſpecie atomâ; quia reſpicit objectum illud ſub ratione atomâ in genere *moris*, ut ſcil. conſonat naturæ rationali, ut ſic, pro quo

6. *Notandum 1.* Quòd objectum illud, ſcil. *honeſtè*, vel *turpiter vivere* poſſit dupliciter conſiderari, vel ut *abſolutè* dicit, eſſe *conſonum* vel *diſſonum* rationi aut formæ hominis; vel, ut dicit, eſſe *conſonum* aut *diſſonum* omninò *primò, ac per ſe*. Primo modo eſt quid *genericum*; quia *abſolutè eſſe conſonum*, vel *diſſonum rationi*, prædicatur de omnibus objectis *moralibus*. Altero autem modo eſt quid *ſpecificum*, & non commune alijs objectis; de nullo enim objecto particulari prædicatur, quod ſit *primò* conſonum, vel diſſonum rationi, ſed hoc habent alia objecta à ratione illâ communi, ac proinde aliquo modo *ſecundariò*. Et quia per prædictos actus attingitur tale objectum ſub hac ratione, quatenus ſcil. eſt primò conſonum, vel diſſonum rationi, ſeu naturæ rationali, *ut ſic*, ideo attingitur ſub ratione atomâ, utpote quæ nulli alteri convenit, ſecundùm quod *formaliter* eſt ratio illud attingendi.

Notandũ 2. Quòd actus iſte: *volo ſtudiosè, ſeu honeſte vivere*; non eliciatur ab aliquâ virtute ſpeciali, ſed â naturali inclinatione, quam habet voluntas ad bonũ honeſtũ, quæ inclinatio non eſt virtus *moralis*, ſed aliquid altius virtute morali, tanquam primum quoddã, & quaſi inchoatio, ſeu ſeminarium omniũ virtutum moraliũ, exiſtens in voluntate, ut docet S. Th. Unde ſicut inclinatio hæc una eſt ſecundùm ſpeciem atomam, ita actus prædictus: *volo in omnibus honeſtè, ſtudioſeq; vivere.*

infrà q. 63. a. 1. in corp. & a. 2. ad 2.

7. *Obijc.* 2. Illa bonitas, quæ contrahitur per plures ſpecificas bonitates, non eſt ſpecifica, ſed generica; ſed bonitas deſumpta ex objecto poteſt hoc modo contrahi. Ergò ea non eſt ſpecifica. M. patet. m. probatur 1. ex S. Th. ubi docet, quòd luxuria, quæ habet ſpeciẽ ex objecto, ſi ordinetur in finem alterius vitij, efficiatur illius vitij ſpecies. Ergò. Probatur eadem m 2. quia bonitas eleemoſinæ eſt determinabilis ex diversâ bonitate finium, ad quos ordinatur, taliter ut ſi fiat ad ſublevationem pauperis, ſit actus miſericordiæ; ſi verò fiat in honorẽ Dei, ſit actus Religionis; ſi in ſatisfactionẽ peccatorũ, actus pœnitentiæ &c. Ergò bonitas Dei ex objecto poteſt contrahi per diverſas bonitates ſpecificas.

2. 2. q. 154. a. 1. ad 1.

℟. Diſtinq. M. bonitas quæ contrahitur per diverſas bonitates ſpecificas *eſſentiales*, eſt generica concedo M. bonitas, quæ ſolùm contrahitur per plures bonitates ſpecificas *accidentales*; nego M. Et ita applicatâ diſtinctione ad m. nego conſeq. contrahitur itaque bonitas ex objecto per circumſtantias, & finem, ut patet in allatis exemplis, non tamen contrahitur tanquã per differentias *eſſentiales*; neq; ut quid incompletũ, & potentiale,

ſed

ſed ut quid completum in *eſſe ſpecifico*, & per differentias ſolùm *accidentales*; adeoque non ſequitur, bonitatem illam, quæ ſumitur ex objecto, eſſe *genericam*.

8. *Obijc.* 3. Si bonitas vel malitia ſpecifica actûs humani deſumeretur ab objecto, ſequeretur, quòd prius
eſſet in actu externo, quàm in interno. Sed conſequens *infrà q. 20.*
eſt contrà S. D. Ergò ſequela probatur. Quia actio externa eſt objectum actûs interni; ſicut cùm dico: *volo dare eleemoſynam*: objectum talis volitionis eſt ipſe actus externus ipſa ſcil. traditio, & largitio eleemoſynæ. Ergò prius bonitatē haberet actus externus, quàm internus. Confirm. Actus externus eſt verè actus humanus, & moralis (imputatur enim nobis, & punitur, & præmiatur) ſed iſte non accipit bonitatem ab objecto; ipſa enim datio vg. eleemoſynæ eſt objectum; nec ipſa res, ſeu pecunia, quæ datur, eſt aliquid morale; Ergò &c.

9. ℞. Ad argumentum, actum externum dupliciter conſiderari poſſe; primò *ſpecificativè*, & quatenus in intentione & apprehenſione præcedit actum internum, quâ intendimus exequi, & facere actum externum. Secundò *executivè* & in exercitio, quatenus ex actu interiori procedit, tanquam ejus effectus. Primo modo actus *externus* habet ſe, ut objectum actûs *interni*, & ſic prius habet bonitatem, vel malitiam, non quidem *formaliter*, ſed *objectivè* ſolùm, in quantùm actus *internus* ex ordine ad ipſum, tanquam ad objectum ſumit ſpecificationem, & conſequenter regulationem boni, vel mali ſecundùm regulas rationis. At ſecundo modo actus exterior non eſt objectum, ſed effectus, & participat ab actu interiori bonitatem, vel malitiam,

Digitized by Google

quatenus ab eo imperatur, & ordinatur ad finem; aut etiam quatenus ab eo participat rationem voluntarij, ſi in ſe, & ex proprijs meritis voluntarius non ſit, ut contingit in actibus externis ſenſibilibus. S. D. autem loco cit. loquitur de actu externo in hac ſecundâ acceptione conſiderato. Ad Confirm.

10. ℞. Objectum actûs externi non eſſe ipſam operationem in *facto eſſe*, ſed eſſe ipſam rem, circà quam talis operatio verſatur. Docet enim S. Thomas expreſsè, objectum actûs eſſe materiam, circà quam verſatur actus, quatenus ſcil. materia talis actûs menſuranda & attingenda eſt ſecundùm regulas rationis, vel præter illas. Et hujus ratio eſt; quia res volita ad *extrà* eſt finis, quem aſſequi nitimur, & apprehendere. Unde etiam ſuprà oſtendimus, quòd ipſe Deus in ſe ſit noſtra beatitudo *objectiva*, & ultimus finis *Qui*, licet beatitudo *formalis* ſit ipſe actus viſionis, Deum attingens, & aſſequens. Similiter etiam finis & objectum avari eſt pecunia, luxurioſi fæmina &c.

hic a. 1. ad 2. & alibi ſæpius.

Dices; Ergò idem erit objectum actûs interni, & externi. ℞. Quòd objectum *ultimum*, & terminativum *ad extrà* ſit idem, & hoc eſt ipſamet res, quæ attingitur immediatè ab actu exteriori, & mediantè illo ab actu interiori; cum quo nihilominus ſtat, quòd immediatũ objectũ actûs interni poſsit eſſe actus exterior, qui tangit rem ipſam internam; quia tamen totum hoc coordinatur inter ſe, *moraliter* cenſetur idem objectum.

11. *Objic. 4.* Actus humanus habet primam convenientiam, vel diſconvenientiam in genere *moris* ex ordine ad ſuum principium; ergò ex ordine ad tale principium

pium ſumitur moralitas actûs *antecedenter*, & conſequenter objectum non dat primam bonitatem, ſeu ſpeciem in genere moris. Antecedens patet; quia illud principium, ad quod actus humanus dicit ordinem, eſt ipſa voluntas, quæ de ſe operativa eſt cum ſubjectione ad regulas rationis, unde etiam S. Th. dicit, actionem ſpecificari à ſuo principio. Ergò &c. *ſuprà q. 1.*

℟. Neg. antec. quia actus *antecedenter* ad ordinem, quem habet ad objectum, non habet convenientiam, vel diſconvenientiam *moralem* per ordinem ad ſuum principium elicitivum, quod eſt voluntas; quia tale principium, ſeu voluntas non regulatur regulis moralibus rationis, niſi mediante objecto, & operatione, ſuper quæ immediatè cadunt illæ regulæ; tota nàmque regulatio, aut moralitas eſt à lege; lex autem non reſpicit ipſam potentiam, ſine actu, vel omiſsione actûs, ſed reſpicit, & præcipit *ipſum facere*, quod eſt actus, aut *non facere*, quod eſt omiſſio actûs. Similiter neque actus regulatur ſine objectis, eorúmq; attingentiâ; neque enim intellectus, vel lex diſponit de actu benè, vel malè faciendo, niſi juxtà objectum, eiusq; attingentiam, circâ quod verſatur.

Ad probationem dico; quòd actus *entitatiuè* in ſe ſine objecto non ſit niſi quædam vitalis qualitas, in actu ſecundo procedens â potentiâ, quæ ab objecto accipit bonitatem, vel malitiam regulabilem per regulas rationis; *antecedenter* autem ad objectum, ſolùm habet proportionem *entitativam* cum ſuo principio, quatenus ab illo phyſicè, ac entitatiuè procedere poteſt, & emanare in ratione actûs vitalis, quæ proportio & convenientia ſolummodò eſt in genere naturæ; in lineâ autem *morali*

non habet convenientiam, vel diſconvenientiam, niſi quatenus ſupponitur ordo ad objectum regulatum per regulas rationis; vel quatenus procedit â principio, ſeu potentiâ, ut ſubordinatâ tali objecto ſic regulatò. Et per hæc patet ad locum S. Th. adductum.

12. *Obijc.* 5. objectum non eſt bonum vel malum *moraliter*; ergò ab illo non deſumitur bonitas, vel malitia *moralis*. Conſeq. patet; quia nemo dat, quod non habet. Antec. probatur; nam objecta actuum humanorum vel ſunt res ad *extrà*, ut Deus vg; vel ipſi actus humani, ut peccata; ſed hæc omnia non habent bonitatem, vel malitiam aliquam, quam imprimant actui, cuius ſunt objecta; ſicuti vg Deus eſt objectum odij damnatorum, & tamen in ſe non habet malitiam, quam tamen habet odium; ſimiliter etiam peccata odio habita ſunt objectum actûs pœnitentiæ, nequè tamen pecata habent ullam bonitatem. Ergò &c.

lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ. c. 12. Confirmatur ex S Aug. ubi dicit, in rebus ipſis non eſſe malum, ſed in uſu peccantium. Res autem ſunt objecta actuum humanorum. Ergò horum objecta non ſunt bona *moraliter*, vel mala.

13. ℟. Quòd licet objecta non habeant bonitatem, vel malitiam *moralem formaliter*, ac *completè*; cùm antè actum non habeant rationem virtutis, aut vitij, meriti, aut demeriti, habeant tamen eam *primordialiter*, *objectivè*, ſeu *cauſaliter*, quæ nihil aliud eſt, quàm quòd objectum ſit talis naturæ, ut conſonet rationi, actum terminari ad illud per modum *proſecutionis*; vel ut conſonet rectæ rationi, circà illud operari per modum *fugæ*, vel nolitionis. Et ratio hujus eſt; quia ratio boni

ni *moralis* dicit rationem convenientis cum principio morum, quod eſt recta ratio, atque ita objectum illud dicitur bonem *objectivè*, ſeu *cauſaliter*, quod convenit rationi, ut proſequatur; malum verò, quod conſonat rationi, ut fugiatur. Unde ſicut ſanum reperitur in diverſis diverſimodè, in animali quidem tanquam in ſubjecto; in medicinâ verò tanquam in cauſâ &c. ita etiam bonitas, vel malitia *moralis* in diverſis diverſimodè reperitur, in actibus ſcil. humanis *formaliter*, & *ſubjectivè*, in legibus verò tanquam in regulis, & in objectis *primordialiter*, atque *cauſaliter*. Ad confirm.

℞. S. Auguſt. ſolùm velle, quòd in rebus *ſecundùm ſe*; id eſt, *entitativè* conſideratis, non ſit malum; non tamen negare, quòd in rebus in ordine ad uſum peccantium diſpoſitis, & proportionatis ſit malum; ſunt enim res objecta actionum, ut ipſis proportionatæ, quam tamen proportionem *moralem* non accipiunt ab ipſis, velut à ratione *formali*, ſed à regulis rationis.

Concluſio 2.

Actio hominis etiam bona eſt, vel mala ex circumſtantijs. Et D. Thomæ, & omnium aliorum DD.

14. Probatur 1. Authorit. S. Script. quæ paſſim requirit, ut actiones bonæ fiant cùm debitis circumſtantijs, fine ſcil. tempore, loco, & modo convenientibus; & econtrà reprehendit eos, qui actiones *ex ſe* bonas non faciunt ſervatis debitis circumſtantijs. Quo ſenſu corripiuntur ij, qui eleemoſynas dabant ex fine vanæ gloriæ. Item; Sacrificium oblatum à Caino non erat Deo acceptum, quia deerat ei pius in Deum, & *Matth. 6.* *Gen. 4.*

Pro-

Digitized by Google

proximum affectus. Similiter ſacrificium Saulis eſt rejectum, quia non eo, quo debebat tempore, offerebat.

Probatur 2. ratione; quia ut jam patet ex dictis, judicandum eſt de bonitate ac malitiâ humanorum actuum, ſicut de bonitate & malitiâ aliarum rerum; ſed res naturales non habent totam eſſendi plenitudinem ex formâ, quæ dat eis ſpeciem, ſed multùm eis ſuperadditur ex accidentibus advenientibus; quemadmòdum homo ab animâ, â quâ recipit ſpeciem, non habet omnes ſibi convenientes perfectiones, ſed multæ ipſi ſuperadduntur ex accidentibus, ut ex figurâ, colore, alijsquè, quorum ſi aliquid deſit ad decentem habitudinem, eſt malum *naturæ*; ergò ſimiliter actiones morales totam bonitatis ſuæ plenitudinem non habent ex objecto, quod eis dat ſpeciem, ſed bonitatē aliquam etiam accipiunt ex circūſtantijs, quæ ſunt accidentia actuū humanorum, quarum ſi aliqua deſit, cùm deberet adeſſe, eſt malum *morale*.

15. Doctrina hæc S. Th. etiam confirmari poteſt 1. quia circumſtantiæ conducunt ad augmentum præmii, vel pœnæ, & ſaltem, ſi ſint mutantes ſpeciem, neceſſariò debent in confeſſione aperiri. Ergò actui conferunt bonitatem aliquam, vel malitiam. Conſeq. patet; quia actus in tantùm eſt præmiabilis, vel punibilis, in quantùm eſt bonus vel malus; & in confeſſione non eſt neceſſe explicare, quod non pertinet ad actûs malitiam. Antec. verò probatur, quia quì intenſiùs diligit Deum, majorem utique gloriam meretur; quàm qui eum tepidè amat; & qui in peccato majorem habet delectationem, plus punietur juxta illud: *quantùm glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantùm datur ei tormentum.* Ergò &c.

16. Con-

16. Confirmatur 2. demonſtrando, quaslibet circumſtantias, hoc verſu comprehenſas

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Addere aliquam bonitatem, aut malitiam accidentalem: Nam de circumſtantiâ *Quis*, conſtat tum ex illo, ubi Ozias Rex graviter reprehenditur, quòd vellet ſacrificium offerre, non ſervatâ circumſtantiâ perſonæ offerentis. *Paralip. 26.* Tum ex illo: ubi Chriſtus laudat illam viduam pauperculam, mittentem duo æra minuta in Gazophylacium, quòd plus miſerit, quàm alij divites; quia cùm eſſet paupercula miſit id, quo ipſa indigebat. *Luc. 21.* Tum denique ex proditione Judæ, cujus peccatum multò gravius fuit ex qualitate Proditionis, quia unus fuit ex duodecim. De circumſtantiâ *Quid* patet ex eo, quòd furari v.g. centum florenos, ſit longè graviùs, quàm ſolùm furari decem; & peccata publica ſint graviora propter ſcandalum puſillorum, quàm occulta. Circumſtantia *Ubi*, ſeu loci reddit furtum gravius in Eccleſiâ, quàm extrà eam. De circumſtantiâ *Quibus auxilijs* probatur ex eo, ubi David laudatur, quòd ad Philiſtæum venerit in nomine Domini. *ex 1. Reg. c. 17.* Et econtrà exprobratur Judæis, quòd curabant defendere civitatem humanis præſidijs, & non auxilijs Divinis. *Ioann. 22.* De circumſtantiâ *Cur* patet ex illo, ubi prohibet DEUS dare eleemoſynam, ut videamini ab hominibus. *Matth. 6.* Et de hac magis concl. ſeq. De circumſtantiâ *Quomodo* patet ex illo: *citò fecerunt, obliti ſunt operum ejus*; ubi exaggeratur peccatum populi, quia citò ſe convertit ad idola. *Pſal. 105.* Et denique de circumſtantiâ *Quando* patet ex facto Herodis, cujus peccatum gravius fuit, quòd co-

Digitized by Google

miſſum ſit in die Natalis, quando gratias Deo agere oportebat; ut expendit S. Chryſoſtomus. Ergò &c. Sed

Hom. 43. in Matth.

17. *Obijc. 1.* Quidquid tribuit bonitatem, vel malitiam actui humano, eſt volitum; ſed quidquid eſt volitum, eſt objectum volitionis; ergò ſolùm objectum tribuit bonitatem, vel malitiam, & non circumſtantia.

℞. Diſt. m. Sed quidquid eſt volitum primò, ac *per ſe, directè, & immediatè*, eſt objectum volitionis concedo m. quidquid volitum eſt *indirectè* ſolùm, & *ſecundariò* eſt objectum volitionis, nego m. circumſtantiæ autem indirectè ſolùm ſunt volitæ, atq; ita non habent rationem objecti ſpecificantis. Ubi tamen advertendum eſt, quòd cùm actus voluntatis poſſint variari, ſicut & actus rationis, idcirco ſæpiùs contingat, ut id, quod in actu ſe habet ut circumſtantia, in alio ſe habeat ut objectum; v.g. ſi quis publicè fornicetur ex amore libidinis, ſcandalum inde ortum ſolummodò eſt circumſtantia, quia minùs principaliter, & *ſecundariò* duntaxat eſt volitum; quòd ſi autem quis principaliter intendat ſcandaliſare proximum per fornicationem, tunc ſcandalum, quod prius erat circumſtantia, tranſibit in rationem objecti, prout infrà de hoc latiùs.

18. *Obijc. 2.* Si circumſtantiæ tribuerent actui humano bonitatem, vel malitiam, illámque augerent, ſequeretur 1. actum illum fore infinitæ bonitatis, quo quis cuperet dare infinitam eleemoſynam infinitis pauperibus; ſed conſequens eſt falſum, quia non datur infinita bonitas in actu puræ creaturæ; ergò & antec. 2. Sequeretur, quòd bonitas, ſeu intenſio actûs, ut ſex, nunquam poſſet augeri per bonitatem plurium

actuum

actuum, ut tria; ſed conſequens icidem falſum eſt; quia qui centum actus charitatis elicuit, ut tria, plùs meretur, quàm qui unum duntaxat elicuit ut ſex, ergò &c. Sequela probatur; quia multiplicatio formæ non intendit ejus perfectionem; quemadmodum licet multiplicentur homines, nunquam tamen pervenient ad perfectionem unius Angeli. Ergò &c.

℟. Nego 1. ſequel. Quia licit talis actus haberet quamdam infinitatem *extenſivam*, & *ſecundùm quid*; non tamen haberet ſimpliciter talem; quia ad hanc requireretur, ut actus eſſet *abſolutus*, & *efficax*, & in rem infinitam tenderet conatu infinito; unde ſicut actus charitatis licet reſpiciat objectum infinitum, is tamen minimè eſt infinitæ bonitatis, ita nec actus, de quo procedit argumentum.

℟. Ad 2. Sequelam, eiùsq; probationem tantummodò hoc haberi, quòd actus ut ſex nunquam poſſit aquiri per bonitatem plurium actuum, minùs intenſorum quo ad intenſionem *phyſicam*; non tamen hoc, quòd non poſſit aquiri quò ad valorem meriti *moralem*; unde ſicut ferrum, quantumcunq; multiplicetur, nunquam attinget bonitatem *Phyſicam* auri, licet in æſtimatione *morali*, ſi eò usque multiplicetur, poſſit excedere aurum; ita ſimiliter in præſenti.

Concluſio. 3.

Præter bonitatem, & malitiam abſolutam, *quæ convenit actioni humanæ ex obiecto, habet etiam bonitatem, vel malitiam* ex fine. Ita rurſus S. D. hìc, & communis aliorum. Non intelligit hìc S. D. nomine bonitatis, vel malitiæ *abſolutæ*, bonitatem, ſeu malitiam purè abſo-

lutam ſine omni reſpectu ad quodcunque; ſed intelligit bonitatem eſſentialem, & ſpecificam ab objecto *abſolutè*, id eſt, ab objecto non ordinato ad alium finem *extrinſecum*.

Jam

Matth. 6. 19. Probatur. 1. Authorit. S. Script. paſſim, nobis rectitudinem intentionis, & finis commendantis, adhoc, ut opera noſtra Deo grata, nobisque evadant meritoria. Quemadmodum patet ex illo: *ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Ubi ex mente S. Aug. nomine oculi ſignificatur intentio finis.

Probatur 2 ratione: eadem eſt diſpoſitio rerum in bonitate, & in *eſſe*; ſunt autem quædam, quorum *eſſe* ex alio non dependet, & in his ſufficit, conſiderare ipſum eorum *eſſe* abſolutè; quædam verò etiam ſunt, quorum eſſe dependet ab alio; & hæc debent conſiderari per reſpectum ad cauſam, â quâ dependent; unde ſicuti *eſſe* rei *phyſica* dependet ab agente & formâ, ſic bonitas rei *moralis*, dependet â fine. Unde in Perſonis Divinis, quæ non habēt bonitatē dependentem ab alio, non conſideratur aliqua ratio bonitatis ex fine. Ergò ſicut illa, quorum *eſſe* dependet ab alio, oportet conſiderare in ordine ad cauſam, â qua dependent; ita actiones humanæ, & alia, quorum bonitas dependet ab alio, habent rationem bonitatis ex fine, â quo dependent, præter bonitatem *abſolutam*, quæ in eis exiſtit. Ex his rectè deducitur. 1. quòd in actione humanâ quatruplex bonitas reperiri poſſit. Una ſecundùm *genus*, quatenus ſcil. eſt actio; quia quantùm habet de actione, & entitate, tantùm habet de bonitate. Alia ſecundùm *ſpeciem* quæ accipitur ſecundùm objectum conveniens. Tertia ſecundùm *circumſtantias*, tanquam

quam ſecundùm quædam accidentia. Et Quarta deniq; ſecundùm *finem*. Deducitur. 2. Bonitatem moralem actionis humanæ non eſſe unam *ſimplicē*, & *indiviſibilem*, ſed unam unitate *aggregationis* & *ordinis*, quatenus in uno actu bono dantur plures bonitates, ſaltem *partiales* ſecundùm convenientiam plurium ad rectam rationem. Deducitur. 3. poſſe actionem aliquam humanam, & moralem eſſe malam *ſimpliciter*, & bonam *ſecundùm quid*; quia actioni habenti unam bonitatem ex prædictis, poteſt deeſſe altera; velut accidit, cùm quis licet ſervatis alijs debitis circumſtantijs orat ob vanam gloriam, quo caſu actio bona erit ſolùm *ſecundùm quid*, mala verò *ſimpliciter*; *quia bonum ex integrâ cauſâ, malum autem ex quolibet defectu*. Sed in propoſito

20. *Notandum* eſt 1. Quòd cùm juxtà ſuperiùs dicta, duplex ſit finis; *proximus* ſcil. qui etiam dicitur *operis*, ſeu *intrinſecus*, & coincidit (quod benè advertatur) idémq; eſt cum objecto, à quo actus humanus habet ſuam bonitatem, vel malitiam *eſſentialem*; & *remotus*, ad quem nimirùm actus ſolùm ex intentione operantis ordinatur, qui propterea etiam vocatur finis *operantis*, ſeu *extrinſecus*, & *ut ſic* propriè circumſtantia eſt actûs humani; hinc difficultas oriatur, de quo fine S D. in præſenti loquatur: ſive enim loquatur de uno, ſive de altero; articulus iſte ſuperfluus eſſe videtur; nam ſi loquatur de fine *proximo*, qui incidit cum ipſo objecto, jam conſtat ex concl. 1. hujus §. actum humanum bonum vel malum eſſe ex *fine*; quòd ſi verò loquatur de fine *remoto*, qui eſt circumſtantia actûs humani, jam conſtat quoque ex concl. 2. hujus ipſius §. actum huma- *a.1.§.1.n.2.*

Digitized by Google

num habere bonitatem, vel malitiam ex *fine*, ſic ſumpto. Sed nihilominùs

21. *Dicendum* eſt, S. D. loqui de fine *remoto*, qui eſt circumſtantia actûs humani; quia expreſsè loquitur de illo fine, qui eſt potiſſima circumſtantiarum, quiquè eſt cauſa motiva, propter quam voluntas elicit alias operationes: ſed finis iſte non eſt alius, niſi *remotus*, ſeu *operantis*. Neque tamen propterea concluſio noſtra tertia eſt ſuperflua; tum quia licet in concluſione ſecundâ S. D. egerit de omnibus circumſtantijs *generaliter*, quia tamen circumſtantia *finis* eſt principaliſſima, quæquè in moralibus maximè attenditur, idcircò in tertiâ concluſione de illâ ſpecialiter inquirit. Tum etiam,quia finis non habet rationẽ puræ circumſtantiæ,ſed etiã eſt cauſa ipſius actûs humani, ejuſq; bonitatis,quatenus movet agens ad agendũ; agens autem eſt cauſa ipſius actûs, ſecundùm quod movetur à fine; & quia modus iſte reddendi actum bonum vel malum, ſpecialis eſt ipſi fini, neq; conveniens alijs circumſtantijs, idcircò ut hunc modum explicaret S. D. voluit de eo ſpecialem inſtituere articulum, & concluſionem.

hic §. n. 19. 22. *Notandum eſt 2.* Quòd quando S. D. ſuprà in ratione dixit, in Perſonis Divinis non conſiderari aliquã bonitatis rationem ex *fine*, non velit negare, quin Deus in actionibus ſuis operetur propter finem; ſed ſolùm, quòd Deus non operetur propter finem aliquem *extrinſecum*, qui ſit vera cauſa actuum Divinorum, quod veriſſimum eſt.

§. 2. An

§. 2.

An quilibet finis bonus conferat actibus humanis bonitatem; & malus malitiam moralem?

1. Non eſt dubium, quin finis, quotieſcunq; peculiarem aliquam deformitatem affert contrà rectam rationem, toties quoque tribuat actui humano diverſam ſpecie malitiam ab eâ, quam tribuit objectum. Cujus ratio eſt; quia non poſſunt peccata diverſis ſpecie virtutibus oppoſita actui unam, eandémq; ſpecie malitiam tribuere; ſed quoties finis diſtinctam ab objecto adfert deformitatem contrà rectam rationem, totiès actus opponitur virtuti diverſæ ſpeciei ab eâ, cui opponitur ratione objecti; ergò nequit talis actus habere unius ſpeciei malitiam, ſed diverſæ. Dixi tamen: *ſi finis peculiarem adferat deformitatem ad rectam rationem*: ut excluderem finem, qui tantùm modificat malitiam objecti, neque diverſam, aut peculiarem ab objecto deformitatem affert, velut ſi quis furetur à divite, ut majorem pecuniæ ſummam auferat.

Concluſio 1.

Si actus moralis ex proprio objecto bonus ordinetur in finem extrinſecum *itidem bonum; vel ex objecto malus in finem itidem malum, tunc ſemper tam à fine, quàm ab objecto deſumit novam bonitatem, vel malitiam, atq; adeò in ejuſmodi actibus ſemper duæ ſunt bonitates, vel malitiæ ſpecie diſtinctæ.*

2. Explico. Poteſt finis *extrinſecus* ſextupliciter comparari ad actum humanum. Poteſt enim. 1. quis velle objectum bonum propter finem bonum, puta, dare eleemoſynam ob Amorem Dei. 2. Poteſt quis econtrà velle objectum malum proptet finem malum, ut furari propter

pter adulterium. 3. Poteſt aliquis velle objectum bonum, ob finem malum; vg. dare eleemoſynam ob vanam gloriam. 4. Poteſt quis econtrà eligere objectum malum propter finem bonum; ut furari ad dandam eleemoſynam. 5. Poteſt quis velle objectum indifferens propter finem bonum, vel malum, ut ire ad campum ad Deum laudandum, vel furandum. 6. Denique velle quis poteſt objectum bonum, vel malum propter finem indifferentem, ut in quadrageſimâ jejunare, vel comedere præcisè propter ſanitatem. Jam

Hic in corpore. 3. Probatur concl. 1. Authorit. S. Th. aſſerentis, *actiones humanas habere rationem bonitatis ex fine, á quo dependent propter bonitatem* abſolutam, *quæ in eis eſt;* ubi per finem intelligit finem *remotum*, & *extrinſecum*; per bonitatem verò *abſolutam*, intelligit bonitatem eſſentialem deſumptam ex objecto. Et idem alibi paſſim docet, quem ſequuntur communiter Thomiſtæ contrà Vaſquium exiſtimantem, quòd ſi actus ex objecto bonus ordinetur in finem *extrinſecum* itidem bonum, tunc non fit in actu duplex bonitas moralis, ſed unica duntaxat deſumpta â fine *extrinſeco* operantis.

ut q. 7. hic a. 3. ad 3. Et 2. 2. q. 83. a. 3. & 3. p. q. 83. a. 2. & 3. contrà gent. c. 138.

4. Probatur 2. Concl. efficaci ratione; quidquid tribuit actui morali novam conſonantiam, vel diſſonantiam ad rectam rationem, confert ei etiam novam bonitatem, vel malitiam *moralem*; ſed in caſu poſito nec ſolus finis, nec objectum ſolum, ſed utrumque pariter tribuit actui novam conſonantiam, vel diſſonantiam ad rectam rationem, Ergò. M. eſt certa, quia bonitas vel malitia conſiſtit in conſonantiâ vel diſſonantiâ actûs ad rectam rationem. m. verò probatur manifeſtè ex diffe-

rentiâ

rentiâ, quæ eſt inter elevationem feſtucæ de terrâ, factâ in Dei gloriam, & inter jejunium aſſumptum propter eundem finem: ubi prior actus uno tantùm titulo conformis eſt rectæ rationi, & continet unicam tantùm laudabilitatem; cùm ſit unius tantùm virtutis, ſcil. Religionis. Poſterior verò actus duplici ex capite conformatur dictamini rectæ rationis, continétque laudem duplicis virtutis, temperantiæ ſcil. & Religionis. Sed

5. *Objicies 1.* Authorit. Ariſtotelis docentis, adhoc, ut opus aliquod ſit virtuoſum, requiri, ut fiat à ſciente, & eligente propter ipſum; ſubſumo, ſed quando eligimus v.g. opus miſericordiæ propter charitatem, tunc non eligimus opus illud propter honeſtatem miſericordiæ, ſed propter honeſtatem charitatis; nam Iy *propter* inducit cauſam finalem. Ergò Actus hic miſericordiæ non habebit niſi unicam ſpecie bonitatem, ſcil. charitatis, quod eſt contrà concluſionem.

℞. Conceſſ. M. neg. m. Quia licet opera virtuoſa *ultimatè* fiant propter finem, in ordine ad quem imperantur, fiunt tamen *immediatè*, ac proximè etiam propter ipſa, ideſt, propter honeſtatem ipſorum, ab objectis provenientem.

6. *Obijc. 2.* Actus deſumit ſpeciem ſuam ab objecto *formali*; & non à *materiali*; ſed ſolus finis eſt objectum *formale* actuum humanorum; reliqua enim ſolummodò ſunt objecta *materialia* (ſola enim finis bonitas eſt ratio volendi media) ergò actus à ſolo fine ſumit ſuam moralitatis ſpeciem. Si hoc? Ergò nequit actus humanus habere duas ſpecie bonitates morales, ex objecto unam, & alteram ex fine.

Digitized by Google

℟. 1. Verum eſſe, ſi loquamur de ſpecie *eſſentiali*, non autem verum eſſe, ſi loquamur de ſpecie etiam *accidentali* actûs humani, utpote qui ſpeciem eſſentialem inprimis ſumit ab objecto voluntatis propriè accepto, *accidentalem* verò etiam ab objecto impropriè tali, prout ſcil. complectitur tam objectum, quàm finem, aut aliam quamcunque circûmſtantiam objecto eſſentiali annexam. Deinde

7. ℟. 2. Neg. etiam m. quia verum non eſt, quòd ſolus finis ſit objectum *formale* actûs humani; quia licet finis ſatisfaciēdi vg. pro peccatis ſit ratio volendi eleemoſynam; is tamen non eſt totalis ratio, cùm tali caſu ipſa eleemoſyna non præcisè intendatur ut medium, & purè propter honeſtatem finis ſatisfaciendi, ſed ſimul etiam ob propriam honeſtatem, adeò ut licet honeſtas ſatisfaciendi pro peccatis non moveret me ad dandam eleemoſynam, adhuc tamen propria ipſius eleemoſynæ honeſtas ad eam me permoveret. Quo caſu, ut apparet honeſtas finis nō eſt totalis ratio volendi eleemoſynam, neque eleemoſyna comparatur ad finem ſatisfaciendi pro peccatis ut *materiale*, ad *formale*; ſiquidem ipſa eleemoſyna, quæ datur ad finem ſatisfaciendi, tunc ſimul etiam *proxime* & *immediatè* appetitur propter ſe, & ratione propriæ honeſtatis moralis.

8. *Obijc. 3.* Nequit una virtus ſe extendere in objectum alterius; ergò nequit virtus actûs *imperantis* ſe extendere in objectum actûs *imperati*, aut viciſſim. Ergò nequit unus idémq; actus elici à duplici virtute actûs *imperantis*, & *imperati* ſimul. Si hoc? Ergò nec poterit unus idemque actus ab utrâque ſumere bonitatem.

℟. Con-

℟. Conceſs. antec. & primâ conſeq. negando ſecundam; quia ad hoc, ut actus unius virtutis ſimul producatur ab aliâ etiam virtute, neceſse non eſt, ut virtus actum talem producens ſe extendat ad objectum alterius virtutis, ſed ſufficit, ut in eodem actu poſſit eſſe honeſtas proprij objecti, in ordine ad quod illum queat producere. Cùm igitur duæ virtûtes concurrunt ad eundem actum, neutra ſe extendit in objectum alterius, quia neutra prôducit illum juxtà honeſtatem objecti alterius virtutis, ſed ſolùm juxtà honeſtatem objecti proprij.

Concluſio 2.

Si actus ex proprio objecto malus referatur in finem, aliàs ſecundùm ſe *bonum, nullam à fine ejusmodi ſumit moralitatem, ſed à ſolo objecto malo, manetq; vacuus ab omni bonitate morali.* Ita communis Thomiſtarum.

9. Probatur. Concl. quia finis non cauſat in actu bonitatem moralem, niſi quando habet in ſe bonitatem *objectivam*; ſed in caſu, quo quis vg. vult furari, ut det eleemoſynam, amittit penitùs ſuam bonitatem *objectivam*. Ergò in caſu poſito à fine eleemoſynæ nulla poterit cauſari bonitas in actu furti. M. patet, actus enim non eſt *moraliter* bonus, niſi dum objectum illius, tanquam terminus ipſius eſt *moraliter* bonum. m. verò probatur; quia finis, eleemoſyna ſcil. non reſpicitur ab actu illo ſecundùm ſe, ſed ut eſt cauſa furandi (actus enim ille, cùm non ſit *intentionis*, ſed *electionis*, reſpicit finem eleemoſynæ non *ſecundùm ſe*, ſed ut eſt ratio, & cauſa volendi *medium*) atqui eleemoſyna, ut eſt cauſa furandi, non eſt objectum bonum, ſed malum (vitia-

 tur

Digitized by Google

tur enim à furto, & trahitur ad ejus ſpeciem, licet *ſecundùm ſe* ſit bona) ex fine illo eleemoſynæ, ut ſic viciato, nulla derivatur in actum bonitas, nulláq; alia ſpecies communicatur, niſi ſpecies furti. Et confirmatur, quia actus *moraliter* bonus ille tantùm eſt, quem dictat recta ratio; ſed quòd quis malo & illicito medio intendat id, quod ex ſe eſt bonum, non dictat, ſed reijcit recta ratio; ergò actus ille furandi ad finem eleemoſynæ nullam habet rationem boni, ſed ſolùm mali *moralis*. Ex his

10. *Colliges* 1. Intentionem *ſecundùm ſe* bonam viciari ex electione malâ, cujus ratio eſt; quia cauſa, quæ influit in peccatum, eſt mala; ſed intentio, quæ conjungitur cum pravâ electione, influit in peccatum, vg. finis, & intentio eleemoſynæ in actum furandi. Ergò finis hic, ſeu intentio in ſimili caſu mala eſt, & proinde vitiatur.

Colliges 2. Intentionem boni finis, licet non excuſet malitiam pravæ electionis, eam tamen diminuere. Quò ad primam partem certum eſt hoc corollarium, & eſt S. D. inprimis; deinde verò etiam S. Aug. ubi ex S. Scripturâ oſtendit, mendacium nunquam poſſe cohoneſtari. Subſumo; atqui ſi intentio boni finis excuſaret malitiam pravæ electionis, tunc poſſet mendacium in aliquo caſu cohoneſtari, ut patet. Ergò. Quò ad poſteriorem verò partem licet corollarium ſit commune, eſt tamen contrà aliquos, qui docent, nec minui, nec augeri malitiam, quia illud medium retinet totam ſuam oppoſitionem cum naturâ rationali, ſive in hunc, ſive in alium finem ordinetur. Sed pro nobis

1. 2. 2. q. 110. a. 3.
lib. contra mendac. c. 1.

Digitized by Google

nobis rurſus eſt S. D. Angel. ubi hæc habet: *quantò bonum intentum eſt melius, tantò magis minuitur culpa mendacij.* Idem habet S. Aug dicens: *peior eſt, qui concupiſcendo, quàm qui miſerando furatur.* Et ratio eſt; quia objectum minùs diſſentaneum ad rectam rationem habet minorem malitiam; atqui medium malum, ut conducens ad finem bonum, eſt objectum minùs diſſentaneum, quàm medium malum *ſecundùm ſe* ſumptum, abſqúe ordine ad finem honeſtum; quia medium malum, ut conducens ad finem bonum, participat ſaltem apparentem quandam ſpeciem boni honeſti à fine honeſto. Ergò &c. Accedit; quòd honeſtas finis ſit quaſi compenſativa malitiæ repertæ in medio; ſed minor eſt malitia, quæ habet honeſtatem ſui compenſativam. Ergò &c. loc. cit. in a. 2. in corp. loc. cit. c. 18.

Concluſio. 3.

Si quis eligat objectum aliàs ex ſe *bonum, ordinando illud in finem malum, tunc talis actus habet duplicem ſpeciem in* eſſe moris; *unam boni* ſecundùm quid *ex objecto, & aliam mali ex circumſtantiâ finis mali.* Quod idem eſt, ac ſi quis dicat, electionem medij *ſecundùm ſe* boni, vitiari ex fine malo, eámque reddi *ſimpliciter* malam. Eſtq; S. Th. ubi cùm enumeraſſet quadruplicem actûs bonitatem, addit; *nihil prohibet, actioni habenti unam prædictarum bonitatum, deeſſe aliam, & ſecundùm hoc fit, actionem, quæ eſt bona* ſecundùm ſpeciem *ſuam, vel ſecundùm circumſtantias, ordinari ad finem malum; non tamen eſt actio bona* ſimpliciter, *niſi omnes bonitates concurrant.* Quod ſimiliter docet aſſerens, *contingit actum habere bonitatem ex materiâ, & tamen eum malè fieri propter indebitas circumſtantias;* ubi a. 4. in corp in ſolut. ad 3. in 2. ſentent. diſtinct. 36. q. 5. a. 5. in fine corp.

Digitized by Google

ubi per ly *bonitatem ex materiâ* intelligit bonitatem ex objecto; velut clarè colligitur ex q. 2. de malo a. 4. ad 7. ubi eandem doctrinam repetit, quem ſequuntur Conradus, Medina, Lorca, aliiq; DD.

a. 1. hujusq. 11. Probatur concl. hâc ratione; quia ut loquitur S. D. in actionibus moralibus de bono & malo ſentire debemus, ſicut de bono & malo ſentimus in rebus naturalibus; at in rebus naturalibus poteſt eadem res eſſe bona ex uno capite, & ſimul mala ex alio; bona quidem ſecundùm ſuam entitatem, & mala ſecundùm accidens; ergò proportionaliter idem concedendum erit in moralibus, puta, quòd actus *ex objecto* & *ſecundùm ſe* alioquin bonus, ex circumſtantiâ finis mali ſit *ſimpliciter* malus, ſicque electio medij *ſecundùm ſe* boni vitietur ex fine malo; in moralibus enim bonum *ſimpliciter* neceſſe eſt, ut ſit ex causâ integrâ.

Concluſio 4.

Actus ex objecto indifferens ordinatus ad finem malum, nullam aliam habet malitiam, niſi finis; ſicut econtrà, ſi actus ex objecto malus ordinetur in finem indifferentem, nullam aliam habet malitiam, niſi objecti; ſimiliter ſi actus ex objecto indifferens ordinetur in finem bonum, nullam aliam habet bonitatem, quàm finis. Ita enim communiter DD.

12. Probatur tota concluſio unicâ ratione; quia in quibus actibus non reperitur niſi unum caput, unde ſumatur eorum bonitas vel malitia, in ijs actibus non eſt niſi una tantùm bonitas vel malitia; ſed in prædictis actibus non reperitur niſi unum caput, ex quo eorum ſumatur bonitas, vel malitia. Ergò m. probò, quia in

in dictis actibus ſolùm reperitur finis operantis, & objectum; ſed hæc ſi ſint indifferentia, nequeunt actui tribuere bonitatem, vel malitiam, velut ex ſe patet. Ergò cùm ſimul cum objecto indifferenti conjungatur finis bonus, vel malus, aut econtrà cum fine indifferenti jungatur objectum bonum, vel malum, unum duntaxat caput erit, ex quo deſumi valeat bonitas, vel malitia. Si hoc? Ergò &c.

§. 3.

Utrum, & quænam circumſtantia mutet ſpeciem bonitatis, vel malitiæ *moralis*?

1. Suppono, omnem circumſtantiam adhoc, ut actui humano influat bonitatem aliquam, vel malitiam *moralem*, debere aliquo modo eſſe præcognitam; quòd ſi autem nulla ipſius cognitio præcedat, nequit eſſe voluntaria, ac conſequenter nec bona, nec mala. Quo præſuppoſito ſit

Concluſio 1.

Aliqua circumſtantia conferunt actui morali *novam ſpeciem* moralem bonitatis, vel malitiæ; non tamen omnes. Ita D. Th. hìc, quem ſequitur comunis DD.

Probatur 1. p. concl. tanquam omninò certa & (ſaltē quò ad malitiam) expreſſa in Concl. Trid, ubi dicitur, dari circumſtantias mutantes ſpeciem peccatorum. *ſeſs. 14. c. 5. de confeſſione c. 7.*

Item ibidem definitur, tales circumſtantias neceſſariò eſſe confitendas.

2. Probatur hæc 1. p. ſecundò hâc ratione; quotieſcunqúe circumſtantia habet peculiarem conformitatem, vel difformitatem cum dictamine rationis, toties actui

Digitized by Google

actui humano confert novam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis; atqui aliquæ circumſtantiæ habent peculiarem conformitatem vel difformitatem cum dictamine rectæ rationis, ut patet in furto ſacrilego, in fornicatione cum maritatâ, vel conſanguineâ &c. Ergò.

3. *Dices*; In naturalibus accidentia nequeunt dare ſpeciem rebus; ergò nec in moralibus; atqui circumſtantiæ in moralibus ſunt eorum accidentia; ergò circumſtantiæ in moralibus nequeunt conferre novam ſpeciem moralem.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt; quia in proceſſu naturæ, cùm hæc ſit determinata ad unum, non eſt procedere in infinitum, ſed neceſſe eſt, pervenire ad aliquam ultimam formam, ex quâ ſumatur differentia ſpecifica, poſt quam alia differentia ſpecifica eſſe non poſſit. Et hinc eſt, quòd in naturalibus id, quod eſt accidens alicujus rei, nequeat accipi ut differentia *eſſentialis* conſtituens ſpeciem; at in moralibus contrarium accidit; quia enim proceſſus rationis non eſt determinatus ad aliquod unum; ſic dato quolibet actu morali, conſtituto in quâvis ſpecie, poteſt denuò conſtitui in aliâ ſpecie per hoc, quòd intellectus conſideret aliquam circumſtantiam, velut conditionem principalem objecti illius actûs; v.g. actus auferendi aliena, eſt actus in ſpecie furti, habens circumſtantias ſuas *loci, temporis* &c. jam ſi intellectus accipiat unam harum circumſtantiarum, v.g. circumſtantiam loci, ut principalem conditionem rei furto ablatæ, puta, quia quis eam furatur in loco ſacro, tunc ratione hujus circumſtantiæ â ratione conſideratæ,

ratæ, ut principalis conditio objecti, conſtituitur furtũ in ſpecie ſacrilegij, ideóq; locus, qui priùs conſiderabatur ut circumſtantia, nunc conſideratur ut principalis conditio objecti, rationi repugnans, eo quòd ratio ordinet, non eſſe injuriam inferendam loco ſacro.

4. Et per hoc ſimul etiam negatur ſubſumptum argumenti; eo quòd circumſtantiæ ſpeciem mutantes reſpectu talis actûs non maneant circumſtantiæ *formaliter*, atque adeò nec accidentia, ſed tranſeant in rationem *objecti*; eo quòd actus moralis non deſumat ſpeciem ab alio, quàm ab objecto; ut ergò circũſtantia actui det ſpeciem, neceſſe eſt, eam tranſire de circumſtantiâ in rationem objecti. Dixi autem; in tali caſu *circumſtantiam non manere* formaliter *circumſtantiã reſpectu talis actûs, ut is eſt in tali ſpecie conſtitutus &c.* quia ſi circũſtantia conſtituens ſpeciem præſupponat in actu aliam ſpeciem moris, tunc remanet circumſtantia per comparationem ad illam ſpeciem, quam præſupponit; vg. dat quis eleemoſynam ad ſatisfaciendum pro peccatis, tali caſu ratio pœnitentiæ & habet rationem circumſtantiæ, & rationem objecti; *circumſtantia* quidem, quatenus actus eſt in ſpecie eleemoſynæ, *objecti* verò, quatenus is eſt in ſpecie pœnitentiæ. Similiter cùm quis occidit, ut furetur, ratio furti & habet rationem circumſtantiæ, & objecti; *circumſtantia* in quantùm eſt in ſpecie homicidij, *objecti* autem, ut actus eſt in ſpecie furti. Jam

5. Probatur 2.ª p. concl. quia non omnis circumſtantia novam & ſpecialem adfert conformitatem, vel difformitatem cum dictamine rationis, quemadmodum

 patet

Digitized by Google

patet in circumſtantijs *multùm*, vel *parùm*; *magis*, vel *minùs*; *intenſum*, vel *remiſſum* &c. Ergò etiam non omnis circumſtantia tribuit actui novam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ *moralis*. Et hoc eſt, quod efficaciter quoque probat primam concl. partem.

Concluſio 2.

Illa circumſtantiæ, quæ per ſe conſiderata, & ab omni alio, ſaltem per rationem ſejuncta peculiarem conformitatem, vel difformitatem habent cum rectâ ratione, ita ſcil. ut ratio in illis ſeorſim ab aliis, inveniat aliquid probandum, aut damnandum, dant novam actui bonitatem, aut malitiam. Cujus ratio eſt; quia omnis ſpecies bonitatis, aut malitiæ moralis deſumitur per conformitatem, aut deformitatem ad rationem; quòd ſi ergò nova erit conformitas, vel viciſſim ad rectam rationem, nova quoq; erit ſpecies moralis.

Caput IX. & Ultimum

De Bonitate, & Malitiâ actûs interioris voluntatis, & ſimul actuum exteriorum.

§. 1.

De Bonitate, & Malitiâ actûs interioris voluntatis.

Concluſio 1.

Bonitas, & *malitia* ſpecifica, & eſſentialis actûs voluntatis *dependet ex objecto, eóq; ſolo.* Ita S. Th. hîc & facilè.

1. Probatur 1 p. Unde actus *moralis* ſumit ſuam ſpeciem, inde habet ſuam bonitatem vel malitiā, vel malitiam

litiam *eſſentialem* & *ſpecificam*; atqui actus moralis voluntatis interior propriè ſumit ſuam ſpeciem per ordinem ad objectum bonum vel malum moraliter; ergò bonitas & malitia *ſpecifica*, atq; *eſſentialis* actus voluntatis *interioris* deſumitur, propriéque attenditur penes objectum *moraliter* bonum, aut malum.

2. Probatur 2. p. concl. quia bonitas & malitia actûs voluntatis debet attendi ſecundùm aliquod unum, quod per ſe ſit cauſa bonitatis & malitiæ, ſed hoc eſt objectum, ergò ex ſolo objecto dependet bonitas & malitia *eſſentialis*, primaria & invariabilis actûs voluntatis. M. probatur; quia ea, quæ in quolibet genere ſunt prima, ſunt aliquo modo ſimplicia, & conſiſtunt in uno, velut patet in primis; ſeu cæleſtibus corporibus, quæ ſunt ſimplicia, ſed interior actus voluntatis eſt principium bonitatis & malitiæ reliquorum actuum humanorum. Ergò illius bonitas & malitia deſumenda eſt ex aliquo uno, quod eſt objectum ſolum. m. probatur; quia actus aliarum potentiarum eatenus dicuntur boni vel mali in genere *moris*, quatenus participant bonitatem, vel malitiam voluntatis propter participationem voluntarij. Ergò,&c.

Neque obſtat, quòd juxtà dicta circumſtantiæ quoque aliquando dent actui bonitatem, vel malitiá *eſſentialem*; quia hoc non faciunt, ut circumſtantiæ *formaliter*, ſed quatenus tranſeunt in conditionem objecti.

Concluſio 2.

Bonitas voluntatis humanæ dependet à ratione eo modo, quo ab objecto. Ita cum S. D. conformiter dictis.

3. Explico. Recta regula rationis duplex eſt, *ſpeculativa*, ſcil. & *practica*; ſpeculativa reſpicit actum voluntatis ſecundùm rationem *communem*, ut vg. *bonum eſt faciendum, malum fugiendum*. Practica verò ordinatur ad actum voluntatis ſecundùm rationem *particularem*, quatenus ſcil. hic & nunc cum circumſtantijs elicitur à voluntate. Bonitas itáq; voluntatis dependet ab utrâque ratione ſecundùm diverſam formalitatem, ſed quatenus una alteri ſubordinatur. Jam

4. Probatur concl. Voluntatis bonitas propriè dependet à ſuo objecto, ut dictum eſt; ergò etiam à ratione. Conſeq. prob. objectum voluntatis eſt bonum propoſitum per rationem, ut proportionatum voluntati, cùm ſit bonum univerſale, quod apprehenditur per rationem, in quo differt ab objecto appetitûs ſenſitivi, quod eſt bonum *apprehenſum* per imaginationem. Ergò cùm bonitas voluntatis dependeat ab objecto, etiam dependet à ratione.

Concluſio 3.

Bonitas voluntatis humanæ multò magis dependet à lege æternâ, quàm à ratione humanâ.

5. Probatur. Quia in omnibus cauſis ordinatis effectus plùs dependet à causâ primâ, quàm à ſecundâ; quia cauſa ſecunda non agit niſi in virtute primæ; ſed ratio humana, tanquam causa ſecunda habet à lege æternâ, quæ eſt ratio divina, tanquam â causâ primâ, quòd ſit regula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas menſuretur; ergò bonitas voluntatis humanæ multò magis dependet à lege æternâ, quàm â ratione

huma-

humanâ. m. prob. ex illo: *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* *Pſal. 4.* quaſi diceret lumen rationis, quod in nobis eſt, catenus poteſt oſtendere nobis bona, quatenus eſt lumen vultûs tui Domine, ſcil. à vultu tuo derivatum. Ergò ratio humana habet â lege æternâ, quòd ſit regula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas menſuretur. Unde ex hoc bene infert S. D. quòd, ubi deficit ratio humana, oporteat concurrere ad rationem æternam. Ex dictis.

6. *Colliges*; quòd licet regula *remota* actûs interni voluntatis ſit lex æterna, ſive divina, regula tamen *proxima* ſit lex humana, ſeu ratio, velut benè probat ratio S. D. nam cùm voluntas nequeat attingere id, quod eſt verè bonum juxtà legem Dei, niſi id proponatur per rationem, rectè ſequitur, quòd regula voluntatis *immediata*, ſeu *proxima* debeat eſſe ipſa ratio, quæ diſcernere valet inter bonum & malum.

Concluſio 4.

Sicut voluntas concordans cum ratione culpabiliter & vincibiliter *errante mala eſt; ſic bona eſt, ſi concordat cum ratione* inculpabiliter, invincibiliterq; *errante.* Ita rurſus S. D. cum communi DD.

7. Probatur 1. p. quia ignorantia, quæ eſt *directè*, vel *indirectè* voluntaria, non excuſat à peccato actum ex eâ procedentem; cùm non faciat, ut actus ille ſit involuntarius, ſed quando ratio *culpabiliter* errat, tunc ignorantia eſt ſaltem *indirectè* voluntaria; Ergò

Probatur 2. p. quia ignorantia & error invincibilis juxtà dicta, tollit voluntarium reſpectu illius conditi-

onis, vel circumſtantiæ, quæ ignoratur. Ergò impedit, ne actus ex tali errore commiſſus contrahat malitiam ex objecto ſecundùm eam conditionem, vel circumſtantiam, ſecundùm quam eſt ignoratum.

§. 2. & Ultimus.

De bonitate, & malitiâ actuum exteriorum.

1. Senſus quæſtionis eſt, utrum bonitas, & malitia *per ſe*, ac *primariò* competat actui interiori, atque ex illo deriuetur in exteriorem, vel econtrà? procedit autem quæſtio de prioritate *naturæ*, & *cauſalitatis*; porrò nomine actus *exterioris* quemadmodum ſuprà, ita hîc quoq; S. D. intelligit actũ cujuscunq. alterius potentiæ diſtinctæ â voluntate, nomine verò *interioris* quemcunque alium à voluntate elicitum. Et tandem actus *exterior* bonus aut malus dici poteſt dupliciter; ſemel *ſecundùm genus ſuum*, vel juxtà objectum, & circumſtantias in ipſo conſideratas; quemadmodum dare eleemoſynam ſervatis debitis circumſtantijs, dicitur eſſe bonum, deinde ex ordine *ad finem*, qui eſt objectum interioris agentis, ſicut dare eleemoſynam ob vanam gloriam, dicitur eſſe malum. Iſtis præmiſſis, jam ſit

Concluſio 1.

Ratio boni, vel mali, quam habet actus externus *in ordine* ad finem, *per prius invenitur in actu voluntatis, & ex eo derivatur ad actum* exteriorem. Ita S. D. hîc.

2. Explico Caſu quo quis eligit ex fine v.g. pœnitentiæ dare eleemoſynam, & illam dat, bonitas finis pœnitentiæ primò, *per ſe*, & *formaliter* competit intentioni pœnitentiæ, indeq; derivatur in ipſum actum *dandi exteriorem*. Et

Pro-

Probatur concluſio. Finis eſt proprium objectum voluntatis; unde ex eo, quòd voluntas intendat bonum vel malum finem, actus *exterior* dicitur bonus vel malus, velut patet in exemplo de actu eleemoſynæ facto propter pœnitentiam, yel vanam gloriam; Ergò bonitas vel malitia, quæ eſt in actu per ordinem ad finem, *primò* ac *per ſe* competit actui interiori *intentionis*, ſeu voluntatis, & inde derivatur ad actus *imperatos* aliarum potentiarum *exteriores*.

Concluſio 2.

Bonitas vel malitia, quam habet actus externus *ex objecto & circumſtantijs, ſi conſideretur, quatenus eſt* in ordinatione, *& apprehenſione rationis, prior eſt, quàm bonitas, vel malitia actûs voluntatis; quod ſi verò conſideretur, ſecundùm quod eſt* in executione *operis*, tunc ſequitur bonitatem voluntatis. Ita rursùs S. D. hîc

3. Probatur 1. p. concl. quia bonitas, vel malitia, quam habet actus exterior *ſecundùm ſe* propter debitã materiam, & circumſtantias, non derivatur à voluntate, ſed magis à ratione; ergò bonitas vel malitia actûs *exterioris* hoc modo conſiderata per prius eſt in actu *exteriori*, quàm in *interiori* voluntatis. 2. p. concl. de ſe notior eſt, quàm ut indigeat probatione; quia utiq; *executio* operis, quæ eſt actûs *externi*, poſterior eſt *intentione*, quæ eſt actûs interni voluntatis; ergò & bonitas, vel malitia illa, quæ reperitur in *executione* operis.

Concluſio 3.

Tota illa bonitas, quam habet actus exterior *à fine, eſt à voluntate; illa verò, quam habet ab objecto, & circumſtantijs, non eſt à voluntate, ſed potiùs econtrà.*

4. Con-

4. Concluſio hæc patet ex immediatè dictis; & quidem quoad 1. p. quia cùm finis propriè ſit objectũ voluntatis, idcircò tota bonitas illa, vel malitia conveniens actui *externo* ex ordine ad finem, dependet à voluntate. Si hoc? Ergò &c. Quò ad 2. verò p. quia bonitas actûs exterioris quò ad objectum, & circumſtantias dependet à ratione; & ex hoc dependet bonitas voluntatis, ſecundùm quod in ipſam fertur, ut in materiam, vel objectum; Bonitas ergò illa vel malitia, quam habet actus exterior ab objecto, & circumſtantijs potiùs eſt à ratione, quàm à voluntate.

Concluſio 4.

Tota bonitas, quæ eſt in actu exteriori, *non eſt à voluntate; malitia verò aliquando tota eſt à voluntate, etſi non ſemper.* Ita quò ad hanc, & priorem concl. iterum S. D.

5. Prob. 1 p. quia ad hoc, ut aliquid ſit *ſimpliciter* bonum, non ſufficit unum ſingulare bonum, ſed requitur integritas bonitatis. Ergò tota bonitas, quæ eſt in actu *exteriori*, nòn eſt à voluntate, ſeu intentione finis, ſed inſuper requiritur debitum objectum, & debitæ circumſtantiæ, ex quibus omnibus *ſimul* conſtituitur una totalis & adæquata bonitas actûs *exterioris*.

Probat. 2. p. Quia cùm malum oriatur ex quovis defectu, ſi in actu *exteriori* ſolùm dèſit debitus finis, tunc actus ille eſt *ſimpliciter* malus; ergò aliquando tota malitia actûs *exterioris* eſt à voluntate.

Probatur etiam 3. p. Quia malitia *exterioris* actûs aliquando cauſatur ex defectu debiti objecti; & debitæ circumſtantiæ; ergò non ſemper tota malitia actûs *exterioris* oritur ex intentione, & voluntate debiti finis.

Con-

Concluſio 5.

Quando actus exterior *eſt bonus vel malus ſolùm ex ordine ad finem, tunc eſt omninò eadem bonitas vel malitia actûs* interioris *voluntatis*, qui per ſe reſpicit finem, *& actûs* exterioris qui reſpicit finem mediante actu voluntatis.

6. Explico. Actus *interior*, & *exterior* ſemel poſſunt conſiderari, ut ſunt in genere *entis*; deinde ut ſunt in genere *moris*. In genere *entis* ſunt duo actus, unus autem in genere *moris*. Porrò ea, quæ ſunt unum *ſubjecto*, poſſunt quandoque habere plures rationes bonitatis, quandóque verò tantùm unam; quod præſertim in his accidit, quæ ordinantur ad aliud; quemadmodum potio amara ex hoc ſolùmmodo bona eſt, quia eſt ſanativa; unde non eſt alia bonitas potionis & ſanitatis, ſed una & eàdem; quandoq; verò id, quod ad aliud ordinatur, habet in ſe aliquam rationem boni præter illam bonitatem, quam habet ex ordine ad aliud; ſicut medicina ſanorosa habet rationem boni *delectabilis* præter hoc, quod ſit ſanativa. Jam

Probatur Concluſio ex dictis; quia bonitas, quæ eſt ex fine, *primò* convenit actui *interiori* voluntatis, & per ipſum diffunditur in actum *exteriorem*. Ergò bonitas quæ eſt ex fine, eadem eſt, quæ convenit actui *interiori*, & *exteriori*.

Concluſio 6.

Quando actus exterior *habet bonitatem, vel malitiam ſecundùm materiam & circumſtantias, tunc bonitas actûs* exterioris *eſt una, & bonitas voluntatis, quæ eſt ex fine, eſt alia; ita tamen, ut bonitas finis ex voluntate redundet*

Digitized by Google

in actum exteriorem, *& bonitas materiæ, & circumſtantiarum redundet in actum voluntatis.*

7. Probatur concl. etiam ex dictis. Quia bonitas vel malitia, quæ evenit actui *exteriori* ex materia, ſeu objecto, & circumſtantijs, conſtituit eum in ſpecie vg. furti, vel homicidij; ea verò, quæ convenit actui *interiori* ex fine, quem voluntas reſpicit, eſt alterius ſpeciei; vg. mæchiæ, ſi quis velit furari ad mæchandum; vel ambitionis, ſi velit occidere, ut conſequi poſſit alterius dignitatem vel officium. Ergò &c.

Concluſio 7. & ultima.

Actus* exterior *per ſe non auget bonitatem, vel malitiã actûs* interioris *efficacis. Ita S. D. in præſenti, quem ſequuntur cõmuniter AA. tam antiqui, quàm moderni, contrà Scotum, & ejus Expoſitores, dicentes, *internũ* nunquã eſſe tam bonũ, vel malum, quàm dum conjunctus eſt actui *externo*. Sed ad nodum difficultatis hujus clariùs diſſolvendum

8. *Notandum 1.* Controverſiam hanc ſolùm eſſe de voluntate efficaci; voluntas autem *efficax* eſt, quæ vel opus re ipsâ exequitur, vel certè exequeretur, niſi impedimentum aliquod extrinſecum obſtaret, aut occaſio exequendi deficeret; nam ſi de voluntate *inefficaci*, ſeu quæ oblatâ opportunitate opus exequendi, ab ejus executione abſtinet, ſermo ſit, dubium non eſt, quin actus *exterior* bonitatem vel malitiam interioris augeat, quatenus perfectior eſt voluntas, quæ oblatâ occaſione progreditur ad opus, quia *efficax* eſt, quàm quæ ab opere abſtinet, quæ eſt inefficax. Et hoc eſt, quod colligitur ex S. D hoc artic.

9. *Notandum 2.* Voluntatem *efficacem* hoc loco ita comparari cum opere externo, ut nullam ab eo mutationem

onem recipiat; nam ſi contingat, ut actio interna occaſione operis externa occaſione operis externi magis intendatur, aut diutiùs duret, quemadmodum fit, quando actus *exterior* voluptatem & delectationem adfert, tunc certum eſt, etiam augeri bonitatem vel malitiam actûs *interioru*, quamvis nec hoc augmentũ actus *exterior per ſe* præſtet *interiori*, ſed tantùm *per accidens*, quatenus ſcil. occaſione *operis externi* affectus voluntatis intenſior fit, & diuturnior, & exinde etiam melior, vel pejor. Difficultas ergò eſt, an voluntas *efficax* æqualiter intenſa & diuturna majorem bonitatem, vel malitiam ex eo præcisè habeat, quòd opere exteriori compleatur, quàm habet, ſi ob ſolùm opportunitatis defectum compleri nequit? quâ in re concluſio S. Th. eſt negativa, &

10. Probatur 1. ex S. Script. & primò ex illo, ubi habetur, quòd voluntas efficax Abrahæ in filij immolatione tantæ fuerit bonitatis, quantæ fuiſſet, ſi re ipsâ filium ſuum Iſaac immolâſſet; quod conſtat ex verbis illis; *quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Et ex illo: *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo*, ubi, ut patet, tota bonitas & malitia actûs *exterioru* tribuitur actui *interno*. *Gen. 22.* *Matth. 5.*

11. Probatur 2. Authorit. S. Th. ejusque ratione in hoc artic. quæ ſic explicatur; nam ſi voluntas eſt efficax & perfecta, debet eſſe talis, ut datâ opportunitate & poſſibilitate operaretur, aliàs enim perfecta, & efficax non erit; quòd ſi autem perfectâ exiſtente voluntate & efficaci, non operetur ex defectu opportunitatis, &

Digitized by Google

poſſibilitatis, hoc eſt ei involuntarium, & pœnale, carere ſcil. tali opportunitate & poſſibilitate; ſed ratio involuntarij nihil tollit de merito, vel de bono aut malo; ergò nihil diminuit de bono aut malo morali in actu *interiori*, ex eo, quòd actus interior non fiat ablatâ opportunitate, & poſſibilitate operandi; ergò neque augebitur ex eo, quòd fiat datâ opportunitate. Ultima conſequentia patet; quia *perfecta* & *efficax* voluntas hoc totum includit, ut ſcil. datâ opportunitate operetur, ita ut ſi illâ habitâ non operetur, vel mutetur voluntas, voluntas *efficax*, & *perfecta* non fuerit.

12. Confirmatur 1. Nam ſi actus *exterior*, ut eſt pura executio actûs interioris *efficacis*, & perfecti adderet malitiam vel bonitatem ſuper illum, tunc ſequeretur, quòd quocunque modo impedito actu *externo*, etiam per cauſam extrinſecam, & violentam. deperdi nobis poſſet aliquod meritum, vel malitiam non imputari; ſed conſequens non eſt dicendũ. Ergò &c. Seqel probatur; quia juxtà Advers. actus ille externus, ut eſt mera executio actûs *interni*, habet bonitatem & meritum; ergò illò ſublato non remanebit illud meritum, & illa bonitas talis actûs *externi*, quatenus eſt executio actûs *interni*. Sed executio iſta externa, ſeu actus ille *externus* poteſt impediri ex aliquâ causâ extrinſecâ & violentâ; ut ſi violenti dare eleemoſynam fur de manu rapiat pecuniam; vel volenti ire ad Eccleſiam, alter manus injiciat, & violenter detineat &c. In quibus caſibus ceſſabit meritum correſpondens illi actui *exteriori*, ut exterior eſt, ſolùm ob cauſam extrinſecam & violentam, & ſic bonum virtutis erit ſubjectum for-

tunæ

Digitized by Google

tunæ & caſui, nobiſq; invitis tolli poſſent merita; quæ omnia ſunt abſurda; Ergò & ex quo hæc ſequuntur.

13. Confirmatur 2 quia aliàs pauperibus ratione paupertatis deerit maximum meritum, & bonum virtutis *Magnificentiæ*; quia pauperes nequeant magnificos ſumptus exteriores facere, prout oporteret; nec multas largiti eleemoſynas; ſicq; in caſu fortuito, unde paupertas ſupervenit, deſtruetur tota bonitas *moralis* correſpondens actui *externo*, ut externo quantumcunq; maneat perfecta voluntas exequendi illud, ſi occaſio adeſſet. Et idem eſt de peccato; ut ſi volentem emittere telum ad occidendum, alter ui impediat, & detineat; aut eundem ad adulterium alter impediat violenter, ne poſſit ire. Atque hæc dicta, & conſcripta ſufficiant de Primò, Medio, & Ultimo hominis, ad laudem & gloriam illius, qui actuum noſtrorum principium ſemper eſſe debet, & finis.

Digitized by Google

INDEX
Capitum, & rerum præcipuarum, in Tripartitâ hac clavi contentarum.

In Caput I.
De fine hominis in communi.
§. 1.

1. Finis, quatenus unum eſt ex 4. generibus cauſarũ, ſignificat hic velut ſcopum quendam, in quem operans ſuas actiones dirigit. p. 4. n. 1.

2. Variæ finis diviſiones ibid. Not. 2.

3. Finis ſtrictè ſumptus, quatenus diſtinquitur contrà media, & eſt objectum intentionis, eſt objectum adæquatum voluntatis. p. 7. n. 3.

4. Agere propter finem, contingit tripliciter. p. 8. Not. 4.

5. Alia eſt actio hominis, & alia humana. p. 9. n. 4.

6. Actio humana rursùs alia eſt *quo ad ſubſtantiam* talis, & alia *quo ad modum* talis. p. 10. circà medium.

7. Quænam actio dicatur deliberata p. 11. antè n. 5.

8. Homo Viator ita propriè, perfectéque agit propter finem, ut omnes actiones humanæ formaliter ſint propter finem p. 13. conclus. 1. & 2.

9. Licet omnia agant propter finem, ſoli tamen naturæ intellectuali proprium eſt, ita agere, ut quaſi ſemetipſam agat, & ducat in finem. p. 16. c. 3.

10. Effectus etiam caſuales, ac fortuiti fiunt ob aliquem finem. p. 19. poſt medium Monſtra non fiunt, niſi ex intentione cauſæ univerſalis, ob altiorem ejus finem. p. 20. antè n. 9.

§. 2.

1. Homo moraliter, liberéq; operans, ſemper, ac neceſſariò operis ſui finem præſtituit. p. 21. n. 1.

2. Nequit voluntas creata actualiter copulativè, aut disjunctivè appetere plures fines, ſimpliciter ultimos, totales & adæquatos; neq; unum *actualiter*, & alterum *virtualiter*. p. 24. c. 1. & 2.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

1. Peccans mortaliter finem ultimum abſolutè & poſitivè conſtituit in creatura. p. 29. d. 1. Reſpons. 1.
2. Propoſitio hæc *peccans mortaliter non conſtituit finem ſuum ult. in creaturâ*: abſolutè prolata, eſt temeraria, ſingularis p. 37.
3. Propoſitio hæc peccans mortaliter non eo ipſo avertitur à Deo, ſed adhuc diligit Deum ſuper omnia, eſt erronea. ibidem Not. 2.
4. Finis *Cui* ultimatè intentus in actu peccati mort. eſt perſona illa, cui peccans appetit objectum illud, propter quod peccat. p. 38. Reſp. 2.
5. Finis *cujus gratiâ*, reſpectu mortaliter peccantis eſt ordinariè comodum ipſius proprium. p. 40. Reſp. 4.
6. Non eſt inconveniens, unum eundémque humanum actum habere duos fines ult. unum *habitualiter*, ſed *efficaciter*, alterum verò actualiter, ſed inefficaciter, & ſecundùm quid. p. 41. in Not. Ejuſmodi duos fines habet peccatum veniale. p. 42. in Reſp.

§. 4.

1. Neceſſe eſt, hominem omnia, quæ appetit, appetere propter finem ult. *formalem*. p. 46. c. 1.
2. Omnes hominis actiones deliberatè fiunt propter finem ult. *formalem*. p. 48. c. 2.
3. Ad hoc, ut homo omnia velit propter ult. finem ſufficit ea omnia, quæ appetit, ſuâ naturâ ordinari in finem illum. p. 51. in Reſp. ad diffic. 1.
4. Tenetur homo neceſſitate *morali*, ſeu *præcepti* in omni actione ſuâ liberá ſibi præſtituere finem ult. Deum. p. 54. diffic. 2. n. 8.
5. Homo infidelis, ex naturali rationis dictamine faciens eleemoſynam, nullâ aliá accedente circumſtantiâ vitiante, facit actum moraliter bonum, ſicque in Deum tendit *implicitè*. p. 55. circà medium.
6. Entitas actûs peccaminoſi (etiamſi ut eſt ab homine) & propter Deum ut ult. finem. ibidem in Reſpon.

In Caput II.

In quonam conſiſtat beatitudo hominis objectiva.

§. 1.

1. Beatitudo hominis non conſiſtit in bonis fortunæ. p. 58. c. 1. n. 1.
2. Nec in bonis corporis internis. p. 63. c. 2. n. 5.
3. Nec in bonis animæ internis. p. 67. c. 3. n. 7.

Nec

Digitized by Google

Nec in ullo aliquo bono creato. p. 68. ab initio.

§. 2.

1. Beatitudo alia eſt *naturalis*, alia *ſupernaturalis*; item alia *perfecta*, & alia *imperfecta*. p. 69. ſupp. 2. & 3.
2. Deus eſt hominis beatitudo objectiva. p. 70. c. 1.
3. Datur reſpectu hominis Viatoris beatitudo aliqua naturalis eique debita; & eſt Deus ipſe, naturali cõtemplatione aſſequibilis. p. 74. c. 3. n. 4.
4. Eſſentialis beatitudo noſtra objectiva, ſive naturalis ſive ſupernaturalis, tam in viâ, quàm in patriâ, eſt ſolus Deus ſine conſortio cujusdam Creaturæ. p. 76. c. 4. n. 6.
5. Deus eſt objectum noſtræ beatitudinis juxtà veram & realem exiſtentiam. p. 77. n. 7.
6. Implicat, Deum clarè videri, quin ſimul videantur & perſonæ omnes in Trinitate, & omnia, quæ *formaliter* ſunt in Deo. p. 80. Reſpons. 2.

§. 3.

1. Beatitudo *formalis* eſt operatio creata, immanens ab ipſo Beatorum intellectu elicita. p. 81. c. 1.
2. Conſiſtit in ſolo actu intellectûs, qui eſt clara Dei viſio. p. 84. c. 2. n. 11.
3. Connotat nihilominus actus amoris, gaudij, delectationis &c. p. 88. c. 3. n. 13.

§. 4.

1. Non eſt in homine appetitus propriè *naturalis*, ſed ſolùm potentia *obedientialis* ad beatitudinem conſummatam. p. 89. c. 1. n. 1.
2. Hoc non obſtante homo habens cognitionem de Beatitudine, rectè dicitur eam appetere actu naturali *elicito*. p. 90. c. 2.
3. Poſſibile eſt hominem perfectam beatitudinem in clarâ Dei viſione poſitam conſequi. p. 91, c. 3.
4. Nequit tamen homo eam conſequi per vires naturæ. p. 92. c. 4.
5. Nequit homo in hac vitâ (extrà potentiam Dei abſolutam) obtinere, claram Dei viſionem. ibidem c. 5.
6. De fide eſt, non poſſe beatitudinem perfectam, ſemel obtentam, amplius amitti. p. 94 c. 7.
7. Non eſt perpetuitas ita de ratione beatitudinis perfectæ, quin ea ex principijs intrinſecis ſit ſolubilis. p. 96. n. 6.
8. Eſt de eſſentiâ viſionis beatificæ, ut ſit reflexiva ſuprà ſe ipſam, vi cujus repræſentet, ſe duraturam ſine fine. p. 97. n. 7.

Nequit homini conferri beatitudo hæc aliunde, quàm à ſolo Deo, ut

ut cauſâ *principali*. p. 98. c. ult. n. 8.

In CAPUT III.

De actibus humanis in genere.

§. 1.

1. VAriæ voluntarij diviſiones, unacum ejus definitione. p. 99. 100. 101. c. 1. 2, 3, 4. 5. 6, 7. 8. 9. & 10.

§. 2.

De omiſsione liberâ.

1. Poteſt actus voluntatis conjungi cum omiſſione vel *per ſe*, vel *per accidens*. p. 111. n. 1.
2. Adhoc, ut aliquid ſit vel *directè*, vel *indirectè* voluntarium, ſufficit *virtualis*, & interpretativa advertentia. p. 112. n. 2.
3. Nequit voluntarium *directum* eſſe abſq; omni actu. p. 114. c. 1.
4. Ad quodcunque voluntarium prærequirituur actus aliquis rationis. ibidem c. 2.
5. Licet quidem dari poſsit voluntarium *indirectum* abſq; omni actu *directè* tendente in omiſſionem; nequit tamen id dari abſque eo, quin actus aliquis voluntatis omiſſioni *per accidens* ſaltem conjungatur, qui ad minimùm ſit occaſio omittendi. p. 115. c. 3. & 4. & ſeqq.
6. Ut omiſſio aliqua non phyſicè ſolùm, ſed & *moraliter* ſit voluntaria, requiritur, ſed ſufficit, ut quis ſcienter omittat opus, quod poterat facere, abſque præcepto illud faciendi. p. 123. Reſp. 1.
7. Sed ut omiſſio ejusmodi ſimul etiam ſit culpabilis, requiritur, ut potuerit, & debuerit agere, neq; tamen egerit. p. 125. Reſpon. 2. n. 14.
8. Ut effectus ad omiſſionem ſecutus ſit *indirectè* voluntarius, requiritur obligatio agendi, vel potiùs impediendi talem effectum; deinde quòd potuerit impedire, nec tamen defacto eum impediverit. p. 131. Reſp. ad 1. ad finem.
9. Effectus ad cauſam poſitivam ſecutus, independenter ab omni debito, voluntàrius eſt ponenti, poſito, quod is à cauſam ponente ſit volitus & intentus, vel neceſſàriò conjungatur cum causâ volitâ. p. 133. Reſpond. 2, antè medium.

§. 3.

De involuntario.

1. Quatuor ſunt, quæ cauſare poſſunt involuntarium; vis, metus, concupiſcentia, & ignorantia. p. 134. n. 1.
2. Quid ſit neceſſarium, violentum, invitum, involuntarium, & impedi-

pedimentum? ibidem. n. 2. 3. & 4.
3. Nequit voluntas pati violentiam quoad actus ſuos *elicitos imperatos*. p. 139. in Concl n. 5. 6. 7. & 8.
4. Actus potentiæ *nutritiuæ*, *augmentativæ*, & ſimilium, quæ immediatè voluntati non ſunt ſubditæ, nequeunt dici à voluntate imperati; ſicq; voluntas non rectè dicitur, in eis *formaliter* pati violentiam. p. 144, Concl. 1.

§. 4.

De hoſtibus voluntarii.

1. Vis, ſeu violentia cauſat *ſimpliciter* involuntarium. p. 148. d. 1, in ℞. n. 1.
2. Adhoc, ut vis extrinſecùs illata cauſet in patiente violentiam, minimè ſufficit, quòd voluntas merè *neutraliter* ſe habeat. p. 105. Not. 2.
3. Non reputatur inconveniens, unum idémq; reſpectu, eſse voluntarium, & involuntarium. p. 151. n. 4. Not. 3.
4. Quæ fiunt metûs cauſâ, ſimpliciter ſunt voluntaria, pag. 153. in Reſpons. n. 5.
5. Quid, & quotuplex ſit metus. ibid. Notab. 1. & 2.
6. Actioni, aut paſſioni metus conjungi poseſt cauſaliter, & concomitanter. p. 154. notab. 4.
7. In eo, qui operatur ex metu, tres voluntatis actus concurrunt. p. 156. coroll. 2.
8. Quâ ratione intelligendum ſit, quando dicimus, metum cauſare actum mixtum. 157. notab. 6.
9. Voluntarium, & involuntarium in propoſito non cadunt ſuper actus: *volo*; & *nollem*, ſed ſuprà ipſum opus externum ibid. notab.
10. Operari ex metu non ſemper habet ad mixtam rationem involuntarij, ſed tunc tantùm, quando actus ex metu factus eſt aliquo modo contrà inclinationem voluntatis. p. 163. n. 15.
11. Contractus quicunque, promiſſiones, vota &c. ex metu etiam gravi, ſtando juri naturæ, ſunt validi. p. 164. reſpons. 1.
12. Jure poſitivo irritantur plura, quæ fiunt ex metu. p. 165. n. 18.
13. Caſu quo lex obligat *formaliter*, non licet homini ex quocunque metu agere contrà eam circà peccatum. p. 167. n. 19.
14. Præceptum naturale negativum nullo caſu ceſſat obligare, ut proinde nullus omninò metus ab eo excuſet. p. 168. n. 20.
15. Præcepta naturalia affirmativa non ita obligant, quin quandoq; poſſint præteriri ſine peccato. ibid n. 21.
16. Idem eſt de præceptis Divinis

Digitized by Google

poſitivis quibuſcunque. p. 170. Reſpons. 4. Idem etiam eſt de præceptis humanis. p. 172. n 24.

17. Quotieſcunq; metus incutitur contrà præceptum fidei, Eccleſiæ &c. nunquam agere licet contrà legem. p. 73. n. 25.

18. Metus juſtè incuſſus nunquam excuſat à peccato ibidem.

19. Quod cauſatur à concupiſcentiâ, quà tali, nullo modo eſt involuntarium ibid. in reſpons. ad finem.

20. Quid, & quotuplex ſit concupiſcentia. ibid. ne. 26. & 27.

21. Poteſt nihilominùs concupiſcẽtia quandoque *per accidens* includere rationem involuntarij. p. 179. n. 30.

22. Non idem eſt tollere, & minuere voluntarium. p. 82. n 32.

23. Concupiſcentia antecedens aliquando etiam tollit voluntariũ perfectum. p. 183. n. 33.

24. Ignorantia *antecedens* facit actum ſimpliciter involuntarium; *conſequens* involuntarium *ſecundùm quid*; & *concomitans* cauſat non voluntarium. p. 184. ad Reſpons.

25. Quid, & quotuplex ſit ignorantia? ibid. n. 34. Involuntarium, & non voluntarium opponuntur ſicut *privativũ*, & *negativum*. p. 190. n. 39.

In Caput IV. De actibus humanis in particulari.

§. 1.

1. Tantummodò bonum eſt objectum ſimplicis volitionis. p. 196. n. 1.

2. Differentia inter appetitum naturalem, ſenſitivum, & intellectualem. p. 197.

3. Quatenus voluntas ſumitur pro ipsâ potentiâ fertur in finem, & in media; non item quatenus nominat actum voluntatis ſcil. *velle*. p. 200. concl 2.

4. Nequit dari in voluntate actus *ſimpliciter* neuter, cuius objectum non ametur aut in ratione finis, aut medij. p. 202. Poteſt voluntas uno, eodémque actu ſimul formaliter fieri in finẽ, & media. p. 203. concl. 3.

§. 2.

1. Fruitio, quæ eſt ſecundus voluntatis actus; & tantummodò actus voluntatis. p. 206 Concl. 1.

2. Fruitio ex parte *principij* perfecta convenit appetitui rationali; brutali autem ſolummodò imperfecta; inanimatis verò penitùs nulla. p. 208. concl. 2.

3. Fruitio propriè non eſt, niſi de ultimo fine, jam poſſeſſo. p. 209. Concl. 3. & 4.

§. 3.

1. Intentio, quæ eſt tertius voluntatis actus, præſupponit actum intellectûs, ordinantis aliquid in finem; ea tamen propriè eſt actus voluntatis. p. 206. Concl. 1.
2. Differentia intentionis à reliquis voluntatis affectibus. p. 211. n. 2.
3. Intentio aliter accipitur à Dialecticis, & aliter à Theologis moralibus. p. 212. n. 4.
4. Non oportet, ut intentio ſemper ſit ultimi finis. ibid. concl. 2.
5. Poteſt homo ſimul plura intendere etiam non ſubordinata. p. 212. Concl. 3.
6. Quoties voluntas vult media propter finem, toties eodem actu fertur in media, & in finem.
7. Intentio propriè non convenit brutis p. 215.

§. 4.

1. Electio *entitativè* tantùm eſt actus voluntatis. ibid. Concl. 1.
2. Unde nomen electionis originetur, & quid ſit? ibid. n. 1.
3. Quo ſenſu accipiendum ſit, quãdo S. D. dicit, actionem *formaliter* eſſe actum intellectûs, *materialiter* verò actũ voluntatis. p. 217. n. 3.
4. *Eligere* non convenit brutis. p. 220. Concl. 2.
5. Electio tantùm eſt de medijs. ibid. concl. 3.
6. Impoſſibile non cadit ſub electionem. p. 222. concl. 4.
7. Voluntas alia eſt *efficax*, alia *inefficax*. ibid. notab. 1.
Homo liberè eligit. p. 223. conclus. 4. 5.

§. 5.

1. Conſilium eſt inquiſitio rationis. p. 224. Concl. 1.
2. Conſilium propriè eſt circa media. p. 226. concl. 2.
3. Conſilium tantùm eſt propriè circà ea, quæ à nobis aguntur. ibid. concl. 3.
4. Conſilium non eſt de omnibus, quæ à nobis aguntur. p. 227. conclus. 4.
Nihil prohibet, inquiſitionem conſilij eſſe potentiâ infinitum. ibid Concl. 5.

§. 6.

1. Conſenſus eſt actio, ſeu motus ſolius voluntatis. p. 229. concl. 1.
2. Conſenſus non eſt propriè in brutis. ibid. concl. 2.
3. Et non eſt propriè tantùm niſi de medijs. ibid. concl. 3.
4. Conſenſus in actum ſpectat duntaxat ad rationem ſuperiorem. p. 231. concl. 4.
Cur intellectus dicatur ratio? ibid. n. 6.

§. 7.

1. Uſus principaliter eſt actus *voluntatis*

luntatis, ut primi Moventis; eſt autem actus *rationis* velut primi dirigentis; aliarum verò potentiarum, tanquam exequentium. p.232. concl. 1.
2. Uſus propriè non convenit brutis. p. 233. concl. 2.
3. Uſus eſt tantùm mediorum. ibid. concl. 3.
Qualis ſit proceſſus intellectûs, & voluntatis in appetitione finis & mediorum. p.234. n. 5.

§. 8.

1. *Imperare* eſt actus rationis. p.236. Concl. 1.
2. Ad imperium duo neceſſariò prærequiruntur. ibid. n. 1.
3. Quid requiratur ad hoc, ut voluntas applicet potentias ſuas ad exercitium operis? p. 237. n. 2.
4. In quo differat practicum ab imperio? ibid. n. 3.
5. *Imperare* non convenit brutis. p. 239. n. 6.
6. Sub imperium aliqui actus intellectûs, voluntatis, & aliquo etiam modo actus appetitûs ſenſitivi, nec non motus membrorum; non tamen *directè* motus animæ vegetativæ, ſicut nec motus membrorum illius. ibid. Concl. 3.

In CAPUT V.

De circumſtantijs actuum humanorum.

§. 1.

1. LOquitur hic nobiſcum S. D. de circumſtantijs, non in genere *naturæ*, ſed *moris*. p. 242. §. 1.
2. Circumſtantia eſt accidens actûs humani, pertinens ad ejus bonitatem, vel malitiam. ibid. concl. 1.
3. Quid circumſtantia ſit, & unde dicatur? ibid. n. 1.
4. Conſideratio circumſtantiæ maximè pertinet ad Theologum. p. 245 n. 4.
5. De numero circumſtantiarum. p. 246. concl. 2.
6. Potiſſima circumſtantiarum eſt *propter quid*, 247. concl. 3.

§. 2.

1. Circumſtantia *Quis* ſignificat conditionem, tenentem ſe ex parte perſonæ operantis. p. 248. Conclus. 1.
2. Circumſtantia *Quid* ſignificat actûs objectum, ſecundùm illas rationes, quæ accidentariò ei conveniunt, & conducunt ad augmentum, vel diminutionem bonitatis, vel malitiæ ipſius actus. p. 249. Concl. 2.
3. *Vbi* denotat circumſtantiam loci, ex quâ actioni accreſcit aliqua bonitas, vel malitia. p. 250. Conclus. 3.
2. Circumſtantia *Quibus auxilijs* ſignificat ex parte medij, ſeu cauſæ inſtru-

Digitized by Google

inſtrumentalis conditionem ejus accidentariam. p. 251. concl. 4.
5. *Cur*, ſeu *finis* denotat finem accidentariò ſupervenientē actum. ibid. Concl. 5
6. *Quomodo* ſignificat modum accidentalem actionis, vel ejus effectus. p. 253. concl. 6.
Quando ſignificat accidens temporis, in quo actio exercita. ibid. Concl. 7.
8. Peccare in die feſto, vel jejunij ſemper aggravat peccatum, at non ſemper mutat ſpeciem. n. 254. reſp. 1.
Circumſtantia diei feſti, vel jejunij *ordinariè* non ita aggravat, ut ea neceſſariò ſit dicenda in confeſſione ibid. reſp. 2.

In Caput VI.

De moralitate actuum humanorum.

§. 1.

1. Quinam actus humani vocentur *morales?* p. 255. n. 1.
2. Ad actus morales neceſſariò requiritur libertas aliqua. p. 256. Concl. 1.
3. Dupliciter dividitur libertas. ibid. n. 2.
4. Libertas non ſe habet ut genus ad moralitatem, ſed ut quid præſuppoſitum. p. 260. concl. 2.

§. 2.

1. In actu morali quatuor potiſſimùm ſunt conſideranda. p. 263. §. 2.
2. Moralitas actûs non eſt ipſa ejus entitas phyſica, ſed aliquid ei accidentariò ſupperadditum. p. 264. Concl. 1.
3. Eſſe *morale* in actibus humanis non eſt Ens rationis, aut pura denominatio extrinſeca. p. 265. Con. 2.
Moralitas actûs humani conſiſtit in ordine illo, quem actus habet ad ſuum objectum, quatenus hoc regulabile eſt per legem, & rationem. p. 267. concl. 4.

§. 3.

1. Moralitas perfecta adæquatè dividitur in bonitatem, & malitiam. p. 269. concl. 1.
2. Eatenus objecta influunt in actus humanos, quatenus ſunt moralia. p. 272. n. 4.
3. Moralitas dividitur] in bonitatē vel malitiam, tanquam ſuperius eſſentiale in ſua inferiora. p. 273. Concl. 2.
4. Malū in *recto* ſignat id, cui ineſt, ſicq; aliquid poſitivū. p. 295. n. 7.

In Caput VII.

De bonitate, & malitiâ actuum humanorum in communi.

§. 1.

Digitized by Google

INDEX

§. 1.

1. OMnis actio humana eſt bona, vel mala. p. 275. §. 1. Concl. 1.
2. Contrà fidem eſt dicere, omnia opera, quæ homo in ſtatu naturæ lapſæ ſive *antè*, ſive *poſt* juſtificationem facit, eſſe peccata p. 278. n. 4.

§ 2.

1. Non poteſt idem actus humanus *phyſicè* conſideratus ſimul eſſe bonus, & malus *moraliter*. p. 282. Conclus. 1.
2. Idem numero voluntatis actus in eſſe phyſico, ſive *interior*, ſive *exterior* poteſt ſucceſſivè in genere *moris* eſſe bonus, & malus, p. 293. Concl. 2.
3. Bonitas actuum humanorum nihil eſt aliud, quàm conformitas ad regulam practicam rectæ rationis, & dictamen honeſtatis. p. 296. n. 18.

§. 3.

1. Implicat eundem numero actum eſſe in duplici ſpecie ordinis *phyſici*. ibid. §. 3.
2. Poteſt idem numero actus humanus eſſe in duplici ſpecie bonitatis, vel malitiæ *moralis*, quarum una ſit ex objecto, & alia ex fine. p. 297. Concl. 1.
3. Poteſt actus humanus, ſivè *internus*, ſivè *externus* habere plures ſpecies bonitatis, vel malitiæ *moralis*. p. 299. concl. 2.
4. Actus humanus *imperatus* habet ſpeciem eſſentialem bonitatis, aut malitiæ tam ab objecto, quàm à fine, p. 302. n. 9.
5. Bonitates inter ſe, & in ordine ad actum humanum tripliciter poſſunt comparari. ibid. notabl. 1.
6. Quando opus aliquod *moraliter* bonum exercetur propter aliquẽ finem, interveniunt tres actus. p. 303. n. 10.
7. Licet actui humano *imperato*, *ſpecificativè* ſumpto ſpecificatio à fine proveniens ſit tantùm *accidentalis*, eſt tamen ei formalior, quàm illa, quam habet ab objecto. p. 305. Reſp. 2.

§. 4.

1. Utrum ſpecies, quæ ex *fine*, contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex *objecto*, ſicuti ſub genere; vel econverſo? p. 306. Concl. 1. & 2.

§. 5.

1. Quid nomine actûs indifferentis *ſecundùm ſpeciem* intelligatur? p. 309. n. 1.
2. Dantur actus humani, qui ſecundùm ſuam nec ſunt boni, nec mali. n. 310. Concl. 1.
3. Homo in omni actione ſuâ deliberatâ obligatus eſt agere propter

bonum

Digitized by Google

bonum rationis, ſeu ob finem aliquem honeſtum. p. 318. n. 14.
4. Quâ ratione intelligendum ſit illud: *tenetur homo omnes actiones ſuas deliberatas referre in finem aliquem honeſtum?* p. 319. n. 16.
5. Adhoc, ut actio humana habeat bonitatem, aut malitiam ex fine, ſufficit, ſi ea *virtualiter* ſaltem illuc referatur. p. 320. n. 17.
6. *Per ſe loquendo* nullus datur actus humanus in indiuiduo indifferens p. 321. concl. 3.

In Caput VIII.

De principijs Bonitatis, & malitia moralis.

§. 1.

1. Actio humana primariam ſuam Bonitatem, vel malitiam habet ex objecto. p. 333. concl. 1.
2. Actio humana etiam bona, aut mala eſt ex circumſtantijs. p. 343. Concl. 2.
3. Præter bonitatem, vel malitiam *abſolutam*, quæ convenit actioni humanæ ex objecto, habet aliam quoq; ex fine. p. 347. concl. 3.

§. 2.

1. Quoties finis peculiarem aliquã deformitatem affert contrà rectam rationem, toties tribuit actui humano diverſam ſpecie malitiam p. 351. n. 1.
2. Utrum quilibet finis bonus tribuit actui humano bonitatem; aut malus malitiam? ibid. concl. 1. & 2.
3. Intentio *ſecundùm* ſe bona vitiatur ex electione malâ. ibid. poſt concl. 2. n. 10.
4. Intentio boni finis etſi non excuſat malitiam prauæ electionis, eandem tamen minuit. ibidem concl. 2.

§. 3.

1. Etſi circumſtantiæ quædam conferant actui non ad ſpeciam bonitatis, aut malitiæ, non tamen omnes. p.   concl. 1.
2. Illæ circumſtantiæ dant novam ſpeciem, quæ per ſe conſideratæ, peculiarem habent cum rectâ ratione conformitatem, aut deformitatem. p. 369. n. 6.

In Caput IX. et ultimum.

De bonitate & malitia Actus interioris voluntatis, & actuum exteriorum.

§. 1.

1. Bonitas & malitia ſpecifica, & eſſentialis actus voluntatis dependet ex objecto, eoq; ſolo. p. 362. c. 1.
Bonitas voluntatis humanæ dependet

Digitized by Google

pendet à ratione eo modo quo ab objecto p. 363. c. 2.

Bonitas voluntatis humanæ multò magis dependet à lege æternâ quàm à ratione humanâ. p. 364. c. 3.

Voluntas concordans cum ratione vincibiliter errante mala eſt, bona ſi cum invincibiliter errante. p. 365. c. 4.

§. 2. & ultimus.

Ratio boni vel mali actus *externi* in ordine ad finem per prius invenitur in actu voluntatis & ex eo in actum externum derivatur. p. 366. c. 1.

Bonitas vel malitia, quam habet actus *externus* ab objecto conſiderata quatenus eſt in apprehenſione prior eſt, quàm bonitas, vel malitia actûs voluntatis, conſiderata vero *in executione* operis ſequitur bonitatem voluntatis. p. 367. c. 2.

Tota bonitas, quam habet actus *exterior* à fine, eſt à voluntate ſecus illa, quam habet ab objecto & circumſtantijs. ibi. c. 3.

Tota bonitas, quæ eſt in actu *exteriori*, non eſt à voluntate, malitia verò aliquando etſi non ſemper. p. 368. c. 4.

Si actus *exterior* bonus vel malus eſt ſolùm ex ordine ad finem, tunc eſt omninò eadem bonitas vel malitia actus *interioris* voluntatis & *exterioris*. p. 369. c. 5.

Quando actus *exterior* habet bonitatem, vel malitiam ſecundùm materiam & circumſtantias, alia eſt bonitas actûs *exterioris*, & alia bonitas voluntatis. p. 369. c. 6.

Actus *exterior* per ſe non auget bonitatem vel malitiam actûs *interioris* efficacis. p. 370. c. 7. & ult.

Index Authorum, quorum Authoritas in hoc Tractatu citatur.

A.

Abulenſes.
Adrianus.
D. Albertus Magnus.
Alexius.
Almainus.
Alvarez.
Alenſis.
Amicus.
D. Ambroſius.

Ange-

Digitized by Google

Angeſtus.
Aravio.
Ariſtoteles.
S. Auguſtinus.
Aureolus.
Azorius.

B.

Baludanus.
Banes.
S. Baſilius.
Ballarminus.
S. Bonaventura,
Buridanus.

C.

Concilium conſtant.
Concilium Toletanum.
Concilium Tridentinum.
Cajetanus.
Caraffa.
Candidus.
Capreolus.
Conradus.
Comeio.
Cicero.
Corduba.
Couanucias.
Curiel.
Cæſar Aug.
S. Chryſoſtomus.
S. Cyprianus.

D.

S. Damaſcenus.
S. Dionyſius.
Durandus.

E.

Authoritas Eccleſiæ.
Euthymius.

F.

Ferrerienſis.

G.

Gabriel
S. Gregorius.
Gregorius Niſſenus.
Granado.

H.

Henricus Gandauenſis.
S. Hyeronimus.

I.

S. Jacobus Apoſt.
Joanes de Ripa.
S. Ireneus.
S. Job.

L.

Lactantius.
Layman.
Leſſius.
Lorca.
S. Lucas.

M. Mar-

M.

Martinez.
Martinus de Eſparza.
Major.
S. Matthæus.
Magiſter Sentent.
Medina.
Monteſinos.

N.

Navarrus.
Nominales.
Nunno.

O.

Occa.

P.

S. Patres.
S. Paulus.
Paludanus.
Petrus de Pergamo.
Philippus à SS. Trinit.
Puteanus.

R.

Regius Spaltes.
Richardus.

S.

Salas.
Salmanticenſes.
Scotus.
Solus.
Suarez.
Sylvius.

T.

Tanner.
Tertullius.
S. Thomas.
Tullius.

V.

Valentia.
Vaſquez.
Vaſquius.
Victor.
Vigilantius.
Vlpianus.

Errata ſic emenda.

Pag. 8. ad fin. non cognoſcatur equidem : omitte non.
Pag. 19. cujus providentiæ, & gubernationis ſubſunt : lege : gubernationi.
Pag. 44. n. 3. veniale cùm ſit quidem actus : lege : cùm ſit quidam.
Pag. 71. concl. 2. Contrà Leſs. & Vaſq. Viatori : lege : contrà Leſs. & Vaſq. negantes beatitudinẽ Viatori in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſeu peccato inſuper obnoxiæ.

Pag. 78.

Pag. 78. Quæres 2. quatuor, vel quinque formaliter. lege formalitates.
Pag: 80. n. 2 ita eſt ſimplex. lege: ſed in ſeipſo ita eſt ſimplex.
Pag. 92. ita cùm eam gratiam appetitat. lege: item; cùm eam gratiam appellitat.
Pag. 112. in medio: ad hoc non procedit: lege: non præcedit.
Ibidem: ſufficit ad cauſandam. lege ad tollendam.
Ibidem. ad hoc enim ſufficit. lege: ad hoc autem ſufficit.
Pag. 135. ad finem: non foret ei inviolentum: lege: non foret ei violentum.
Pag. 137. poſt Medium. cum errore. lege: vel cum errore.
Pag. 140. antè n. 6. & ſine cognitione opponi: lege: operari.
Pag. 142. & propterea eit debitus concurſus. lege: eſt debitus concurſus.
Pag. 143. in medio. Tum ergò: lege: Tum quia.
Ibidem ad finem. & tantùm ſecundùm quid: lege: ſed tantùm.
Pag: 145. augeatur contrà ſuam lege: vel augeatur contra ſuam.
Pag. 146. in ſuâ differentiâ: lege: in ſuâ indifferentiâ.
Pag. 147. ex ſuâ naturâ inclinetur. lege: ex ſuâ naturâ magis inclinetur.
Pag. 152. Reſp. ad 4. cogit recipere baptiſmum. lege: cogitur recipere.
Pag. 176. concupiſcentia autem nullum Ordinem. lege: concupiſcentia autem concomitans.
Pag. 332. vel foret dictamen prudens. lege: vel format.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

6-2-2

Digitized by Google